



**Ad persecutores anglos pro catholicis domi forisque
persecutionem sufferentibus; : contra falsum, seditiosum, &
contumeliosum libellum, inscriptum ; Iustitia Britannica. Vera,
sincera, & modesta responsio : qua ostenditur, quomodo
iniuste? protestantes Angli catholicis perduellionem obijciant
; quomodo falso? negent se quenquam religionis causa persequi
; & quomodo callide? laborent hominibus externis imponere, ne
earum quae inferuntur afflictionum causam, modum, &
magnitudinem vere? intelligant ; cum alijs permultis ad hoc
argumentum pertinentibus. Scripta primomodo idiomate
Anglicano, & deinde translata in Latinum.**

<https://hdl.handle.net/1874/416818>

PERSECVTORES

ANGLOS PRO CATHOLICIS

DOMI FORISQUE PERSECVTIONEM SVFERENTIBUS; contra falsum, seditiosum, & contumeliosum Libellum, inscriptum;

IUSTITIA BRITANNICA. edita a^o 1584

Vera, sincera, & modesta Responso: qua ostenditur, quàm iniuste Protestantes Angli Catholicis perduellionem obijciant; quàm falso negent se quenguam religionis causa persequi; & quàm callidè laborent hominibus externis imponere, ne earum qua inferuntur afflictionum causam, modum, & magnitudinem verè intelligant; cum alijs permultis ad hoc argumentum pertinentibus.

Scripta primùm idiomate Anglicano, & deinde translata in Latinum. Anno 1585

Auctore Georgio marchio. Juno a Jesuitis transscripto



Psal. 62.

Vt obstruatur os loquentium iniqua.

Psal. 49.

Os tuum abundavit malitia, & lingua tua concinnabat dolos.

THE HISTORY OF THE

ROYAL SOCIETY OF LONDON

AND OF THE

ROYAL SOCIETY OF EDINBURGH

FROM THE YEAR 1660 TO 1700

BY JOHN HARRISON

ESQ; F.R.S.

LONDON, Printed by J. Sturges, at the

Sign of the Sun in St. Dunstons Church

in the Strand, 1705.

IN TWO VOLUMES.

THE SECOND VOLUME.

CONTAINING

THE HISTORY OF THE

ROYAL SOCIETY OF LONDON

FROM THE YEAR 1700 TO 1750

BY JOHN HARRISON

ESQ; F.R.S.

LONDON, Printed by J. Sturges, at the

Sign of the Sun in St. Dunstons Church

in the Strand, 1750.

IN TWO VOLUMES.

THE SECOND VOLUME.

CONTAINING

THE HISTORY OF THE

ROYAL SOCIETY OF LONDON

FROM THE YEAR 1750 TO 1800

BY JOHN HARRISON

ESQ; F.R.S.

LONDON, Printed by J. Sturges, at the



AD LECTOREM
PRÆFATIO.



RODIIT nuper (Christiane lector) Libellus quidam Anglicanus, quem author inscripsit *Executionem Iustitiæ in Angliâ*; Interpret latinus vertit, *Iustitiam Britannicam*; qui mox est in varias aliarum nationum linguas traductus. Cuius illud est argumentum, vt Protestantium Anglorum in persecûdis Catholicis summam acerbicatem defendat, vel saltem excuset; accuset autem Catholicos tum eos qui domi in Angliâ versantur, tum nos eorum in religione socios, qui foris in exteris regionibus exulamus. Qui Libellus quoniam in vulgus emanauit sine priuilegio Principis, sine nomine vel authoris vel impressoris, idq; eo in loco vbi huiusmodi argumenta sunt maximè plausibilia, facile vt potuerit legitima cum approbatione publicari; quoniam item continet temerarias, odiosas, & periculosas disputationes de statu Rerum publicarum, prætereaq; refertus est apertis mendacijs, manifestis contra homines innocentes contumelijs, potissimum autem immodesta & seditiosa maledicentia contra summum orbis Christiani Pastorem, Principem populi Dei; adeo vt propter has rationes iure potuerit Libellus famosus existimari, ideoq; vel penitus condemnari & abijci, vel ea cum orationis libertate refelli, quam eiusmodi scripta merentur: tamen eum aduertemus scripti huius argumentum, sensum, & caracte-

*Iustitia
Britannica,
Libellus sicut
mosus.*

AD LECTOREM

Causa ref-
pondendi.

In Gallia.

rem admodum congruere cum studio & inclinatione nonnullorum qui in patria nostra dominantur; Libellum quoq; ipsum non fuisse suppressum (quod nuper alijs quibusdam eiusdem prorsus argumēti factum est, quoniam nimirum non videbantur *Politicis* Protestantibus arte & ingenio satis elaborati) sed iterum atq; iterum impressum, valde commendatum, diligenter peruulgatum, tentatum etiam vt cum priuilegio distraheretur in alijs nationibus, cum tamen pudore impedirentur ne publicè approbarent domi; imò cum videremus eum rusticè vi quadam peregrinis hominibus Principibusq; penè inuitis obtrudi, vt valde probabile sit Primores aliquos fuisse eius emittendi quanquam occultis & clandestinis modis authores: non equidem molestè ferimus sed potius gaudemus hanc nobis diuinitus datam occasionem, vel (vt verius loquamur) impositam necessitatem, & huic Libello respondendi, & simul particulatim reddendi rationem pro fratribus nostris siue viuentibus siue vita functis, siue qui in patria domi, siue qui in exilio foris degunt, quorum fama Libello hoc potissimum laceratur.

Hanc autem Apologiam conscribemus sincerè, tanquam in conspectu Christi *IESV* omnium mortalium Iudicis, & coram vniuersis Angelis & Sanctis eius; idq; tam humiliter, sobriè, & moderatè, quam decet tum professionem nostram, tum eorum qui lecturi sunt indifferens & æquabile iudicium; quod etiam cum lachrymis flagitam⁹ ab vniuersa Ecclesia & orbe Christiano, illisq; omnibus qui vel in patria nostra, vel alibi ad Rerum publicarum gubernacula sedent; vt ita causa nostra dijudicetur, tum a Deo, tum ab homine; & nostræ inexplicabiles calamitates vel multorum intercessione subleuentur, vel generali commiseratione fidelium fratrum nostrorum magis reddantur tolerabiles. Nobis quidem ipsis graue est & permolestum, poteritq; fortassis videri alijs odiosum, huic argumento
nos

P R A E F A T I O.

nos manum admouere, quod difficulter tractari potest nisi etiam aliquantulum Patriæ nostræ rectores perstringamus. Sed tritum est, Dei veritatem & hominis innocentiam singulari semper privilegio esse communitam. & vtrâq; potest a subiectis atq; infimis contra Principes & potentissimos, honestis semper rationibus propugnari. calamumq; nostrum Deo fauente ita temperabimus, nihil vt offendat æquum lectorem; imò si fieri possit, vix illos ipsos contra quos vt scribamus, inculpatæ defensionis nostræ necessitate quadam compellimur.

Habemus autem nobis prælucentia exempla plurima Christianæ modestiæ & libertatis in antiquis Ecclesiæ Christi Patribus, in *S. Iustino, Tertulliano, Athanasio, Hilario*, qui ad Principes suos infidelitatis erroribus occæcatos & Christi populum persequentes, varias Apologias scripserunt. Quorum vestigia, & in scribendi formam figuramq; quamdiu imitamur, nullius viri boni & prudentis reprehensionem incurremus; nec odiosi erimus alicui, cui prius ipsissima veritas odiosa non est. Quemadmodum ex altera parte in recentibus Aduersariorum scriptis, siue improbam in maledicendo procacitatem attendimus, siue arrogatæ aliorum despicientiam, siue contumeliosum in homines sermonem, siue blasphemam in Deum verba, siue deniq; materiam totam mendacijs, probris, seditiosis calumnijs, inhonestâ & scurrili dicacitate redundantem, plurima passim occurrunt quæ respuamus & abominemur, plurima item quæ in scriptis nostris declinemus: quæ quidem cupimus esse illorum quàm dissimillima, & probata non solum amicis nostris, verumetiam (si fieri poterit, & si placuerit omnipotenti Deo nostro, eam nobis gratiam tribuere) non ingrata persecutoribus; quorum salutem cum veritatis patrocinio coniunctam Christus testis est multò a nobis vehementiùs appeti & maiori studio laborari, quàm nostram ipso-

*Apologia
scripta a
viris sanctis
ad defensionem innocen-
tiam.*

*Protestatio
in scribendo
character.*

A D L E C T O R E M

rum securitatem, aut criminum eorum quæ nobis intenduntur depulsionem.

Neq; verò ad famam nostram tuendam contra aduersarios adeo potentes tam seridò contenderemus, nisi arbitraremur & eorum corda quæ sunt in manu Dei, manifestis rationibus & perspicua innocentia nostræ demonstratione posse ad misericordiam inflecti, & velle etiam ad suum simul nostrumq; statum maturius expendendum immutari; & nisi præterea perspicere-mus nostri fratrumq; nostrorum Catholicorum accusationem cum totius Ecclesiæ & summorum eius Præ-sulum reprehensione esse copulatam. quorum honori magis quàm vitæ nostræ consulendum esse, Christianæ religionis institutis edocti sumus, & quibus in causa fidei & conscientie magis obtemperandum scimus, quàm sæculari Principi aut Imperatori cuiusq; sub-cælo; quibuscunq; tandem ei subiectionis & fidelitatis vinculis obstringimur.

Et quemadmodum in hoc responso nostro, valde quidem cupimus adeo temperatè & æquabiliter defendere potestatem spiritualem (quod a nobis vel iur-tis extorquet aduersarij importunitas) vt interim iur-tè non offendamus temporalem, quum vtriq; certa ratione omnem nos submissionem debere fateamur; ita cum nihil quicquam scripturi sumus quod aliquis refellere poterit tanquàm vel quoad res gestas falsum, vel quoad religionem impium; certò quidem confidimus æquum lectorem, siue Catholicum, siue Prote-stantem, minimè in nobis improbatum hanc adeo simplicem & necessariam tum nostri tum Superiorum nostrorum, imò generalis per orbem Christianorum omnium fidei & conscientia defensionem. Longissimè autem a nobis abest, vt suspicari velimus aliquem de hoc scripto nostro æstimatum tanquàm seditioso & maledico, aut famosis Libellis aliqua ex parte simili (quemadmodum tamen iste ignotus author quem re-fira-

futamus, neq; christianè neq; humaniter nostrorum fratrum libros appellat) cùm in eo nihil omnino possi- Libri de persecutio- ne Angli- cana verif- simi.
 turi sumus nisi graues afflictiones, tormenta, & mor-
 tes Catholicorum; idq; tam fideliter & sincerè, iuxta
 historicam rerum gestarũ veritatem, nemo vt morta-
 lium in commemorandis his miserrimis Patriæ nostræ
 calamitatibus, vel narrationem ipsam conuincet ali-
 cuius falsitatis & mendacij, vel in narratore deprehen-
 det aliquam cupiditatem aut voluntatem Magistra-
 rum actiones apud exteros infamandi. Et hæc quæ
 scripturi sumus, cùm publicè gesta fuerint in luce &
 oculis innumerabilium, diu a cognitione Christiani or-
 bis occultari non possunt; eaq; cùm acta fuerint iuxta
 leges & imaginariam quandam iustitiam, quid est cur
 ipsi molestè ferant, si eadem publicis sermonibus &
 scriptis apud omnes nationes diuulgentur? nisi forte
 conscientia eorum ipsis suggerat aliquid fuisse iniqui-
 tatis & nefariæ fraudis in suis illis iudicijs, quibus ho-
 mines innocentes tormentis excruciatos e medio su-
 stulerunt, & adhuc in dies trucidare non desistunt.

Deo quidem sit gratia, nos non adeo malitiosè af- Vere cau- se calami- tatem An- glicanam publicis scriptis cõ- mittendi.
 fecti sumus, aut adeo ciuilem humanitatem exuim⁹, vt
 de industria vel honori patriæ Præcipisq; nostræ quic-
 quam velim⁹ detractum, pro quorum amore Christia-
 no tam multi ex fratribus nostris Apostolica lenitate publicis scriptis cõ- mittendi.
 & mansuetudine vitam suam profuderūt; vel turpitudi-
 nem eorum aliquam nudare, quam a conspectu homi-
 nũ etiam sanguine nostro si fieri posset obtegeremus. I.
 Quis potius actiones istas mundo patefacimus ad ho- Honor patriæ.
 norem nationis nostræ, cui aliàs hoc ad infamiam &
 dedecus sempiternum ascriberetur, quòd tota vniuersè
 defecisset a fide Catholica, & has nouæ religionis atq;
 regiminis absurdissimas iniquitates vna animorum
 consensione fuisset amplexa, si nulli ardenti zelo & ve-
 hementissima contentione his perniciosis nouitatibus
 sese opposuissent. Nunc autem, & nostrates Angli,

alijq; in orbe Christiano populi, cum intelligant hanc patriæ nostræ Apostasiam consistere in paucis factiosis & potentibus hominibus, qui Regiæ maiestatis clementia & credulitate nimia ad suum priuatum commodum abutuntur; immensis laudibus diuinam bonitatem efferunt, quòd in tam intoleranda persecutione vniuersus propemodum Clerus, plurimiq; laici omnis ordinis, sexus, & conditionis, tam constantes permanent in fide Patrum suorum, cum iactura honorum, possessionum, honoris, & vitæ, & quicquid est in hoc mundo desiderabile; adeo vt vniuersum Reipub. corpus, si Principis auctoritatem seposueris, potius Catholicum sit iudicandum quàm hæreticum. Hic, hic (inquam) est nationis nostræ honor, hoc decus & ornamentum, quæ aliàs propter duplicem Apostasiam, & recidiuã tam paucis annis in fœdissimum schisma prolapsum, existimari poterat insanabilis, & desperata, & aliarum regionum omnium maxime infamis.

2.

Honor

Martyrum.

Dies eorum

quibus ex-

cedunt an-

notate, vt

cõmemora-

tiones eorũ

inter Mar-

tyrũ memo-

rias cele-

brare possi-

mus.

Cyp. epi.

37. Vide

Nazian.

orat. 3. in

Inhanum.

3.

Cõmunica-

tio affli-

ctionum.

Præterea, hæc etiam publicamus ad memoriam & honorem præstantissimorũ Dei Martyrũ, qui gloriosa morte veritati Catholicæ testimonium reddiderunt. Id quod antiquo more atq; etiam canone primitiue Ecclesiæ præcipitur, quæ certis hominibus melioris iudicij & doctrine hoc muneris imposuit, vt diligenter annotarent præclaras confessiones & certamina singulorum, quibus nimirum diebus contingerent; quòd eorum deinceps apud omnes ætates consequentes, solennis in Ecclesijs Christianorum celebraretur memoria.

Deinde, hoc etiam facimus ad communicandum calamitates nostras cum nostris in religione Catholica fratribus, aliarumq; prouinciarum Ecclesijs, ab huius pestilentis hæresis contagione adhuc liberis; & vt nos ipsos hoc modo consolemur, & vt alios omnes moueamus, atq; ad Christianam erga nos miserationem excitemus, quòd tandem communibus eorum consilijs & precibus impetremus a Deo tantis miserijs leuamentum,

mentum, & toti Patriæ misericordiam. Quam eandem
 rationem sequutos olim Catholicos Patres discimus
 ex orientali Ecclesia grauitè ab *Arrianis* vexata, quæ
 (vti in *D. Basilio* legimus) cum similibus angustijs pre- Basil. epist. 69. 70.
 meretur, episcopi frequentibus literis & nuntijs con-
 questi sunt apud Ecclesias occidentales ab eadem per-
 secutione hæresiq; multò magis eo tempore vacuas &
 solutas.

Impellimur deniq; ad ista tam particulatim & mi- 4.
 nutè declaranda, vt actiones istorum sanctissimorum Depulsi
 Martyrum eorumq; in fide sociorum tueamur contra calumniam
 varias calumnias & malitiosas criminationes quorun-
 dam vel hæreticorum vel Politicorum, iniquissimè læ-
 sam Principis maiestatem, & alia teterrima contra Pa-
 triam scelera illis exprobrantium; partim vt sic abdu-
 cant animos hominum simplicium a vera & vnica cau-
 sa mortis eorum considerata, partim vt innocentes
 homines fraudent honore Martyribus in Ecclesia
 Christi semper debito. Hæc enim inter alias permultas
 vna est ratio, eaq; admodum grauis, & fortasse præcipui
 momenti, cur istos e medio tollere voluerint potius
 propter simulatas quasdam perduelliones, aut alia eius
 generis cõficta crimina, quàm propter Catholicæ fidei
 sinceram professionem, quam tamen verè maiori odio
 detestantur, q̃ scelus quodcunq; vel maximè infan- Modus per-
 dum atq; execrabile. Atq; hanc bipartitam fraudem in sequendi a
 alijs quidem Christianæ professionis hostibus multò Iuliano A-
 rariorem, hæreticis autem admodum familiarem, & in rost. &
 nostris domi persecutoribus singulari quodam modo Dioeletiano
 elucentem, vt nimirum persecutioni contra fidem a- vsurpatus,
 lias causas prætendant, idq; in cum finem vt debitam renouatur
 Martyribus gloriam eripiant, *D. Grego. Nazianzenus* in in Anglia.
 descriptione Iuliani Apostatæ ad viuum expressit. De Nazian.
 priori; *Nec vero* (inquit) *strenuo ac generoso animo vt alijs* orat. 3. in
persecutoribus moris erat, impietatem profitebatur; nec Impera- Iulianura.
toriè nec tyrannicè saltem consilium de nobis inibat, vt insigne

AD LECTOREM

atq; honorificum ipsius scelus esset orbis populo vim intulisse, doctrinamq; omnibus doctrinis superiorem tyrannide oppressisse. Verum turpiter admodum & ignaue pietatem vexabat, animi fraudes & versutias persecutioni quam aduersus nos excitabat inducens. De posteriori; Vt alia, ita cum quoq; quo Martyres affici solent honorem athletis inuidebat. Ac proinde id molitur, ut ipse quidem vim afferat, & interim afferre non videatur; nos contra, & supplicia perferamus, & eo interim honore qui pro Christi nomine patientibus haberi solet careamus. Vtramq; alibi egregie simul complexus est his verbis. Euebat aduersus nos infandus Imperator, non quidem ceterorum Christi hostium in modum magno animo impietatem profitens; verum humanitatis obtentu persecutionem cœlans. Ac ne eos honores qui Martyribus haberi solent cōsequeremur (hos enim Christianis inuidebat) primum illius artificium hoc fuit, ut qui Christi causa patiebantur, tanquam fontes & facinorosi cruciatu afficerentur. Simile profus, & ad nostrum Angliæ statum explicandum non minus accommodatum est illud quod narrat Eusebius de persecutione Diocletiani. Non longo tempore post (inquit ille) cum alij in Melitina regione, alij in Syria Imperio insidias parare molirentur, edictum Imperatoris exijt ut omnes Ecclesiarum Præsules, utpote de ea re suspecti in carceres & vincula conijcerentur. adeo ut spectaculum illarum rerum, quæ deinceps ibi gerebantur, omnem explicandi facultatem longe superet. Nam multitudo infinita ubiq; gentium in custodiam conclusa fuit: & carceres passim qui iam olim homicidis & mortuorum in sepulchris conditorum expilatoribus parati fuerant, tunc episcopis, presbyteris, diaconis, lectoribus, & exorcistis penitus erant referti; adeo ut ijs qui maleficijs tenebatur obstricti nihil illic loci esset reliquum.

Et quoniam admirabitur fortasse lector, eam quam in hoc libro aliquando annotamus Protestantium inferiorum licentiam infinitam, qui contra Catholicos, quiduis audent admittere; adeo ut nihil sit frequentius in hoc Regno, quàm homunciones plerumq; fordidos & abie-

NaXianz.
orat. 10. in
laudē Cæsarij
fratris.

Euseb. li.
8. ca. 6.

P R A E F A T I O.

& abiectos sub rudi iam & cōtrita specie inquirēdi sacerdotēs, calices, cruces, ornāmēta Ecclesiastica; totas domos virorum perbonorū & perinsignium, imō faminarum & viduarum diripere, spoliare, prædari, sine vlla forma iuris aut iustitiæ, & tamen sine vlla spe relicta veris Dominis iudiciaria quavis actione, talibus latrocinij sacrilegè ablata recuperandi (quasi Regnū illud, *magnum* esset *Latrocinium*, quemadmodum de talibus Rebus pub. iustitia carentibus pronuntiat *D. Augustinus*) cuius iniquitatis, hominum aliquot millia domi forisq; suo experimento locupletes sunt testes: obseruandum est, illud in Anglicanæ Reipub. gubernandæ forma iam diu inueterasse, quod olim Iulianus Apostata, in hoc vno veteres persecutores, *Diocletianum*, *Maximianū*, & reliquorum atrocissimum *Maximinum* antegressus, non quidem opere complebat, sed voluntate tamen & cogitatione designauerat, atq; ita inchoato quodam exemplo posteris suis præluxit. Exclamat *D. Gregorius Nazianzenus*, *O leges, & legislatores, & Principes; qui quemadmodum celi pulchritudo, & solis lumen, & aeris fusio communi & perenni beneficentia omnibus patent, sic legum quoq; usum liberis omnibus hominibus ex equo proposuistis: quem tamen ille Apostata Christianis eripere in animo habebat, ut nec per vim oppressis, nec ijs qui pecuniarum atq; opum detrimento, aut vllō alio malo tam paruo quàm magno legibus interdicto affecti fuissent, iniurias suas iudicio persequi liceret, verum patrijs ipsi finibus pellerentur & interficerentur.* &c. Hæc *Diocletiani* & *Iuliani* in opprimendis Christianis malitiosa calliditas, quum sit viua quædam imago miseriæ nostræ, hanc eandem ex legem spoliationem & manifestam violentiam quum *Catholici* omnes perpetiantur, nec tamen *parasiti* quidam qui linguam & conscientiam vendibilem habent, in exterorum hominum auribus personare erubescant, ista politia nihil esse suauius, nihil mansuetius; maximè quum hæc mentiendi improbitas ad sanctorum Christi Mar-

Protestantibus in spoliandis Catholicis infrenata licentia,

Aug. de ciuit. Dei lib. 4. ca. 4.

Inchoata a Iuliano Apostata.

Nazian. oratio. 3. in Iulianum.

Ibid.

Nota.

tyrum gloriam maculandam pertingat, quos non sunt contenti persecutores interfecisse, & varijs modis excruciasse, nisi eos præterea tanquam proditores infectentur, & in mortuos hac crudeli maledicentia quasi nouo supplicio defæuiant; cogimur ad istiusmodi nefarias fraudes detegendas hoc officium illis & sanctæ Dei Ecclesiæ præstare: quorum innocentiam & honorem proderè non debemus, nec si mille nobis genera mortis intentarentur.

Aduersarij
vanum &
vulgare
exordium.

A quo non multùm nos deterret friuolum & vulgare aduersarij quem refutamus, in hac Inuectiua exordium; qui trito Protestantium more rationis & artis omnis experte, initium sumit a sententia generali non minùs nobis causæq; nostræ, quàm sibi & suis conueniente; videlicet, *hoc fuisse semper in more positum omnibus peccantibus, maxime qui contra Principum maiestatem, contra focos & aras, contra ceremonias & religiones, deniq; contra dulcissimam patriam conspirant, suis sceleribus & flagitijs rectè factorum nomina imponere.* Quæ peruulgata sententia vt commodè vsurpari poterat vbi aliqua huiusmodi contra Principem, contra aras, contra ceremonias, religionem, & patriam conspiratio deprehenditur, sic inaniter iactatur vbi nulla talis conspirationis vestigia apparent; contra nos autem stolidissimè affertur, quorum tota manifestè contentio est pro *aris*, pro *religione*, pro *ceremonijs* Christianis, & deniq; pro *patriæ Principisq;* nõ fucata & fallaci, sed solida & constãti securitate æternæq; salute, quemadmodum in hoc libro clarissimè demonstrabitur. Atq; hæc eadem oratio non minùs aptè accommodari poterat a veteribus tam Paganis quàm hæreticis persecutoribus contra primos Apostolos & Martyres Saluatoris nostri, quibus eadem quæ iam nobis, falso olim affingebantur crimina, qui & pro seipsis eodem quo nos modo responderunt. Atq; hoc totum quod in his verbis sine argumento nobis intenditur, multò probabiliùs obijci potest, & multò crebriùs repe-

Iustitia
Britan. pa.
1.2.

P R A E F A T I O.

reperitur verè in Rebus publicis, vel ijs qui sunt illa- Principes & Respub. facillius quàm priuati. scelera sua honestè specieregunt.
 rù Primores & Principes si quando a recta via aberrat
 & in scelera grauiora ruunt, quàm in priuatis, miseris, & af-
 flictis hominibus, quantulumcunq; sit crimen cuius
 citantur rei, aut quocunq; sint ipsi artificio sumulatio-
 nis eruditi. Principes enim & Respublicæ innumeras
 habent excusationes, colores, & pigmenta quæ iniustis
 actionibus obducant; habent nomen publicæ authori-
 tatis, habent speciem legum, habent plurimorum lin-
 guas paratas & calamos expeditos, vt suæ voluntati in-
 seruiant; in promptu sunt typographorum officinæ vt
 quod voluerint in vulgus emittat, & præsto sunt Edi-
 cta regia vt quod voluerint supprimant atq; e conspe-
 ctu populi remoueat, quorum omnium facultas pri-
 uatis hominib⁹, siue optimis, siue improbissimis, maiori
 ex parte est adempta.

Horum exempla non est necesse vel a longinquis re- Richardus Dux Gloucestria.
 gionibus, vel ab antiquis temporibus mutuari. Cùm e-
 nim apud nos *Richardus* 3. de regno capeffendo cogita-
 ret, primùmq; barbarè multos ex Nobilitate iterime-
 ret, postea nepotes suos puerulos innocentes, *Edouardi* 4. filios, immaniter cõtrucidaret; quàm multi subitò
 Libelli, edicta, orationes, conciones, populi auribus
 circumsonabant, speciosis nominibus illam teterrimam Iohã. Dudaus Dux Northumbriae.
 carnificinam honestantes? Cùm postremus *Dux*
Northumbriae ad eandem Regalem celsitatem aspirans,
 nobilissimarum Regis & Domini sui *Henrici* 8. filia-
 rum neutram ad regium diadema suscipiendum habi-
 lem esse sibi persuaserat, & ideo vtramq; eo priuare
 perfidiosissimè moliretur, vt simulato iure nurus suæ
 regium thronum inuaderet; quàm multæ statim ex
 inopinato schedulæ sunt impressæ, quàm multa edicta
 publicata, ad eam fœditatem & execrabile perduellio-
 nem comprobendam? Cùm *Aurangius* eiusq; fœderati,
 recentis memoria in Regem suum coniurarent; cùm
 Scotorum hæretici idem contra Reginam suam com- Aurangius in Flauria

AD LECTOREM PRAEFATIO.

Jacobus,
Morrionus,
& alij in
Scotia.

mitterent, aliaq; prouinciæ ijsdem erroribus fascina-
tæ ab vnitæte fidei Christianæ, & simul a Principum
suorum obedientia desciscerent; quàm innumerabiles
libelli statim effusi sunt, ne sine ratione tam tetra faci-
nora suscepta viderentur? Plenæ sunt historiae, pleni
annales, maximè verò tempestas hæc nostra talibus
exemplis abundat. Quod ergo aliquando in priuatis
hominibus accidit ad impietatem & turpitudinem
suam obtegendam, hoc multò frequentius & multò
perniciosius vsu venit in potentioribus, qui in Rebus
pub. principem locum tenent. Atq; idcirco hoc totum
nihilo magis nos attingit quàm Aduersarium, siue Li-
bellum suum publica authoritate emiseric, quod ip-
se præ se fere videtur, siue priuata animi inductione,
quod nos hoc tempore potius arbitrabimur.

Illud autem quomodocunq; se habeat, nos in se-
quenti hoc scripto reprehensionis eius capita singula
excutiemus, ea qua par est æquitate & modestia. Ince-
rim verò donec conuicerit nos fratresq; nostros alicui-
us criminis, præter professionem & vsum religionis

Iohã. 10.
32.
Act. 23. 6.
& 28. 20.

Catholicæ; dicemus cum Salvatore nostro, *De bono*
opere lapidamur; & cum Apostolo, De spe & Re-
surrectione mortuorum iudicamur; & propter
spem Israel, his catenis circumdati sumus.



ARGVMENTA SINGVLO-
RVM CAPITVM.

Sacerdotes plurimos, aliosq; Catholicos in Anglia, variè vexatos, publicè condemnatos, extremoq; supplicio affectos fuisse, solius causa religionis, & quia nouis quibusdam Protestantium legibus minime obtemperarunt, quibus ea quæ ad Christiani hominis officium ac religionem Catholicam pertinent, lesa Maiestatis crimina sunt; sine vlla veterum patriæ legum authoritate, aut eorum criminum vel leuissimam suspitione, quæ antiquitus sub lesa Maiestatis nomine sunt comprehensa. Cap. 1. pag. 1

Patrem Campianum, ceterosq; sacerdotes & Catholicos qui falso perduellionis nomine, & simulata veterum contra hoc crimen patriæ legum authoritate ad iudices delati, damnati, extremoq; supplicio affecti fuerunt, nihil unquam huiusmodi perpetrasse, sed iniquissimè per calumniam e medio sublatos fuisse. Cap. 2. pag. 23

Merito nos de iniusta persecutione, atq; intolerabili hereticorum aduersus Catholicos in Anglia crudelitate conqueri. Nec posse Protestantes idem facere, propter iustitiam quæ temporibus Regina Mariæ, atq; aliorum Catholicorum principum, aduersus ipsos exercebatur. & quæ sit dissimilitudinis ratio. Cap. 3. 42

Sacerdotes nostros ac Catholicos fratres, in responsis suis ad interrogata de Pij Quinti Bulla, prudenter se & grauer, minimeq; seditiose gessisse: nec posse eos propterea vllis Patriæ antiquis legibus ad mortem damnari: ubi examinantur sex articuli quos de Bulla eiusq; vi solent proponere. Cap. 4. 71

De principibus propter Hæresim aut defectionem a fide ex-
communicandis, vel etiam Regno suo priuandis; præsertim de
bellis propter Religionem susceptis. Tum de officio ac Zelo quem
Sacerdotes veteris & nouæ legis huiusmodi in rebus præstite-
runt. Cap. 5. 114

Rebuspub. esse commodum, & Regum sceptris firmandis
admodum utile, ut quæ inter ipsos populosq; suos controuersia
de Religione alijsq; rebus grauissimis oboriuntur, propter quas
Reges sua dignitate priuandi videntur; a supremo totius Ecclē-
siæ Pastore potius decendantur, ut est Catholicorum doctrina &
iudicium; quàm populari seditione ac temeraria quorundam
fantasia, ut est hæreticorum voluntas & consuetudo. 118

Cap. 6.

De postremis in Hybernia bellis propter religionem susceptis;
& quomodo Papa iustè poterit uti gladio; & quòd contentio-
nes inter ipsum & alios Reges aliquando subortæ, & obedi-
entia ab istis negata, vel etiam vis illata ad defensionem suarum
rerum temporalium, nihil iuuent causam Protestantium, ut e-
ius in rebus spiritualibus fidei & religionis, censuras contem-
nant & auctoritatem aspernentur. Cap. 7. 169


Quòd Principis ac regni ab Ecclesia & Sede Apostolica se-
paratio & a Catholica Religione defectio, sola sit causa pericu-
lorum omnium imminentium quæ Politici videntur formida-
re: quodq; Catholicis ac Romano Pontifici ista immeritò falsosq;
tribuantur; qui etiam iniurià Regni vocantur hostes. 201

Cap. 8.

Conclusio libri, continens beneuolam suasionem & amicum
hæc omnia pacificandi ordinem; si aliqua nimirum via inueatur
religionis Catholica in Anglia toleranda, & istius cruentæ
persecutionis vel prorsus tollendæ vel saltè mitigandæ. 264

Cap. 9.

Appendix Capiti primo adiungenda. p. 271



SACERDOTES PLVRIMOS, ALI-
 OSQVE CATHOLICOS IN ANGLIA VA-
 rie vexatos, publicè condemnatos, extremoquè supplicio affe-
 ctos fuisse, solius causa religionis, & quia nouis quibusdam
 Protestantium legibus minimè obtemperarunt, quibus ea quæ
 ad Christiani hominis officium ac religionem Catholicam
 pertinent, læsa Maiestatis crimina fiunt; sine ulla ve-
 terem patria legum auctoritate, aut eorum cri-
 minum vel leui saltem suspitione, quæ an-
 tiquitus sub læsa Maiestatis nomine
 sunt comprehensa.

CAPVT. I.



AM verò ad præcipua huius Li-
 belli capita accedamus. Ac pri-
 mum quidem illud constanter
 verissimèq; affirmamus, splen-
 didum esse mendacium quod ti-
 tuli loco atque inscriptionis, li-
 bello præfixum est: *Nullos videli-
 cet Catholicos, aut certè non eos quos
 isti occiderunt, quicquam pro religione passos fuisse: neque
 modò mendacium esse, verumetiam cum ijs quæ in
 ipso libello postea scribuntur, manifestè pugnare. Fa-
 tetur enim, licet rectè & dissimulanter, in quosdam reli-
 gionis causa aliquando animaduersum fuisse. Quod si ne-
 gare audeat, testes appellamus quotquot sunt in An-
 glia Catholicos viros, ipsosque adeo hæreticos, quos
 pro sua modestia atque æquitate, liberè passuros non
 dubitamus, plenos iam esse, multisque etiam annis*

*Mendacium
manifestum.*

fuisse Angliæ carceres, virorum cum sanguinis nobilitate, tum virtute ac pietate illustrium, in quos nulla neque læsæ Maiestatis, neque alterius cuiusque criminis, si modò Catholicæ religionis ac fidei professione excipias, vel minima cadere suspitio queat.

Quod etiam vel ex ipsis comitorum actis quæ ante triennium Londini celebrata fuerunt, manifestè apparet. In quibus cum Regina (de more) ob contributas sibi pecunias, vniuersæ plebi gratificandi studio, fontibus veniam generalem daret, pænisque legum quas incurrissent, solueret (hoc enim in Anglia fieri solet) persuasum ei fuit ab hæreticis, vt Catholicos exciperet ab hoc cõmuni beneficio, quo fontes omnes fruebantur, quanquam in pecunia contribuenda (quæ huiusmodi indulgentiæ causa est, Catholici semper plus carceris onerentur. Hæc sunt statuti verba; *Cauetur etiam, ne hoc edictũ generalis veniæ seu indulgentiæ, extendi possit vllõ modo in fauorem alicuius, qui vltimo die huius præsentis sessionis, vi atquè authoritate alicuius mandati, tenetur carceribus, vel alia quacunque speciali custodia, priuatus libertate ob pertinaciam et inobedientiam, quæ recusat adire ecclesiam diuinoque interesse officio; aut propter vllam aliam rem aut causam pertinentem ad dictam eorum obstinatissimam pertinaciã ac inobedientiam in negotio religionis, quæ iam legitime in hoc regno stabilita est. Vnde decernitur vt omnes ac singuli huiusmodi persona, quæ his de causis libertate priuantur, intelligantur exceptæ ab omni beneficio huius indulgentiæ plenariæ, quam diu in dicta pertinaciã et inobedientia permanserint. Quibus verbis nihil (opinor) clarius aut manifestius asserti potest, ad refutandum aduersariorum commentum, quo persuadere volunt nemini in Anglia religionem esse fraudi: quod publicis totius regni actis tam facile refellitur.*

1730 1381

Statutum
Parlamentis
A^o. 23.
EliZabe-
thæ. cap.
16. 10
Catholici
excipiuntur
ab omni in-
dulgentia
quæ fontibus
reliquis
tribuitur.

hoc edictũ generalis veniæ seu indulgentiæ, extendi possit vllõ modo in fauorem alicuius, qui vltimo die huius præsentis sessionis, vi atquè authoritate alicuius mandati, tenetur carceribus, vel alia quacunque speciali custodia, priuatus libertate ob pertinaciam et inobedientiam, quæ recusat adire ecclesiam diuinoque interesse officio; aut propter vllam aliam rem aut causam pertinentem ad dictam eorum obstinatissimam pertinaciã ac inobedientiam in negotio religionis, quæ iam legitime in hoc regno stabilita est. Vnde decernitur vt omnes ac singuli huiusmodi persona, quæ his de causis libertate priuantur, intelligantur exceptæ ab omni beneficio huius indulgentiæ plenariæ, quam diu in dicta pertinaciã et inobedientia permanserint. Quibus verbis nihil (opinor) clarius aut manifestius asserti potest, ad refutandum aduersariorum commentum, quo persuadere volunt nemini in Anglia religionem esse fraudi: quod publicis totius regni actis tam facile refellitur.

Deinde etiam illud luce clarius demonstrabimus, quod isti suo in libello tanto studio cælare nituntur, plurimos in Anglia non modo pecunia multatos, vel

manet

mancipatos carceribus, verum etiam crudelissimè tortos, ad tribunalia abreptos, condemnatos, tandem què crudeli morte affectos fuisse, non alia certè quàm religionis solius causa, atque ob noua quædam edicta, quibus nihil commune est cum veteribus illis læsæ maiestatis crimina complectentibus, quæ regnante *Edo-*

Vixit E-
donardus
trecentis
serè abhinc
annis,

Qua de re vt apertius, & signatis (quod dicitur) tabellis agamus: proferimus vobis, exempli causa, venerandum imprimis sacerdotem sacræ Theologiæ baccalaureum, *Cuthbertum Maynum*; qui *Lansonij* in prouincia *Cornubia* pretiosam in conspectu domini mortem fortiter passus est, quòd apud illum parua quædam inuenta esset theca (quales sunt in quibus Catholici pietatis ac religionis causa Agnos Dei gestare solent) vnà cum nouissimi Iubilæi indicti ad annum 1575. (qui tum præterierat) exemplari, typis extra Angliam excuso. Quem virum nulla profectò veterum legum autoritate, ob huiusmodi leuissima condemnare potuistis (quantumuis id imperitæ plebeculæ persuadere cupiatis, externisque populis qui calamitatem nostram vestramquè crudelitatem nondum satis habent exploratam) sed tantum prætextu recētis statuti, quòd anno Regiæ huius decimo tertio condidistis. Quo nimirum statuto, bonis fortunisque omnibus exuitur, & perpetuis carceribus addicitur, si quis rosaria, sacras imagines, Agnos Dei (sic enim vulgo a Catholicis vocantur) in Angliam importauerit: grauissimum vero perduellionis crimè esse decernitur, si quis Bullas Pontificias, aut vt ipsis edicti verbis vtar, *Scriptum aliquod, aut instrumentum, siue literis siue typis consignatum ex ciuitate Romana in Angliam deferat, quicquid tandem in eisdem contineatur, Quibus sanè verbis, perduellionis faciliè reum peragatis, qui vel literas quas-*

Cuthbertus
Maynus
martyriq
affectus
à Domini
1577. pro-
pter thecã
quandam
et Iubilæi
ad annum
1575. ite-
dicti exem-
plar.

Statutu nomen
1571

Suum &
ridiculum
Anglicano-
rum here-
ticorum in
Catholicos
statutum.

cunque testimonij aut commendationis fortè gratia scriptas, vel exemplar aliquod alicuius antiqui Patris, aut noui Testamenti manu-scriptū, Roma secum in Angliam detulerit : res post homines (opinor) natos inaudita, exterisque omnib⁹ planè incredibilis, & quæ posteris etiam nostris fabula futura sit, vel potius exemplum sanè clarissimum summæ illius immanitatis, inquam deserta semel Christi ecclesia, regnum quoduis incidere poterit.

Do. Try-
gionos.

Thomas
Shervvo-
dus martyr
Londini.
A^o. 1578.

Nec in huius vnus viri supplicio constitistis, sed vel tantuli criminis affinitatem ad alios deriuastis, grauissimequè vindicastis. Inter quos est quidam vir nobilis peruetustæ familiæ, qui quòd sanctum hunc sacerdotem *Maynum* in ædes suas admisisset (etiãsi de theca & Iubilæo nihil quicquam sciret) perpetuo carceri adiudicatus etiamnum viuit, fortunis omnibus peramploquè patrimonio miserè spoliatus. Haud aliter *Thomas Shervvodus* homo laicus in ius vocatus, tandemquè publicè necatus est, ob fidem suam de primatu Pontificis in rebus spiritualibus, aliisque religionis articulis, quos si quis vel affirmando vel negando violauerit, nouis vestris legibus mortis reus efficitur. Id quod biennio, vt minimùm, priùs gestum est, quàm vobis in mentem venit, aut ab vlllo mortalium audita est hæc recens, quæ somniastis, cõiurationis nescio cuius aduersus regnū ac Reginā suspicio. Anno quoquè eodè venerandus presbyter *Ioannes Nelsonus* extrema passus est, quòd fraudulentis iudicum captiosisquè percontationibus eò esset impulsus, vt eam quam amplectitur Regina religionem, hæreticam esse schismaticamquè affirmaret. Quod, crimen morte expiandum statutum, nullis certè veteribus regni Angliæ vllius-ve Christianæ prouinciæ legibus (quod est vestrum nimis apertum mendacium) sed noua tantum lege vestra, eodè illo anno regni *Elizabethæ* decimo tertio, condita ac promulgata. In qua illud conceptis verbis cauetur,

Ioannes
Nelsonus
martyr
A^o. 1578.

Ne quis affirmet eam quæ nunc est Regiam (nequè enim in aliis deinceps regnaturis vim ullam hoc edictum habet) *Hæreticam aut schismaticam esse, sub pœna gravissima perduellionis, & mortis certissimæ.*

Post istos ad iudicem delatus est, mortemquè animo inuictò pertulit *Euerardus Hansius*, recentissimi cuiusdam statuti vi, quod nouissimis regni comitijs eodem anno prodierat: quo perduellionis crimen incurere definitur, *Si quis alicui suadeat ut Catholicam religionem amplectatur.* Quod quidem Parlamèti statutum ut violasse videretur *Hansius*, miris profectò calumnijs perfecerunt aduersarij, ipsius verba pro arbitrio interpretantes: eum eò esset ab illis redactus, ut affirmaret *Summum Pontificem suum esse in causis spiritualibus Superiorem, idemq; omninò ius in rebus huiusmodi nunc habere, quod olim in Anglia habuit, aut Romæ modò habet.* Ob quæ verba summa licet astutia & fraude ab illo per vos expressa, mox accusatus, & eodem loco ac momento condemnatus, paulòque post crudelissimè interfectus est. Cuius certè mors, illiusquè de quo proximè diximus, *Nelsoni*, facile ostendit quàm sit verax & fide dignus *Libelli istius author dum scribit; Neminem in Anglia ob contrarias in religione opiniones vexari, aut ullis læsæ maiestatis criminibus pœnisve inuolui, neq; ullius conscientiam ob contrarias opiniones urgeri aut inquiri solitam.* Ac deinde, vix una aut altera interiecta pagina, eadem repetit; *Nulla facta (inquit) conscientia Catholicorum inquisitione, ut hac ratione in periculum legum criminalium inducerentur: ita ut nemo hæcenus in capitis discrimen, religionis gratia adductus sit, quin omnes quàm diu per naturæ leges licuit, usura vitæ liberrimè fruebantur.*

*Euerardus
Hansius,
Martyr
Londini
anno. 1581*

*Magna in
scribendo
aduersarij
impudètia.*

Ad cuius mendacij refutationem, præter ea quæ dicta sunt, non immeritò etiam producendus est *Gulielmus Laceyus* vir nobilis ac planè venerandus, qui *Eboraci* non ita pridem damnatus atquè occisus est, quòd in genuè fateretur obtinuisse se a summo Pontifice, dif-

*Gulielmus
Laceyus
Martyr
Eboraci
anno. 1583.
propter dif*

*dispensationem
obtentam a
Pontifice.*

*virum ac-
men ad cru-
delitatem
exercendam.*

*Kirkman-
nus.*

*Tomsonius.
Hartus.
Threlkel-
dus.
Martyres.*

*Absoluere
vel absolui
crimen læsæ
maiestatis.*

penfationem *super impedimento Bigamie*, vt sacros ordi-
nes legitimè fufciperet, cuiusque difpenfationis vi ac
authoritate, eodẽ fc accepiffe, palàm agnofceret.
Quorum vtrumque, nouis illis de religione legibus
crimen capitale cenfetur. Horum verò alterum, sacro-
rum nimirum ordinum fufceptionem, læfæ (fi fuperis
placet) Maieftatis crimeu eſſe, miro certè acumine, ex
eo colligunt aduerfarij, quòd qui in Eccleſia Catholi-
ca facris initiantur, obedientiæ iuramentum fuffimo
preſtent Põtifici, homini externo, Regina Angliæ re-
gnique (vt illi aiunt) hoſti. Ex quo deducunt, Anglum
neminem poſſe Sacerdotem fieri Romano ritu, qui ſi-
mul etiam patriæ proditor non fiat. Deum immorta-
lem; tantanè nos tam deteſtandæ hæreſeos tyrannide
oppreſſos, orbis terrarum credet aliquando?

Vnà cum iſto, glorioſam mortem obiit fœlix Sa-
cerdos *M. Kirkmannus* quòd ſe aliquot homines Eccle-
ſiæ Catholiçæ reconciliaſſe fateretur. Atque eadem
de cauſa parem martyrij coronam, in eadem yrbe po-
ſtea conſecuti ſunt, *Tomſonius, Hartus, & Threlkel-
dus* preſbiteri: nullius certè in criminis ſuſpitionem voca-
ti, niſi quòd penitentiæ ſacramentum adminiſtrauerat;
hominẽſq; ab hæreſi abſolutos Eccleſiæ Catholiçæ re-
ſtituerant. Quod quidem non modò in Sacerdote qui
hoc munus exercuerit, verum etiam in eo qui abſolu-
tionis beneficium a Sacerdote acceperit, læſæ maieſta-
tis eſſe crimen ſtatuere: tantę nimirum crudelitati
pretextentes hanc malitioſam calumniam, quòd ij qui
adhuc modum a Catholico Sacerdote abſoluuntur,
Reginæ legibus atque obedientia ſoluti, illius hoſti
ſeſe adiungunt; atque adeo externam iuriſdictionem
authoritatemque admittunt, quæ in penitentiæ Sacra-
mento ſeu peccatorum abſolutione (vt iſti dicunt)
exercetur. Atque hæc ſunt magna illa, ſcilicet, læſæ Ma-
ieſtatis crimina, ob quæ tam multus in Anglia Sacra-
dotũ Dei ſanguis noſtra hac ætate immiani crudelitate
fundit.

funditur.

His adde, si placet, celebres confessores ac marty- A. 1583.
 res duos *Ioannem Slade* atque *Ioannem Bodye*; quorum Io. Slade.
 vterque cum eò esset varijs iudicum interrogationibus Io. Bodye.
 adductus, vt suam de summa quã sibi vendicat Regina
 in rebus Ecclesiasticis potestate sententiam dicere es-
 set necesse (licet hoc a quoquam exigì Libelli author
 impudenter supra negauerit) quia suam vterque de
 Romani Pontificis in rebus spiritualibus primatu fi-
 dem verè Catholicèquè confessus est, & Reginam An-
 glicanæ Ecclesiæ caput esse, aut suprema in rebus spi-
 ritualibus gubernandi potestate præditam, palam ne-
 gauit; publico iudicio damnati fuerunt, idque etiam
 (quod in eo regno mirum videri debet) bis, siue dua-
 bus sententijs factum est: posteriori nimirum senten-
 tia (vt ex tam noua & inaudita iudicij ratione conijce-
 re oportet) priorem corrigente; quam planè iniquam
 esse, nequè suis ipsorum legibus consentaneam perspi-
 ciebant.

Itaque istorum alter *Vintonia*, alter *Andaueri* in
 eadem prouincia, morte multatus est: neutri verò ve-
 tus vllum perduellionis crimen vnquam ab aduersarijs
 obiectum fuit. Quod non modò ex illius iudicij actis
 ac monumentis ostendere facillè possumus, verum etiã
 ex ipsorum verbis, totaque Martyrii historia, quam, ex
 Protestantium numero quidam in lucem edidit, ocu-
 latus rei gestæ testis. Quam rem etiam testantur multa
 hominum millia, qui vniuersam iudicij illius formam
 martyrumq; in morte constantiam, suis ipsi oculis
 conspexerunt. Atquè vt exempli gratia nonnulla illis
 ab aduersario dicta ex illa, quam dixi, historiola typis
 excusa afferam: *Confitere crimen de quo condemnatus es* (ait
 nobilis quidam & vnus ex præcipuis illius sceleris mi-
 nistris) *vt de mortis tuæ causâ, populus fiat certior.* Tum san-
 ctus ille confessor *Ioannes Bodye*, cum suam erga Reginã
 in rebus ciuilibus obedientiam ac fidelitatem profes-

Liber inscribitur.
Executio
Ioanis Slade
& Ioannis
Bodye, ex-
cessus totius
a Richardo
Jones an-
no. 1583.

D. Guliel-
mus King-
mel.

sus esset: *Scitote* (inquit) quotquot adestis, mortem me hodie pati, quia Reginam in Ecclesiasticis causis supremam esse in Anglia, ecclesia Christi caput nego: aliud perduellionis crimē nullum equidem perpetravi, nisi forte Missam audire, aut angelicam salutationem recitare, crimen esse volunt perduellionis.

Causa Mar
tyrj DD.
Slade &
Bodje.

Fœlicissimum verò agōnis illius socium, Ioannem Slade eadem de causa condemnatum, perductum ad supplicij locum & morti iam proximum, præcipuus quidam Calvinismi minister Bennetus nomine, in hæc verba est allocutus. *Noli (miser) Romanum Pontificem indignum illum sacerdotem naturali tuæ Principi præferre, que sub Christo legitimum & supremum est Ecclesiæ caput.* Quæ omnia, non modò quibus aduersarij legibus ad hos viros e medio tollendos vsi fuerint, quibusquæ de criminibus condemnauerint, perspicuè declarāt; verūmetiā

Pag. 10.

illud euidenter in oculis omnium constituunt (quod libelli huius author impudentissimè negare est ausus) vulgò Reginam Angliæ a protestantibus suis & adulatoribus, *Supremum Ecclesiæ caput appellari.* Sic & illorum concionatores quotidie e suggestu plenis buccis declamitāt, & scriptores in libris Reginæ ipsi dedicatis, disertis eam verbis appellant: vt inter alios Brigesius quidam in libris contra DD. Sanderum & Stapletonum, eoquæ nomine nihil est vulgatius, nihil apud populum notius. Cuius tamen rei adeo iam pudet eos

Pudet tandem Ecclesiam Anglicanam sui in rebus Ecclesiasticis Capitis.

qui ex illorum numero paulò videri volunt prudentiores (id quod ex hoc libello manifestum est) vt persuadere hominibus cupiant (exteris præsertim qui rem fam monstruosam mirantur, adeoque & execrantur) nihil huiusmodi aut a Regina vnquam vsurpatum, aut nouis istis in Anglia religionis legibus eidem fuisse concessum. Quod quidem adeo sibi vehementer negandum putauerunt, vt mendacij nos arguere minime dubitent, quod hoc illis dogma tam absurdum obijciamus. Ita enim in hoc Libello habetur: *Quem quidem titulum* (principatus nimirum seu primatus Ecclesiastici)

Pag. 10.

ci) falsissimè aduersarij scribunt atque affirmāt Reginam nostram sibi usurpare; mendacium sanè manifestum & c.

Quamobrem, priusquam progrediamur, pauca de eo obiter dicenda videntur. Sic ergo se res habet. Cùm primo Regine *Elizabeta* anno, primisque generali-
 bus regni Comitij, omnem Pontifici Romano authoritatem abrogassent Protestantes, eandemque totam vnà cum Primatus ac Capituli titulo non secus in Reginam transfundere voluissent, quàm patri olim ipsius *Henrico*, fratrique *Edonardo* tributum meminissent: nonnulli Caluini scriptis permoti (qui huiusmodi appellationem in principibus illis abominabatur) nomen hoc Primatus Capituli que odisse ceperunt; omnemque nauarunt operam, vt nomen aliud, licet idem reuera significans, minus tamen odiosum, vulgò usurparetur. Decretum itaque factum est, Reginam *su-*
premam esse gubernatricem tam in causis ecclesiasticis aut spiri-
ritualibus, quàm in civilibus aut temporalibus: cõceptumque
 iuramentum huic decreto consentaneum, quod omnibus qui magistratum aliquem, siue ecclesiasticum siue civilem gererent, proponeretur; quo iuramento sanctissimè affirmandum, & religiosè testificandũ omnibus erat, hoc se de Regine primatu, conscientia teste, firmissimè credere, quod eo statuto continebatur. Neque Sacerdotem vllum, aut quemuis alium Prælatum Pontificemue externum, posse aut debere vllã in Anglicanum populum potestatem spiritalem aut ecclesiasticam habere, præter ipsam Reginam. Hoc autem quia præcipuũ totius sequuturę disputationis caput & cardo est, ideo cõmodum erit ipsa parlamenti verba & iuramenti formam ascribere; quæ ita sillabatim se habent. *Omnes illæ iurisdictiones, privilegia, superioritates, & præeminentia spirituales vel ecclesiasticæ, quæ per aliquam potestatem vel authoritatem spiritualem aut ecclesiasticam hæctenus exercebantur, vel legitimè exerceri possunt, ad visitandum ecclesiasticum statum atque ordinem, item ad refor-*

1559/3

no caput. sed gubernatrix

Iuramentum quod exhibetur Anglis de capite Ecclesie.

Anno. 1559
 Elizabeta. ca. 3.

mandum, ordinandum, & corrigendum ecclesiasticos homines, & omne genus errores, hæreses, schismata, abusus, contemptus, & prauitates, deinceps in æternum auctoritate huius Parlamenti vniuentur & adiungentur Imperiali diademati huius regni. Forma vero Iuramenti his verbis describitur.

Iuramentum quod exhibetur Anglis de Regina Capite ecclesie. *A: B: Prorsus testificor & declaro in conscientia mea Regiam esse solam supremam gubernatricem & istius Regni Angliæ, & aliorum omnium suæ Maiestatis dominiorum & regionum, non minus in omnibus spiritualibus atque ecclesiasticis rebus vel causis, quam temporalibus; & quod nemo exter- nus princeps, persona, prelatus, status, vel potentatus aut factus aut iure habet aliquam iurisdictionem, potestatem, superioritatem, præminentiam, vel auctoritatem ecclesiasticam aut spiritualem in hoc regno. Ideoq; planè renuncio & repudio omnes forensicas iurisdictiones, potestates, superioritates atque auctoritates.*

Hoc est illud iuramentum, quod non immeritò conscientiarum Anglicarum carnificina quædam appellatur, ne ipsis quidem Protestantibus (si qui inter ipsos religiosiores sint) illud approbantibus, aut veram esse credentibus: Catholicis verò omnibus, ut in huius Regiæ patre *Henrico* viro laico, ac fratre *Edouardo* puero, perquam absurdum atque ridiculum semper est visum, ita nunc in ipsa Regina, cum fœmina sit, res esse monstruosissima videtur, viaque planissima, qua hæresibus omnibus, atque adeo Paganorum Turcarumque infidelitati, imo etiam Atheismo aditus longè facilis in regnum quocumque pateat, si qua forte huiusmodi perfidia (quod accidere non difficulter pro humanæ naturæ imbecillitate potest) contaminatus aliquis Princeps fuerit: cum omnis religio, cultus, fides ab ipsius solo nutu atque imperio pendeat. Id quod omnes certè Christiani orbis populi, nostro hoc tam miserabili exemplo edocti, seridè cogitare, & secum accuratissimè perpendere debent. Pro qua peste auertenda, tot fratres nostri, Catholicæ Ecclesiæ filii, suum libenter

libenter sanguinem fuderunt.

Ac in primis quidem illis regni Reginæque comitijs, de quibus dixi, facile assentior absurdum hunc titulum de Primatu ac supremo ecclesiæ regimine, vel non cogitâti Reginæ, vel non petenti fuisse obtrusum ab ijs qui occasiones mutationum querebant, nec habebant tamen modum vel prætextum quo leges novas de religione conderent, nisi prius omnem autoritatē ecclesiasticam ad Reginā vnā trāsserēt. Quod cūm facere statuissent, laboratum est (vt dixi) de vocabulo quo hæc summa potestas designaretur. Ac primūm quidem non placuit aliquibus *Supremi Capitis* nuncupatio, qua tamen vsi sunt *Henricus & Edouardus* reges. Meminerant enim quā vehementer in illud inuehebatur communis eorum omniū præceptor *Ioannes Calvinus*. *Qui tantopere extulerunt (inquit ille) Henricum regem Angliæ, certè fuerunt homines inconsiderati; dederunt enim illi summam rerum omnium potestatem, & hoc me semper grauius vulnerauit. Erant enim blasphemii quum vocarent eum*

*Ridicula
hereticorū
de Primatu
Ecclesiæ
varietas
& incapar-
stantia.*

*Cal. in
Amos. ca.
7. v. 13.*

SVM MV M CAPVT ECCLESIAE SVB
CHRISTO; & postea *Sacrilegiū* vocat & principes *vedicēt* sibi summū iudiciū tā in doctrina q̄ i toto spirituali regimine. Hūc itaq; scopulū *Summi capitis* nostri eo tēpore, cautē declinarūt; sed ita, vt stupidē in alium magis perniciosum incurrerent. Tribuerūt enim huic Reginæ, *Supreme gubernatricis* appellationem in spiritualibus, tanquā prioris tituli moderationem quandam, sed ineptissimē. Nam si verum fateri volumus, eadem est vtriusque appellationis vis atque notio; aut si est discrimen, in eo positū est, quod posterior priore multo sit absurdior. Rex enim, ecclesiæ quæ in suo est regno, supremū quidem caput, modo quodam loquendi, etsi improprio, vocari potest; quod supremus sit dominus rectorque subditorum omnium, non laicorum modò, verū etiā ecclesiasticorum; cūm vtrique iustis illius legibus ciuilibus sedulò obtemperare debeant.

*Impium
hereticorum
decretum
de suprema
gubernatri-
ce: & ab-
surda que
sequuntur.*

Verum cum in nouo isto edicto, tam disertis addatur verbis, *Reginam esse solam supremam gubernatricem, etiam in causis omnibus, tam spiritualibus & Ecclesiasticis, quam temporalibus*: illudque præterea decernatur, omnem penitus iurisdictionem, omnia priuilegia, omnes denique ecclesiasticas præminentias ac superioritates, quas ullus unquam ecclesiasticus magistratus vel pontifex exercuit aut exercere potest, a Romano Pontifice ablatas esse (cui eas tamé Christus amplissime & cumulatissime tradidit) atque regni Angliæ corone unitas, atque adiunctas; hoc profectò nullam prorsus excusationem admittit, nec veram aliquam aut verisimilem interpretationem habere potest. Regem siquidem omnino cum Sacerdote confundit, nec vllum inter Ecclesiæ statum ciuilemque remp. discrimen relinquit, parem Principi siue Ethnico siue Christiano, potestatem tribuit, quoad Ecclesiam, *Spiritualibus etiam in causis*, gubernandam: vnam Ecclesiæ partem diuersis in prouincijs constitutam, ab altero prorsus separat, & independentem (vt ita loquar) efficit, pro varia regnorum in orbe Christiano diuisione; eos omnes qui extracuiusque regni limites nati sunt, etiam quòd ad ecclesiam illius regni attinet, externos facit & alienos; aliaque sexcenta longè absurdissima, ex impuro hoc fonte promanant, quæ breuitatis causa prætereo.

*Magnus
scrupulus,
an Regina
Angliæ con-
cionari &
Sacramenta
administra-
re possit.*

Istud tamen vnum hoc loco non est omittendum, quod plerisque in Anglia memoria tenere scio, eodè anno quo noua hæc Regiæ tributa est authoritas, eadè etiam quæ ab omnibus iusiurandum ad eandem confirmandam: nonnulli magnis conscientiaæ stimulis agitati, vt sese periculo liberarent, grauem hanc iuramenti non præstandi causam attulere, quòd, si decreti illius ac iuramenti verba accuratiùs expenderentur, etiam concionandi & sacramenta administrandi potestatem, Regiæ tribuere viderentur: quod se iuramento confirmare nullo modo posse aiebant. Quæ res in causa fuit, vt non ita multò post (proxima nimirum cleri per Regiæ

gina vicarios visitatione) interpretatio quedam prioris decreti tipis excusa, regali autoritate prodierit, in qua illud inprimis testatum esse omnib⁹ Regina cupiebat, nihil se huiusmodi meditari: neque hanc potestatem concionandi & sacramenta administrandi in ea quam sibi ipsa vendicabat ecclesiastica iurisdictione, omnino contineri, nihilque se aliud hoc iuramento assumere, quam quod patri suo fuerat concessum, & *Supremi ecclesie Anglicanae capitis* nomine comprehensum. Ex quo illud perspicuum euadit, vel ipsis testibus, nihil nos falsum comminisci, nihil quo populo imponamus, confingere; (quod tamen adeo vehementer libelli huius author cōtendit) cum Regnam *Supremum ecclesie Anglicanae caput* & vocari dicimus, & haberi: quanquam qui deinceps sequuti sunt hæretici, quod rem esse longè absurdiorē ac magis perniciosam cernant, quam nefariā illius legis primi conditores (prophani nimirum homines, cupiditate cæci, ac plerique omnes indocti) intelligētia assequi poterant: rem totam nunc obscurare, negare, atque ex animis hominū memoriaque delere conantur.

Huius igitur absurdissimi dogmatis ac portentosi paradoxo refellendi causa, vt sub Henrico octauo celeberrimus ille *Reffensis* episcopus, ac *Thomas Morus*, alijque quamplurimi; ita nunc sub eius filia, duo isti quos proximè commemorauī martyres, alijque non pauci, lati constantesque vitam profudēre: ideoque verum est eos non ob perduellionem aut læsam Maiestatem, sed ob solam fidem, & meram religionis Catholicæ professionem occubuisse.

Atque vt hunc locum de causis interfectorum aliquādo cōcludamus; meminerit (quæso) aduersarij, innocētissimi illius opificis *Carteri*, quem nuper ob excusum *De schismate* Catholicum librū, è medio sustulerunt: in quo tamen libro nec verbum vnum aduersarij, quod regni statum attingeret, inuenire potuerūt. Cri-

Animaduertere hunc circulum in declaratione potestatis supremae ecclesiasticæ quam Regine tribuunt.

Reffensis & Morus Martyres, eorumque martyrij causa.

Carterus Martyr, Londini ob excusum librū Catholici.

De iudicio
facto

minis verò loco, illud, homines crudelissimi arripuerunt, quod eius libri author scripserat Catholicam religionem de hæresi aliquando triumphaturam, & piam Iudith, Holofernis caput præcisuram. Et quanquam hoc nulla æquitate ad Reginam referri poterat, ut omnibus est manifestum: tamen isti, sceleratæ conscientiæ stimulis agitati, & vel suam (uti dicitur) umbrâ metuentes, illud de Regina dici voluerunt.

Fol. 20.

Quida Catholicis hæretici per tormenta exquirant.

circulatori

Quoniam vero huc vsquè orationis cursu delati sumus ut de calumnijs loquamur; monet locus, ut de inmanissimis illis tormentis, quibus Catholicos homines frequenter subiiciunt, pauca dicam: quo quidem supplicij genere in neminem se aduersarij solius causa religionis animaduertere, exteris persuadere hominibus conantur. Exempli gratia, inquit illi ad calcem Libelli sui, *Nemo sanè questioni subiectus, interrogatur, quid de Missa aut de Transsubstantiatione, alijsq; similibus sentiat;* perinde ac si istud satis esset ad eos hac accusatione de Catholicis ob Catholicam fidem excarnificatis liberandos. Quasi verò ad Catholicam fidem ea sola pertineat, quæ in intelligentia potissimum ac theoria consistunt: cum ad religionem non minùs illa quoquè pertineant, quæ adeo crudeliter tormentis exquiritis; ubi nimirum quibus in ædib? quo die, quaque hora, rem sacram vel facimus vel adimus? quot homines Ecclesiæ restituumus? quid in Confessione a pænitentibus audiuiumus? quinam ad nostros conciones accedere solent? qui nã, Catholicos aut Sacerdotes hospitio excipiunt, aut vltimum illis auxilium præstât? quinam illi sunt qui liberos aut pupillos suæ curæ creditos in Societate Iesu aut Seminarijs transmarinis habent? ubi libri Catholici, & a quibus imprimantur? ad quos, aut per quos in Angliam deferantur? Quæ omnia & singula cum non nisi pessimo animo, ad Catholicæ fidei detrimētum longè maximum, summamq; perniciem Sacerdotum Dei aliorumque hominum innocentissimorum postulentur;

& con-

& contra diuinum & contra naturæ ius est, vt quis ea patefaciat, ideoque nec tale quippiam euulgandum est, etiam si maximus in orbe terrarum Rex aut Monarcha præciperet, eo quòd Deo obedire oportet potius quàm homini. Huiuscemodi tamen fuere hisquè similia, quæ vt ex illo sanctissimo Cõfessore Brianto elicerent, præter alia tormenta, sub illius etiam vngues peracutus acus singulari crudelitate infixerunt, alijsquè acerbissimis doloribus variè excruciarunt; adeo vt fame atquè inedia per duos dies affligerent: quæ isti omnia obstinationi & pertinaciæ attribuunt, nos vero quia propter Christi causam tolerata scimus, gloriosam constãtiam & heroicam animi inuicti magnitudinem appellam⁹. Et ad alia huius omnino generis & conditionis inuestiganda, beatos Martyres *Campionum*, *Sheruinum*, aliosquè plurimos, eidem carnificinæ subiccerunt. Atque a *Sheruino* nominatim postulatum est, vbi nimirum *Personius* & *Campionus* Societatis Iesu Præbyteri laterent; & an Missæ sacrificium in cubiculo domini cuiusdam Roscarocke celebrasset, quântumque ab illo pecuniæ in eleemosynam accepisset? Quæ verò tormenta non passus est optimus ille doctissimusquè Sacerdos *Tomsonius*, vt illud vnum ex illius ore exprimeretis, in quem vsus altaria quædam portatilia apud se seruaret, & quibus in locis, his vti statuisset? *Carterus* verò, de cuius martyrio supra diximus, ideo tortus crudelissimè fuit, quòd fateri nollet quibus nobilibus, vel viris, vel feminis, libellos quosdam Catholicos apud se inuentos de rebus spiritualibus, dare constituisset. Atquè hæc arbitror abundè sufficere, vt falsissimum esse omnes intelligant, quod singulari impudentia, aduersarius iste asseuerat: *Neminem nisi perduellionis de crimine, quæstioni hætenus fuisse subiectum.*

*Alexander
Briantus
Martyr
Lõdini variè excruciatus.*

*Campionus.
Sheruinus.*

*Tomsonius.
Carterus.*

Quod si quis plura adhuc testimonia in hoc negotio requirat, hæc quæ sequuntur alterius Sacerdotis innocentissimiquè martyris *Thoma Cottami* verba,

Thomæ
Cottani
Martyris
verba de
examine
suo sub tor-
mentis.

quæ pro tribunali protulit audientibus vniuersis, rem totam illustrabunt, & teterrimæ huius hæreseos barbariam ostendent, quæ non nisi luculentis mendacijs & insigni crudelitate tueri se potest. Sic ergo ille præfentes crudelissimarum quæstionum præfides atque magistros magna cum animi constantia est alloquitus. *Estis* (inquit) *reuera secretorum inquisitores, omnino enim scire ex me voluistis, quæ mihi a Cōfessario pænitentia esset pro peccatis iniuncta. Atque ut meam ipse imbecillitatem animi ingenue fatear, ego quidem (quod mihi Deus condonet) ne tam horrenda subirem tormenta, quod res erat, planè vobis exposui. Verum cum me urgere deinceps pergeretis, ut ipsa etiam peccata mea ob quæ ista mihi pænitentia peragenda esset, vobis ordine recensere: respondi, mea me peccata nulli nisi Deo ac Cōfessario detecturum. Quæ vos responsione ad iram prouocati, incredibile dictu est, quàm me crudeliter torqueri iusseritis, eadem sepe inter cruciatibus interrogantes. Ego verò quod a me petebatur, barbarum esse atque ab omni humanitate alienum affirmavi; nec me, etiamsi vitâ ipsam cruciatibus eriperetis, ad ista quicquàm responsurum. Hæc vir sanctus pro tribunali loquebatur præsentibus aduersariis, quos cum non parum puderet tantæ immanitatis, vnus ex omnibus Odoænus Hoptonus castri Londinensis præfectus, qui etiam cruciatibus præfisse solet, vir frontis perfrictæ, negare omnia magno supercilio aggressus est. Cui Martyr. *Hæcine vera esse negas, quæ narro? Ecce tibi præfentes doctorem Hammonium reliquosque commissarios, qui, cum torquerer, astabant, quorum ego conscientiam testem appello, Deumq; ipsum testor, vera esse quæ dico. Quo dicto, compellabat etiam in testimonium equitem quendam auratum, qui astabat, Georgium Careum (Hoptono nequitia parem, vel etiâ superiorum) qui & ipse interfuerat quæstioni habite, & horum nonnulla interrogabat, & alia huiusmodi videbat a sanctis dei martyribus per tormenta exquiri, quæ ad fidem & sacramentum Confessionis pertinent, nulla facta de criminibus perduellionis mentione.**

Odoænus
Hoptonus.

Doctor Ham-
monius.

Georgius
Careus.

Iam verò quòd ad summam illam lenitatem attinet miramquè (si dijs placet) clementiam, qua in tormentis inferèdis, Reginae ministros semper fuisse vsos, scriptor iste persuadere conatur: ea quanta fuerit, supradicti Dei Martyres aliiquè nonnulli magno suo dolore atquè cruciatu senserunt. Nouit etiam summus ille rerum omnium arbiter, quem latere nihil potest (& qui aliquando repondet) summa vos semper seueritate extremaquè acerbitate erga nos in hunc vsque diem vti solitos. Et quod etiam grauius est & iniquius, quaestiones vos grauissimas non rarò exercuisse, nullo vel probabili alicuius criminis suspitione adductos, sed tantum odio & improba Catholicos vexandi libidine. Dicite enim ingenuè, quid suspitionis vobis dederat ille iunior *Sheruodus*? quaenam criminum signa in eo deprehenderatis, vt tantis eum cruciatibus conficeretis? Hic enim primus nostra (quod sciam) memoria, pro religione lanienam vestram est passus, atquè eo quidem tempore, quo nondùm de noua hac quã nunc fingitis coniuratione, vel per somnium quisquam cogitauerat. Ipsos ego vos iudices facio, an altare (vt vocant) portatile, ob quòd iam diximus *Tomsonium* grauissimè fuisse tortum, argumentum satis magnum & euidentis esse debuerit ad homines tam clemètes atquè humanos, quàm vosmetipsi vos prædicatis, ita permouendos, vt in virum inprimis venerandum, nequè vnquam de aliquo grauiori crimine (si religionis atquè conscientiaë causam excipias) suspectum, tam immaniter seqüeretis? An sacrarum precum ac spiritualium meditationum libri, eorùmve impressio ac distributio, in vlla rectè instituta republica, iustam quaestionis habèdæ causam præbere possit? An vestra ille tam sæpe commemoratæ interrogationes, satis in se ponderis momenti què habeant, ad homines (ni mox respondeant) eculeo subiiciendos? Proferte verò si potestis, aliquid tandem, tanta in nos crudelitate dignum; & (cùm hoc

Hereticorum crudelitas in Catholicis torquentibus.

Indignissima causa tormentorum.

vnum vos agere tantoperè Libelli author contendat, vel vnus saltem facinoris contra Remp. concepti confessionem, tot quæstionibus teterrimis expressam, orbi Christiano aspiciendam producite.

*Politici
Angli per-
sequuntur
religionem
licet reli-
gionem non
curent.*

At nihil est huiusmodi; nihil enim erat profectò, nihil profus erat in pijs illis ac religiosis innocentissimorum hominum pectoribus, præter innocentie, pietatis, ac religionis studium: quod solum (vt verè dicā) tam atrocibus supplicijs in seruis Christi vindicatis, odioq; plusquam vatiniانو prosequimini. Etenim, si vestris prophanis legibus vel in re minima parere voluissent, & ad schismaticas illas preces vestras vel semel vobiscum coire (quod illi meritò detestabantur): nunquam, nunquam illis quæstiones atq; tormenta carnifices vestri admouissent. Ex quo nemini non perspicuum euadit, omnem hanc crudelitatem, solius causa religionis in nos fuisse exercitam: non quidem quòd vos vlla cuiusquam religionis magnopere cura teneat, cuius omnem iam ferè cogitationem pleriq; abiecitistis: sed quòd non pauci vestrum sint, qui vniuersum suarum rerum statum ac felicitatem (rapinis nimirum & aliorum spolijs collectam) ab hac trimestri religione pendere existiment.

*Campianus
torus quòd
Hybèrtiam
inuadere,
& occidere
vellet Ma-
ximam.*

Sed vt paululùm adhuc vltèriùs in acerbitate vestra perstringèda progrediamur; quæ vos suspiciones adeo vehementes impulerunt, vt de Hybèrticis rebus tam atrocitèr doctissimum virum Campianum examinaretis, sicq; cum illo ageretur quasi de cede *Maximæ* perpetranda cogitasset (sic enim Oedipus iste ænigmatice loquitur) cum vniuersa Anglia sciat hanc fuisse iniquissimam & falsissimam calumniam? An non persèpe teterrimum carcerem, persèpe tormenta estis minati, atquè interdum Catholicos ad ipsum carnificinæ locum adduxistis; nec adduxistis modò, verùm etiam in equuleo extendistis (quos tamen eo tempore non erat animus torquere) tātum vt pænarum metu vel fidem Catholi-

tholicam abiurarent; vel ubi Missam audissent, vobis enuntiarent; vel alia huiusmodi quæ scire cupiebatis, exponerent? Quoties inedia & teterrimi carceris fæ- tore felicissimum adolescentem ac fortissimum Dei Confessorem *Ioannem Hartum* afflixistis? quotidieq; adhuc affligitis, non alia certè de causa, præsertim iam cum vestris legibus ad mortem sit damnatus, quàm quòd Catholicam fidem intrepidè tueatur aduersus fraudes & ineptias *Raynoldi* cuiusdã Ministri *Calu- niani*, quocũ Dei hominem de rebus controuersis con- ferre voluistis.

Ioannes Hartus.

Quamã verò alia de causa tam dira & inhumana nuper estis comminati *Osburno* Sacerdoti, in Missa celebranda deprehenso, nisi vt se rem sacram peregis- se fateretur coràm celeberrimis illis vereq; nobilibus confessoribus *Barone Vauxeo* & *Thoma Tressamo* equite aurato, quos eadem de causa, iniquissimè pœna pecu- niaria multastis? & quod longè adhuc intolerabilius est, nonnè equulei vestri terrorem, plerumq; homini- bus incutitis, vt pro vestro arbitrio crassa affirmen- mendacia, ad viros nobiles præsertim, licet innocen- tissimos accusandos? Atquè hoc publico etiam scripto testatus est nuper ex vestris verbis ministris, quidam *Ioannes Nicolaus*, cuius infirmitate & nequitia ad sangui- nolentam hanc tragædiam abusi estis. Falsus est enim se coactum ab *Odoeno* illo *Hoptono*, turris Londinensis præfecto, quem supra nominauimus, idq; proposito ante oculos equuleo, vt viros aliquot nobiles ab *Odoe- no* nominatim præscriptos, læsæ Maiestatis insimularet quos ipse ne de facie quidem nouerat, nec de aliqua eorum offensa quicquam sciuerat. Sed tamen (vti scri- bit) obtemperandum fuit, *Odoeni* mandato, licet per- iniquo; vt sic ipse, cruciatus & tormenta euaderet. Ni- hil hic dicemus de miserabili statu in quem multi con- iecti sunt ex intolerandis ærumnis & molestiis vnicu- lorum, compedum, fætoris atque inedia: neq; de re-

D. Vau- xeus.

D. Tressa- mus.

In Epistola

Ioannis Ni-

colai ad D.

Alanũ ty-

pis excusa

anno. 1582

Fol. 10.

*Christophorus VVat-
sonus ac alij
circiter vi-
ginti, carce-
ris tabe ne-
cati. anno.
1581.*

centi morte *Christophori VVatsoni* viri pij & prudentis, & aliorum Catholicorum laicorum vtriusq; sexus plus minùs viginti: qui cum in Eboracensi carcere ob religionem inclusi essent, ac propter situm, pèdorem, angustias, & læthalem carceris tabem in summo vitæ discrimine versarentur: nullis precibus (quæ Protestantium est summa lenitas atq; clemètia, a Libelli auctore tam mirificè prædicata) impetrare potuerunt, vt ad imminentem ceruicibus mortem auertendam, aère paulò liberiore fruerentur, ni priùs (quod illi morte ipsa peius oderant) hæreticas illorum conciones precesque adirent. Neq; commemorare hoc loco libet (quod tamen non diligenti modò obseruatione, verum etiam summa omnium verè Christianorum commiseratione dignissimum est) veteri vos Paganorum more *Dominicos* potissimum festosq; dies solèniore eligere, in quibus crudelitatem vestram in Catholicos exerceatis: illis enim præcipuè diebus equuleos & tormenta adhibetis. Aliudq; adhuc genus immanitatis hoc ipso multò crudelius in more habetis, hoc est, vt quos eodem in carcere habetis captiuos, ad tormentorum locum de industria adducatis, dum ceteri torquentur, vt miserandos charissimorum fratrum eiulatus audiant: imò iam recens tortos ad aliorum in carcere Catholicorum fenestras, & vestibula deponere soletis, vt miserabiles eorum gemitus suspiriaque dum audiunt, de sua in religione constantia aliquid remittant. Quam quidem feritatem plusquam barbaricam, non attribuerem sanè supremis Magistratibus, multò verò minùs Reginae, quæ semper ista non intelligit: sed inferioribus iustitiæ vel potiùs iniquitatis vestrae ministris, quos nefariæ & sacrilegæ in Sacerdotes Dei aliosq; viros innocentissimos crudelitatis crimine, nemo poterit liberare.

*Campianus
& Briatus
vt in equuleo tractati.*

Quòd autem Libelli auctor *Campianum & Briantum* quasi quædam illorum preclaræ clementiæ, & in torquendo

quando lenitatis, exempla protulerit: æquum ego le-
ctorem, vehementer rogo, vt latinam Brianti ipsius
hac de re epistolam legat, vbi videbit, quid passus sit il-
le vir sanctus, & quibus de causis. *De Campiano* illud cō-
cedo, eo tempore quo (post primam lanienam) cum
hereticorum ministris in Turre Londinensi disputa-
uit, non ita penitus manuum vsu fuisse priuatum, quin,
licet agrè quidem, aliquo tamen modo suum scribere
nomen potuerit. Postea verò quàm iterum iam ac ter-
tiò tortus fuisset, adeo certè omni manuum vsu, & reli-
quorum ferè membrorum caruit, vt ne cyathum quidè
leuissimum ori admouere, aut etiam pro tribunali, ve-
lumen de manibus (quo ad vulnera tegenda utebatur)
detrahere valuerit. Postremò verò tortus, ad multos
dies vsu sensuq; suorum mèbrorum omninò priuatus
est. vnde custodi carceris num grauem aliquem ma-
num dolorem sentiret, quærèti? minimè verò (inquit)
nam ne ipsas quidem manus sentio.

*In calce lib.
de perse-
quitione
Ang. lati-
nè adit.*

*Mutilatio
P. Cāpiani
ex tormētis.*

*Paynus
Martyr.*

Ac multa quidem alia huiusmodi ac fortasse grauiora, Sacerdoti Dei *Payno*, aliisq; quàm plurimis inflicta tormenta, facile esset hoc loco recensere: verum hæc satis multa arbitror, ad impudentissima Libelli istius mendacia plenè confutanda, orbiq; Christiano testificandum, quot quantasq; persecutiones, quàm graues ærumnas ac calamitates, Catholici fratres nostri & superioribus annis religionis causa perpeffi fuerunt, & in hunc vsq; diem patiantur. Quæ nos quidem omnia, quia cum aliquo gentis nostræ dedecore coniuncta esse videtur, libentissimè profectò taceremus: nisi iustissimæ defensionis necessitas, loqui omninò cogeret: iuberetq; etiam nos Christiana charitas, nationes alias Principesq; omnes Christianos monere (qui adhuc catholica fide ac religione, quæq; in illa sola est, vera cōscientiæ libertate feliciter diuino munere ac benignitate fruuntur) vt nostræ tantæ calamitatis ac miseræ exemplo sapiant, nec pestiferæ huic sectæ vllum in suas

*Admonitio
ad Princi-
pes Catho-
licos vt ca-
uant ab
hereticis.*

respublicas aditum patere sinant. quæ principio callidè, ficta quadam libertatis pollicitatione, aures hominum animosq; demulcet: at vbi semel vires ceperit (capit autem facilè, ni maturè ac fortiter principijs Magistratus resistent) omnia in feritatem quandam planè barbaram & beluinam conuertit; tantumq; Ecclesiæ Catholicæ odium, suorum sequacium pectoribus inferit, vt veram hanc & vnicam Christianorum omnium matrem, ipsis etiam Paganis virulentiùs persequantur: omnes deniq; leges a summis Pótificibus, pijsq; principibus Christianis aduersus hæreticorù rabiem, aliorumq; perditorum hominum improbitatem sanctissimè olim latis, ad innocētissimorum hominum, quibus illæ leges auxilio esse solebāt, spoliationem, excidium, certamq; perniciem, summa iniquitate detorqueant.

Atq; hæc cùm iam sit patriæ nostræ charissimæ calamitas, nec vlla nobis alia suppetant humana auxilia, quibus eam felicitàti pristinæ restituamus, & cum ea, serenissimam Principem nostrā, totamq; adeo Nobilitatē (vtramq; profectò, si hæresim tollas, naturæ bonitate singulari præditam) innumerofq; alios, qui eo morbo in Anglia miserrimè pereūt: nunquam cessabim⁹ diuinā Maiestatem, precibus, lachrymis, adeoq; & sanguinæ nostro sollicitare, donec tandem aliquādo miseretur nostri, atq; ipsorum etiam, qui nūc crudeliter nos persequuntur. Non erit profectò, nō erit diuturna calamitas nostra; breuiq; vmbra illorum felicitas finem accipiet, & suam pars vtrāq; sententiam iustissimam audiet: vbi facta omnium, summa equitate iudicabuntur; *Stabuntq; iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt.* Interea, quoad oīa quæ de nobis aduersarij quotidie cōminiscūtur, innocētiæ nostræ cōsciētia, & iucūda illius diei expectatione freti, ceptum hoc Dei opus, ad nostrā patriæq; salutē *per infamiam & bonā famā*, vt Apostol⁹ iubet, perq; oēs misérias ac erūnas q̄b⁹ mortaliū vita obnoxia est, sedulò psequemur.

Sap. 5.

2. Cor. 6.

Patrem

PATREM CAMPIANVM, CÆTE-
ROSQUE SACERDOTES ET CATHOLICOS
qui falso perduellionis nomine, & simulata veterum cōtra hoc
crimen patriæ legum autoritate ad indices delati, damna-
ti, extremoq; supplicio affecti fuerunt, nihil vnquam
huiusmodi perpetrasse, sed iniquissimè per calum-
niam e medio sublatos fuisse.

CAPVT. I I.



C multos quidem vel nulla lege
conuictos mortem pertulisse, vel
nouis tantummodo legibus, qui-
bus perduellionis nomen fidei
Catholicæ ac religioni tribuitur,
satis opinor clarè perspicuèq; de-
monstrauimus. Illud deinceps di-
sputandum est, num illi etiam qui
ob veteralesq; Maiestatis crimina ad tribunalia tracti
sunt, autoritate (vt isti simulant) cuiusdã statuti quod
anno vicesimo quinto *Edouardi tertij* factũ est, aliquid
omniò contra illud commiserint.

Enumeratur in eo statuto multa que læsæ Maiestatis
crimina cęsentur: ex quibus illud primũ atq; præcipuũ
est, si quis in Principis necē cōspirauerit, aut copias aduersus il-
lum collegerit, idq; factò aliquo aperto comprobati sit. De qua
conspiratione bonus ille pater *Cāpianus* cæteri q; eius
socij, Sacerdotes atq; catholici fratres, summo cū to-
tius orbis Christiani stupore atq; admiratione accusa-
ti fuerunt. Illud enim præcipuè vrgebatur, eos Romæ
ac Rhemis, anno huius Reginæ 22. & die Martij vlti-
mo 1520.

*Patris Cæ-
piani alio-
rumq; fore-
sis accusa-
tio.*

mo, Reginae necem, status euerfionem, regniq; vasti-
tatem clam inter se constituisse; loci, temporis, perso-
narumq; circumstantiæ, quo probabilior accusatio
fieret, addebantur. Quæ quidem calumnia adeò iam
omnium Anglorum oculis patet, etiam hæreticorum,
qui vel mediocri sunt iudicio præditi, vt ad scelus tam
execrandum & detestabile quauis ratione coloran-
dum, qua fronte paulò ante popularibus suis, eadem
planè famosum hunc Libellum talibus incredibilibus
mendacijs refertum, nunc exteris hominibus legèdum
ediderint; nec dissimili omnino euentu. Hoc enim Li-
bello benignissimus Deus suorum Sãctorum nostræq;
innocentiæ potentissimus assertor atq; vindex, ipsos
calumniatores mirificè detexit, suorumq; Martyrum
causam satis superq; probauit; quod ex ijs quæ paulò
post dicturi sumus planius euadet.

*Politicorũ
in Anglia
scopis.*

Cùm ex nostratibus illi qui Protestantium religio-
nem simulant, reuera autem sunt merè *Politici*, hoc est
omnis prorsus religionis expertes, Catholicã religio-
nem contra suam infinitam curam, & singularem dili-
gentiam, & viginti annorũ consilia & molitiones (quo
temporis spatio totam maiorum nostrorum fidem ex-
tinguere penitus & delere opinabantur) multorum in
animis efficaciter restitescere viderent, eamq; nobi-
lissimis quibusq; atq; optimis regni proceribus magis
indies magisque probari; neq; suas nouas, crudeles, &
sanguinarias leges pro supremo Reginae in rebus spi-
ritualibus principatu, latas contra Romani Pontificis
primatum, & sacerdotum in pænitentibus absoluendis
potestatem, atq; adeo contra omnes qui vel Missæ sa-
crificio interessent, vel Agnos Dei (vt vocant) aliq;
huiusmodi nostræ Societatis & communionis cum ve-
teri ac catholica omnium temporum atq; populorum
Ecclesia signa gerebant, quicq; efficere: cùm viderent
neq; dira etiam supplicia, nec mortem deniq; ipsam
tam sæpè intentatam & tam multis illatam, arcere ab

Anglia

*nr. Jomian
sz jesuitoy*

Anglia potuisse Societatis Iesu & Seminariorū sacer-
 dotes, quibus benignissimus Deus maiorem Aposto-
 lici spiritus copiam, ardentiorē zelum, abundantiorē
 deniquē fiduciam, atquē etiam fēliciores progressus
 pro sua bonitate largit⁹ est, quā ex tam paruis initiis
 pleriquē suspicabantur: hæc (inquā) cum cernerent
 Protestantes illi Politici, timere tandem, ne istorum
 Sacerdotum operā maior aliqua in religione mutatio
 fieret, ex qua totus illorum status, id est, paucorum ho-
 minum ambitiosa dignitas pendeat. Itaq; pro veteri
 sua prudentia longo iam rerum vsu exercitata, mutan-
 dam esse accusandi rationem putarunt, & piam fidei
 atq; religionis materiā in inuidiosum læsē Maiestatis
 crimen esse transferendam, quod ad Sacerdotū odium
 etiam exterorum animis ingenerandum, & populariū
 nostrorum voluntates ab illis alienandas plurimū va-
 lere arbitrabatur. Hoc vbi cōstituisent, illud mox cū
 Regijs edictis publicē promulgatis, tūm Libellis plæ-
 risquē famosis, colloquijs deniq; priuatis & publicis,
 sparsisquē rumoribus persuadere populo cæperūt, Ca-
 tholicos omnes, præsertim verò Iesuitas, illosquē siue
 Sacerdotes siue literarum studiosos, qui in *Seminarijs*
 aut collegijs transmarinis erāt educati, perduelles esse
 iudicandos. Quod vt probabilius facerent, dissemina-
 runt in vulgus aliquādiu, summum Pontificem, *Hispa-*
niæ Regem, ducem Florentinū, aliosquē aliquot Prin-
 cipes, operā Sacerdotum & aliorum exulum, mirabile
 fædus de regno Angliæ iunctis viribus inuadendo per-
 cussisse. Verum cum hoc mendacium sua sponte conci-
 disse, mōx aliud excogitarunt; *Iesuitas* nimirum ac Sa-
 cerdotes, sese Hybernijs res nouas moliētibus adiunxis-
 se. Id quod ne prorsus fictum esse videretur, non dubi-
 tarūt Patrem Campianū, tanquā illius rei cōsciū, qua-
 stionibus acerbissimis crudeliter ac sæpē laniare.

Cæterū, cū hoc quoq; mendaciū mox euani-
 fet, aliud non minus impium & detestabile statim emi-

*fædus siue liga-
 fædus.*

*Proclama-
 tio hac de
 re facta est
 anno 1580
 mense Iu-
 lio.*

ferunt, nimirum multos in Seminario Romano & Rheimensi, ad Reginam & nonnullos ex eius Concilio viros primarios e medio tollendos, conspirasse. Atque hoc demum illis egregium quiddam visum est in quo insisterent; ideoque & mox de hoc scelere nostros in iudicium arcessere, damnare, & tanquam perduellionis reos extremo supplicio afficere ceperunt, tanta & tam manifesta cum iniuria, quanta in illo tribunali, propter iustitiam & æquitatem longè olim celeberrimo, nulla hominum memoria visa est & audita. Et in primis quidem ij qui accusatores illis ponebantur ut iudicium animos ad odium permouerent, multa de perduellionis natura, multa de illius turpitudine ac fæditate (quod & Libellus iste facit, cui respondemus) tum de ea rebellionis quæ in ora Regni septentrionali ante annos nunciter duodecem mouebatur (quo tempore isti qui nunc accusantur, pueri in scholis atque Academijs Angliæ, literis operam nauabant) Rhetorum in scholis more declamabant. Addebant multa de Excommunicationis sententia a Pio Quinto Pontif. maximo contra Reginam lata, multis certè annis antequàm istorum quisquæ ex Anglia pedem extulisset, aut Romanum Pontificem, aut Rhemos, aut exteris vllas nationes vidisset: immò cum eorum nonnulli, Protestantium in Anglia partes strenuè pro sua virili tuebatur. De Hybernico deinde tumultu differebant, per *Stucleum*, *Sanderum*, aliosque; concitato, quorum omnino neminem, plerique; eorum qui tum accusabantur aliquando aspexerant: tum quòd a Romano Pontifice essent Sacerdotes creati, quodque; illi (summo nimirum Reginæ hosti) fidem atque; obedientiam promississent; atque; ab illo (peccatores, hæreticos, schismaticosque; pœnitentes) in Anglia absoluedi, & Ecclesiæ Catholicæ restituendi potestatem accepissent: deindeque; quòd eodem tempore quo in Hybernia turbata res erant, in Angliam illi venissent: quasi verò vel non septem vt minimum annis antè fuissent ingressi, ac spiri-

Accusatorum inanes ac a re aliena digressiones.

ritua-

ritualibus hisce muneribus continenter functi; vel nūc his fungi non poterant, nisi in fauorem eorū qui arma contra Reginam sumpserant.

Hæc cum egregij illi declamatores ad iudicium populiq; odiuin inflammandum, pro viribus amplificassent; responderunt Patres ac Sacerdotes, nihil illa vulgaria quæ aduersarij generaliter afferebāt, ad se potius quàm ad alios quoscūq; in Anglia sacerdotes aut Catholicos pertinere, multaq; ab aduersarijs esse commemorata, propter quæ nemo regnante *Edouardo* tertio in iudicium fuisset vocatus, cum tamen legis ab eo latae atq; autoritate suam niti accusationem totam profiterentur. Quamobrem orabant Iudices suos, apertiùs vt secum agerent atq; sinceriùs; Romanæ fidei professionem si obijcerent, nullis tūm testibus, nullis argumentis tam longè petitis, tamq; a re de qua agebatur alienis opus fore: habituri enim erant reos confitètes, & qui ob eam causam suum libentissimè sanguinem vitāq; illis largirentur. quòd si omninò illos perduellionis reos facere statuissent iuxtà veteres patriæ leges, ne deinceps aliorum mortuorū criminibus exaggerandis ipsos in populi odium & offensionem iniuste adducerent, neq; quæ ad solam religionis causam pertinent, aduersus eos vrgerent: quin potius singulos qui tum pro tribunali stabant, accurate & singulatim examinarent de perduellione quæ speciatim singulis intēdebatur. Et si quis ex eorum numero, Reginae mortem fuisset machinatus (quod vnum in illa accusatione forensi continebatur) idq; certis argumentis aut testibus fide dignis constaret, mortem se minimè deprecari; sin minus, sanguinem suum innocētē ex illorum omnijū manibus aliquando requirendum, qui tam iniustæ necis authores aut participes fuissent. Hoc enim crimen quamuis a priuato quocunquē homine, ira, odio, aut cupiditate incenso committitur, in cælum certè clamat, atquē a summo Deo vindictam flagitat. Verūm cum

*Iustissima
martyrum
responsio ac
postulatio.*

in ipso iudicium confessu, per simulationem iustitiæ & legum publicarū perpetratur (vt in Nabothi illius atq; adeo Christi Domini nece legim^o euenisse) lōgè profecto execrabilius est, nec horribilem Dei vindictam diu potest euadere. quam quidem a patria nostra calamitosissima, Deus pro sua immensa bonitate ac misericordia procul auertat, etiam ipsorum sanctissimorum martyrum precibus placatus, quorum aliò qui sanguis tam crudeliter ac impiè effusus, seueram diuinæ iustitiæ animaduersionem meretur,

Breuis ac
dilucida to-
tius dispu-
tationis cō-
clusio.

Quamobrè reiectis quæ ad rem nihil faciunt prolixis illis & puerilibus de summo Pontifice, *Iesuitis, Seminarijs*, doctore Sandero, alijsquè id genus digressionibus (in quibus vt illi tum temporis accusatores & actores, ita nunc huius Libelli author liberè vagatur) nihil est profectò quod innocentes hos martyres legitime iustèq; damnatos concludat, atq; ita iustitiā Anglicanam in eo iudicio defendat & confirmet (de quo Libelli author plurimū laborat, sed rem ipsam nec leuiter attingit) nisi quatenus argumētis solidis & legalibus probatur, P. Campianum & Socios, vel Regina necem, vel patriæ direptionem atq; perniciem fuisse molitos. Nam quicquid aliud admiserit, vel quocunq; modo erga Principem & eum qui nūc est Reipublicæ statum religionis causa animati fuerint, aut quicquid de illa Regina excommunicatione aut depositione sensisse eos post condemnationem compertum fuerit, aut deniq; quascunq; causas timoris legitimas propter turbulenta & periculosa quæ videbantur tempora, vel Magistratus tunc attulerunt, vel huius Libelli author (vt popularibus suis alijsq; nationibus quoquo modo satifaciat) nūc afferre conatur, horum omnium nihil est quod iustè in hos viros animaduersum fuisse probat, donec illud cōstiterit perduellionis crimen, de quo illi initio delati atq; accusati fuerūt; donec (inquàm) demonstratum fuerit eos *Edwardi tertij* legem violasse, cuius

cuius auctoritate ab istis iustitiarum ministris, primum in eos intendebatur accusatio. Hoc enim vnum est, quò dicta, facta, testimonia, rationes aduersariorum omnes sunt referenda; quia hoc vnum est, propter quod, isti hoc loco in iudicium & discrimen capitis vocantur.

Vt ergò tota aduersarij defensio a scopo aberrat longissime, & omnium minimè præstat quod potissimum & maximè expectabatur: ita quatuor illa præcipua argumenta, quæ quasi quandam totius Libelli epitomen (vt lectorè parte laboris aliqua leuaret) coronidis loco adiecit, non minus sunt friuola & inania: ex quibus reliquas Libelli fraudes atq; mendacia, velut ex vnguis leonem, facilè licet agnoscere. Nam cum singulis argumentis illud concludi debet, non per nouas de læsa Maiestate leges (quibus capita fidei & articuli religionis Maiestatem dicuntur lædere) sed iuxta veteres de perduellione leges, sacerdotes istos ad mortè fuisse damnatos; nullum profus est, ex quo hoc confici aut deduci vllò modo possit.

Etenim prima ratio est; Regiam multis annis Excommunicationes & bullas Pontificales penitus contempnissè; tandem vero cum perspiceret eas tendere ad Reipublicæ conturbationem, veteres leges renouauit quibus eas a Regni sui finibus excluderet. Hoc cum sit reliquorum omnium fundamentum, neq; aduersus istos sacerdotes quicquam concludit; & assumit pro veris, quæ sunt perspicuè falsa. Non enim ante illam Pij quinti Pontificis maximi sententiam, de qua in secundo argumento fit mentio, vllæ omnino prodierunt Bullæ aut Excommunicationes quæ potuerunt multis annis contemni; neq; vlla (quarum nos assequi possumus) vetera statuta aut leges extiterunt, quæ aduersus huiusmodi Excommunicationes de quibus sermo est, vllò modo poterant renouari.

Proximo verò argumento illud vnum probant, *Fel-* 2. Ratio.
num quendam ex ipsorum legibus, supplicio capitali

*Quatuor
rationes cur
P. Campia.
& socij sint
cõdemmati.*

Prima ratio.

fuisse affectum, quòd *Pij Quinti* sententiã publicasset, eumq; omnium primum ob res Romã allatas occisum fuisse. Ex quibus num illud inferri possit, Patrem Campianũ cum suis interfectum fuisse, nõ religionis causa, sed ob vetera Regni de læsa Maiestate iura violata, æquus lector facillè iudicabit. Illud etiam iuris nostri peritis expendendum relinquimus, num regnante *Edouardo tertio*, excommunicationis Bullam Roma in Angliam tulisse, læsę Maiestatis crimen fuerit: aut num statuto hoc illius Principis, tale quippiam significetur.

3. Ratio.

Tertiò sic argumentantur; populus in Septentrionali regni parte arma aduersus Reginam sumpsit. non merito igitur Regina suis vsa est viribus ad eos coercendos, & authores debito supplicio mulctandos. Recltè; authores ergo eius rei plecltatur: quid hoc ad istos, qui nec authores, nec adiutores, nec participes erant; nec factò, nec dictò, illi commotioni affuerunt?

4. Ratio.

Quartò, Pontificẽ (aiunt) Romanum Hybernos ad arma concitasse, ijsq; subministrasse auxilia. Quamobrem nõ esse miradum, si Regina seditiosos homines (quales sunt Iesuitæ ac sacerdotes) diligẽter iuestiget, & in inuentos seueritate suarum legum vtatur. At haurum certè rationum neutra coràm æquis rerum astimatoribus quicquàm aliud efficit, quàm puniendos fuisse illos, quos legitimè certisq; argumentis probassent illas Hybernicas turbas & seditiones operã cõsiliouè suo promouisse; quod de quoquàm istorũ sacerdotum nemo mortalium poterit affirmare: nec huiusmodi quippiam illorum alicui pro tribunali obiectum fuit, etiam si quædam huiuscemodi (quod & in hoc Libello fit) ad inanem ostentationem sæpenuerò perstringebantur.

*Rhetorica
aduersarij
occupatio.*

Verum, quia prompta & expedita erat hæc defensio, religiosos nimirum Sacerdotes, & scholasticos plane inermes nihil in bellis siue Angliæ siue Hyberniæ potuisse, dictu mirum est quanto verborum apparatu (vt orato-

oratorem se fortè ostendat) Libelli scriptor respódeat; quamuis in acie non steterint, tamen suo consilio, atq; exhortatione alios ad arma capienda exuscitare, eaq; ratione eiusdem criminis conscios ac participes esse potuisse. Sed hoc vnum in tam breui scripto tam prolixa oratione exaggerare, quid attinebat? cum nemo non fateatur omnes seditiosorum ministros, nuncios, exploratores, approbatores, non minùs sæpenuerò puniendos esse, quam sunt ipsi primarij factiõnis auctores & capita. At si bona fide agere voluisset, ostendum illi fuerat P. Campianum aliosq; sanctos martyres, bellorum siue Septétrionalium siue Hybernico- rum auctores aut adiutores fuisse; qua de re nec in Libello hoc, nec pro tribunali, vel verbum quidem vllù. Tantùm longa textitur & verbosa battologia, nullius verè momenti, sed artificiosè composita ad fraudem hominum simplicium, qui aut non norunt, aut non attendunt, quid in quæstione versetur. Illud autem vnum generaliter inculcatur, Reginam summo iure in læsæ Maiestatis reos animaduertere, de quo nemo vnquam dubitauit. Sed nullo verbulo istos conuincunt aut cõuincere poterût, vel horum criminum, aut aliorum cuiuscunq; generis, quibus leges antiquæ definiunt lædi Maiestatem Regiam: nec nos vlla ratione poterunt refellere, qui argumentis planè necessarijs certissimaq; scientia adducti, Deum atq; homines testamur, nulla eos huiusmodi crimina commisisse, pro quibus summa cum iniuria atq; nefario scelere, infamem quidem imprudentis vulgi iudicio, at pretiosam in conspectu domini mortem obierunt, quæ modò illis *Supra modum in* 2. Corinth. 4. 17.

sublimitate sempiternum gloriæ pondus operatur.
 Cùm autem (vt rem absoluamus) ad ipsum accusatiõnis caput & summam ventum esset, iamq; inanibus verbis, & aduersus Pont. Rom. Religionem, Seminaria, Bullas, Missas, Reconciliationes, Cõciones, Agnos Dei, Rosaria, aliaq; id genùs obsoletis declamationi-

Testes ad-
uersus Sa-
cerdotes
Dei.

D. Augu-
sti. 2. 12.

Ioannes Ni-
colaus in
litteris suis
excusis.

bus resectis & amputatis (quibus tanquam pigmentis
accusationem totam asperferant & variauerant) testes
essent producendi, vnde ostēderetur in Regina necem
reos istos conspirasse; ecce tibi quæsitī & inuenti pro-
deunt duo tres-ue congerrones, primū quidem aper-
tē hæretici, eoq; nomine (si beato Augustino credi-
mus) aduersus Catholicum sacerdotem nequaquā au-
diendi. Deinde vero (quando hæreseos crimen in An-
glia testem minū idoneum hac tempestate non red-
dit) homines vulgo scelerati ac perditī, qui fidem vel
vno asse venaalem habebant, ab ipsis hostibus conducti
vt negotium hoc conficerent. Deniq; eorum nonnulli
in ipsa præsentia iudicium totiusq; coronæ astantis,
adulterij fuerunt accusati: nec adulterij modò, verum
etiam duplicis triplicisq; homicidij, vt alia omittam
facinora planè horrenda, hac vna de causa nequissimis
ganeonibus condonata. Postremò, non modò eo ipso
tempore, verum etiam postea manifestissimi mendacij
conuicti fuerunt: cum nec tempora, nec loca, nec per-
sonæ, aliæq; circumstantiæ vllō modo congruerent; &
paulò post execrandum hoc eorum scelus, vnus ex ip-
sorum numero orbi Christiano patefecit.

Iam verò quis sine lachrimis intueri posset, tot viros,
singulari virtute, eruditione, religione, pietate tam in-
signes, in has angustias adductos, vt eorum vita a vena-
li talium perditissimorum hominum verèq; Atheorū
lingua penderet, & (quod in condemnatione D. Paine
factum est) a leuissimo vnus istarum quisquiliarū ver-
bulo: cum duos vt minimum testes, iura omnia diuina
atq; humana postulent. Erat sanè spectaculum miserū
& lamentabile, nobis tamen horum temporum condi-
tionem aduertentibus, nec mirum, nec inopinatum. Sa-
tis enim intelligebamus a Politicis nostris istos sanctos
viros neci fuisse destinatos, ad statum nimirum sui con-
seruationem, qui ruinam minari illis videbatur, si viros
bonos in eo succrescere paterentur. Id quod & Libelli
author

author non obscure indicat, dum scribit: *Postulasse hoc il-
lorum temporum conditionem sanè periculosam, quando Pon-
tificia iam vires in Hybernia erant, & auxiliares eius copia
quotidie expectabantur in Angliam quoq; mox ventura.* Sic
enim ille callidè auguratur, quo maior sceleris perpe-
trandi necessitas appareat. perinde profectò acsi dice-
ret, eam fuisse temporum conditionem, vt quacunq;
occasione, per fas aut nefas, iure siue iniuria, ad aliorù
terrorem necandi omninò fuerint.

Proferunt igitur testes illi nullius fidei, nescio quæ
Romæ atq; Rhemis (vt aiebant) contra Reginam &
Patriam dicta & constituta. Quæ quidem omnia im-
pudentissima fuisse mendacia, quotquot ijs in locis eo
tempore degebant, compertum atq; exploratum ha-
buere. Et licet quicquid scelerati illi homunciones, ab
Anglis Romæ Rhemisq; versantibus dictum fuisse
aut factum, vel verè vel falsò pronunciarunt, illud ad
hos nominatim reos faciendos, improbè & flagitiosè
accommodatum est: tamen (quod est obstupescendum)
istorum balatronum verba, satis virum habuerunt ad
quendam propter coniurationem Romæ Rhemisq;
factam, interimendum, qui nunquam in vita sua, vel
Rhemos, vel Romam viderat, vti constat de Domino
Fordæ. Et eodem testimonio conuictus est P. Campianus,
qui plus quàm sexcentis milliaribus Roma Rhemisq;
aberat, Pragæ videlicet agens; vbi ex Superiorum præ-
scriptione, sacris concionibus, & lectionibus fuerat
occupatus, totos nouem annos ab Anglicis tum ho-
minibus tum negotijs (si precum communionem ex-
cipias) planè disunctus ac separatus; & ne de facie
quidem notus, vel ipsis falsis testibus, vel illorum non-
nullis, qui tunc vnà cum eo ad tribunal stabant tanquàm
eiusdem conspirationis conscij. Valuit quoq; idem te-
stimonium aduersus D. Shert, qui multos ante annos ea
loca reliquerat, & aduersus D. Briantum, & D. Richard-
sonum, qui ante tempus quo testes isti factam coniura-

*Mira pro-
cedendi ra-
tio.*

*Anglicana
iustitia.*

tionem finxerunt, octo menses integros in Angliam reuerterunt. Quin & idem valuit (quo nihil fieri potest vel dictu vel cogitatu magis incredibile) aduersus *D. Bosgrasium*; qui nec vnus e Seminario, vel Romano vel Rhemensi fuerat, nec a summo Pontifice, aut vlllo Ecclesiastico Magistratu missus, nec Sacerdotibus vllis domum redeuntibus notus, nec cur illi in patriam redissent, planè conscius. Inter gentes enim Septentrionales tam diu vixerat, vt patrij idiomatis obliuio eum magna ex parte cæperat; nec in Angliam religionis, sed valetudinis gratia redierat. Et tamen isti, vel omnes, vel saltem pleriq; , tam inter se dissimiles, ætate, vitæ conditione, regionibus in quibus sunt commorati, ac tempore quò apud exterarum nationum vixerunt, ac adeo reditu ipso in patriam, causisq; ac modis redeundi; simul tamen omnes, eodem in loco, idem ob crimen particulare damnati sunt; quia omnes & singuli de Regina trucidanda consilium iniuerant, idq; Romæ ac Rhemis, eo quò testes dixere die. Quæ omnia falsissima fuisse & inter se vehementer pugnantia, cæcis & surdis est euidentissimum.

Quod cum pro tribunali sancti illi Confessores clarissime demonstrassent, eaq; esset non modò flagitiosorum testium infamia, verum etiam obiecti criminis ratio, vt res prorsus incredibilis videretur, nihil tamen hæc poterant ad illos destinata cæde liberandos. quin ad eos omnes occisione occidendos satis superq; visum est, quòd Rom. Põtificis pedes exosculati, eiusq; scholastici atq; alumni fuissent; quòd ab eo viaticum acceperant; quòd Cardinales Romæ vidissent, aut alloquuti fuissent; quòd sacris ordinibus Romæ, aut alibi essent initiati, & in Angliam deniq; missi a suis Superioribus, qui iam existimantur iurati patriæ hostes. Quæ quidem omnia eiusmodi sunt, vt ea cum singulari martyrum sanctimonia & probitate, cumque inusitata tum iudicum, tum testium subornatione, corruptione,

ruptione & iniquitate, in toto hoc iudicio comparata, magnam illorum innocentiam aduersus omnes Libelli huius aliorumq; calumnias, abundanter defendant.

Illud verò omnium maximum est; quòd in extremo certamine conflictuq; , cùm iam nunc mortem esset subituri, tanta animi constantia ac libertate palàm omnes professi sunt, nihil se eorum criminum ob quæ eodemnati erant, vel commississe, vel animo aut cogitatione designasse. Quis autem nisi mentis experts credat, tales viros, morti iam proximos, reclamante conscientia, ad certam animæ & sempiternam perniciem mentiri voluisse, qui nec teterrimæ mortis obiecto discrimine induci potuerunt, vt vel minima in re, quæ cõtra fidem & religionem pugnaret, hæreticis consentirent? Sed superfluum est argumentis conquisitis eorũ innocentiam velle ostendere, quæ ex ipsa rei gestæ historia, apud omnes lectores intelligentes meridiana luce est clarior. Si enim Reginam supremam in rebus spiritualibus gubernatricem agnoscere voluissent, aut religionem Catholicam deserere, & sese ad Protestantium impietatem amplectẽdam inflectere, mox omnino periculo fuissent liberi: id quod non tantum mortis tempore, sed etiam antea sæpenumerò, singulis erat oblatum. Immo eorum nullus fuit, quos isti tam sceleratos videri perduelles cupiunt, quem non libenter in gratiam recepissent, magnisq; etiam honorib⁹ viteq; huius commodis amplificassent, si vel vnã adire hæreticorum concionem voluisset.

Ac illud quidem perspicuum est, integerrimos viros, cum iam ad furcas attracti omnem vitæ huius spẽ, curam, & cogitationem abiecissent, liberè fuisse eloquuturos, si quippiam contra Reginam concepissent; aut si tale aliquid a suis Superioribus præscriptum ipsis fuisset; aut deniq; si Ecclesiastico suo ordini consentaneum putassent, alijs quàm religionis, prædicationis,

*Martyrum
morientium
Protestan-
tiones.*

*Argumentum
evidens.*

*Jacobus Lai-
borne, Lan-
castrica pas-
sus.*

reconciliationis, & Sacramentorum ministrandorum sacerdotilibus officijs sese immiscere. Hoc enim ipsum postea fecisse audimus laicum quendam, virum nobilem, qui non modò cum a iudicibus examinaretur, verum etiam postea cum ad mortem traheretur, profiteri palam non dubitavit, Angliæ Reginam suam Reginam iurè non esse, idq; duabus de causis: primò, ob illegitimam natiuitatem; deinde, ob Pontif. maximi Excommunicationem; cum nec de priori impedimento dispensationem, nec a posteriori absolutionem accepit. At Sacerdotum nec vnus in hunc modum respondit; nec eorum quisquam est in iudicio aut alibi verbuloquutus, quod Reginam Regniq; statum offendere, vel aduersarios irritare, vel amicis scandalo esse poterit.

*Catholicorum
publica cõ-
fessiones.*

Habent aduersarij in manibus omnes omnium confessiones, tum liberè factas, tum questionibus atq; tormentis expressas. Ecquod in illis omnibus verbulum, ecquæ vocula inuenta est, quæ commentitiam istam conspationem redoleat? Habent in carceribus religionis ergò omnis cõditionis omnisq; sexus Catholicos, nec paucos magni honoris & nobilitatis viros vel hoc solo nomine captiuos, quod cum presbiteris sint versati. Ecquis istorum, vel liberè & spõte sua, vel minis & terrore ductus est, vt fateretur sacerdotem aliquem aut Iesuitam sibi consuluisse, siue in sacramentali confessione, siue aliàs, vt Reginæ obedientiam abnegaret? Ecquis se hæc cõditione absolutum dixit? aut datum sibi a quouis *Agnum Dei*, vel vllum aliud spirituale religionis symbolum, vt a Regina ad hostes deferret? Quod tamen calumniator iste, cum palam aperteq; affirmare non audeat (hoc enim nimis esset intolerabile) quanta tamen potest arte, quamuis sine ratione & argumento, incauto lectori insinuare conatur.

Qua quidem in re, simillima est planèq; eadem, & illorù Iudicium, & istius scriptoris improbitas. Quem-
admodum

admodum enim eo in loco Iudices magna confidentia Sacerdotibus denuntiarunt, nullo eis detrimento futura, quæcunq; pertinerent ad solam religionis causam (cùm tamen ad eos damnãdos nihil penitus haberent, præter functiones religiosas, sacerdotalis vocationis proprias) ita nunc Libelli author prædicat, eosdem nõ fuisse in iudicium vocatos propter religionis Romanæ signa, ceremonias, libros, rosaria, aut opiniones (sic enim loquitur) sed tantùm ob vetera & antiqua læsæ Maiestatis crimina: & tamen vbi sub quibusdam verborum inuolucris huc illucq; diu vagatus est, eò tandem relabitur, vt non nisi eadem Romana signa & simbola illis obijciat, non tanquàm directè & per se mortifera aut capitalia, sed tantum obliquè & per accidens; quatenus Romano Pontifici inieruiunt, & obedientiam illi debitam significant, & ad rebellium siue domesticorum siue externorum commoditatem vsurpari possint. In hunc modum præstigiatores isti sophisticè nugantur de vita & morte eorum hominum, quibus digna non erat *Anglia*.

Iam verò postquàm innocentes isti martyres condemnati fuerant, atq; e medio sublatis quotquot illi tunc temporis tollendos censuerunt, mox de tam insolenti facinore multos multa suspicari & sermocinari aduertunt; id quod propterea tam infandæ cædis authores valde offendit, & in varias deliberandi cogitationes distraxit. Neminem enim tam rudem atq; ignarum inueniri sciebant, qui hæc ab illis religiosis scelera perpetrata crederet. Sciebant, & iudicium iniquitatem, ac testium infamiam, in triuijs, & communibus mensis populari sermone peruagari. Sciebant omnes multa in tota iudicij forma desiderare; quanquàm omnes non erant tanta solertia præditi, vt hoc nulla conscientia aut diuini numinis habita ratione, sed Statu suo ita postulante, violenter & impetu quodam animi a *Politicis* gestum perspicerent. Neq; etiam ignorabant hæreti-

Praxis Machiavellicana.

Rhotomagi
anno. 1583.

cum quendam ministrum *Ioannem Nicolaum* qui primus aditum illis ad tantam iniquitatem aperuerat, diuinitus commotum, martyrum condemnationi ac morti interesse noluisse; atq; non ita multò post, sceleris sui veniam ab innocentissimis hominibus suppliciter in genua prouolutum petiuisse; palàmq; tum voce, tum scripto authenticè excepto testatum esse, se misero suggerente, innocentem sanguinem fuisse effusum: quàm potiore iniusticiæ causam ad alios magnæ auctoritatis viros (quos etsi ille palã nominauit, nos tamen hic honoris causa tacere maluimus) deriuabat, a quibus ipse prouocatus, adeòq; coactus, facinus tam tragicum exorsus est. Hęc illi cum secum perpenderēt, cuperentq; vehementer sceleris illius fæditatem obtere, quod populares ac domestici talium iniuriarum impatientes, periniquè ferebant, & externi homines multò magis abominabantur; quorum plurimis, singulares *P. Campiani* & aliorum quorundam ex eo numero virtutes cognitæ satis perspectæquè fuerunt; vide iam qualem medicinam his vulneribus curandis *Politici* nostri adhibuerunt. Præter alios terrores, minas, & supplicia publicis edictis denunciata, ad hominum sermones coercendos, & mutandas voluntates; ex priori Sacerdotum numero quos iam damnauerāt, sed nondum interfecerant, aliquot superstites examinarunt de sex articulis a priori accusatione, ad cædem *Maxima* (ut *Sphinx* iste loquitur) pertinente, toto cælo differentibus. Spectāt enim omnes ad beatæ memoriæ *Pij Quinti* Pontificis maximi auctoritatem in Regina excommunicanda, ac propter hæresis crimen deponenda. Illud ergo percontabantur a condemnatis iam antea ob designatam cædem *Maxima*, quid de hac sentētia Pontificis sentirent, & quousq; hoc factum approbarent.

Quam ad quæstionem, quia id respósuros Catholicos facile conijciebant, quod vulgò odiosum esset futurum, ac præcipuè Protestantibus quibusdam in se&ta pro-

Sententia
ac scopus
sex articu-
lorū sacer-
dotibus an-
te mortem
propositorū.

promouenda feruentioribus (id quod rei euentus potestea docuit) eos potissimum sex articulos coram populo sibi in reliquorum martyrio legendos putabant, vt rudiores hac fraude decepti, existimarēt eos etsi non ob perduellionis crimen quod primò illis impositum fuerat, ob alias tamen causas extrema quæq; fuisse cōmeritos; ideoq; vel minus eorum mortem dolerēt, vel priorem illam falsam & absurdam cōdemnationis causam minis aduerterent.

Atq; hoc tam subtili velamine, suam illam quam vocant iusticiam deinceps operuerunt, atque in eo vno omnem operam omnemq; industriam Libelli istius author collocat; qui ad tantam aduersus sanctos Dei crudelitatem obscurandam, totus in eo est, vt probet eos de his sex articulis examinatos fuisse; & *Campiano* iam mortuo, inuentam fuisse quandam schedulam, quæ ad Bullæ vim declarandâ & interpretandam *P. Personio* atq; *Campiano* authoribus Roma deferebatur. Addit etiam Dominum *Hart* confessum fuisse, quòd Bulla, hac vel illa ratione Anglos obliget, aliàs irrita sit & nullius roboris. Hac iste arte hominibus nostrarum rerum imperitis persuadere conatur, sanctos martyres læsæ Maiestatis fuisse reos, eòq; nomine iure condemnatos. Quasi vero, noua nescio quæ crimina, post mortis sententiã latam, immò post mortem ipsam illatam inuenta, aut etiam perpetrata, iniustam illam quæ præcesserat condemnationem, æquam & legitimam possent efficere.

Hoc vero a vobis orbis Christianus expectabat, vt prius illud iudicium, priorem illam tanto apparatu, tanta solennitate aduersus Sacerdotes Dei pronunciatam a Iudicum confessu sententiã, iustam fuisse ac legibus consentaneam ostenderetis: illam dico sententiã, quæ in veteri (vt asseretis) statuto *Edouardi tertij* fundabatur, & necem illis optimo iure asserbat, qui necem Principis molirētur. Aliæ enim Rhetoricæ

accusationes & inuectiuae, siue verae sint siue falsae, neque iudices illos a manifesto parricidio excusare possunt, neque martyres vita iam functos ob alia facta condemnare, quam quae viuis ac pro tribunali stantibus obiecta fuerunt. Id quod ipsius Libelli author, post tot effusa in ventum verba, disertè tandem confitetur. *Quamquam* (inquit) *perduellionis condemnari iuste poterant quod ad ista interrogata directe planèq; respondere nollent, non tamè eo nomine condemnati sunt* (quod tamen est longè falsissimum, ob solam enim excommunicationem hanc, *D. Haddoc & D. Hemerford*, aliosq; crudeliter non ita pridem trucidarunt) *sed ob alia quadam facinora domi forisq; patrata*. At quænam illa fuerunt, & quàm legitimè certòq; aduersus istos probata (quos summa iniuria & ficta quadam veterum legum specie, at reuera solius causa religionis cæcos affirmamus) hoc potissimè erat demonstrandum, omissis alijs ad rem de qua agitur nihil pertinentibus. Hoc autem in quo omnia sunt posita, cum nec leuiter attingatur, reliqua quæcunq; vel suspiciosè obiecta, vel malitiosè inuenta, nihil ponderis habent, aut ad vestram iusticiam commendandam, (qua nulla fuit vnquam iniusticia in oculis omnium illustrior) aut ad istos homines quibus vitam eripuisistis a martyrum nomine & honore excludendos, quales eos orbis Christianus agnoscit & veneratur.

Contra quorum beatos cineres & Memorias, non magis felici successu dimicabitis, quàm olim Babilonij Gigantes contra Deum; aut Ethnici & hæretici persecutores cõtra Ecclesiæ primitiuae martyres; quos eodem penitus modo de læsa Maiestate Imperatoris criminabantur, & occidebant: qui tamen (inuitis, & fremtentibus, & omni ope contra satagentibus inimicis, ne debitis post mortem honoribus populus eos prosequeretur) iudicio Christi & Ecclesiæ Catholicæ, sempiternam de illis omnibus victoriam reportarunt; & tam in cælo, terraque, non minus regnant gloriosi,

Fol. 18.

Sacerdotes
in Anglia
recēs mar-
tyrio coro-
nati.

riofa, quàm eorum persequutores & a Deo sunt maledicti, & toto terrarum orbe infames atq; detestandi.

Quicquid terreni honoris *Henricus* vterq; (secundus & octauus) dum viuerent habuerunt (habuerunt autem plurimum); quantacunq; illius quæ modo regnat Principis ac primorum eius procerum sit existimatio; qui in loco excelso positi, multorum in se oculos & admirationem commouent: hoc totum nihil profectò aliud est, quàm umbra quædã & veluti somnium, si cum solida illa veraq; *S. Thomæ Cantuariensis*, *Ioannis Episcopi Rossensis*, & *T. Mori Angliæ Cancellarij*, *P. Campiani* aliorumq; similibus felicitate infinita comparatur: quorum gloria & prædicatio ex ipso mortis genere, & calumniatorum iniquis obrectationibus, incrementa indies maxima capit; persequutorum verò laus omnis, si non antea, saltem cum huius sæculi pompa & potestate, intereat necesse est: ac plerumq; vsu venit (magno ipsorum dedecore) vt nullis alijs rebus gestis magis posteritati innotescant, quàm talium hominum cadibus. Ita Deus potenter sanctos suos *Psal. 30.* *contradietione linguarum protegit*, & gloriosam illis de mundo triumphum, vi sacrosanctæ & constantis fidei largitur. Sed de illis sex articulis ex Bulla excommunicationis deductis, plura dicentur in sequenti capite, alijsq; prout occasio sese offeret, quò sanctissimorum martyrum illustrior euadat innocentia, summumq; scriptoris huius in calumniando studium vndiq; reprimatur.

Comparatio persecutionem patientium.



MERITO NOS DE INIVSTA PER-
SECVVTIONE, ATQVE INTOLERABILI
*hereticorū aduersus Catholicos in Anglia crudelitate con-
queri. Nec posse Protestantes idē facere, propter iusticiā
qua temporibus Reginae MARIAE, atq; aliorū
Catholicorum principum, aduersus ipsos exer-
cebatur. & qua sit dissimilitudinis ratio.*

CAPVT. III.



VLTA hoc loco Libelli author
iactabundus de Protestantium
numero ac dignitate, qui tem-
poribus Reginae Mariae pro suo
Euangelio passi sunt; multa de il-
lorum innocentia, in rebus ad ci-
uilem regni statum spectantibus,
alijsq; huiusmodi commemorat;
vt populari hac narratione, rudi-
oribus potissimum ac
nostrarum rerum ignaris insinuet,
longè minorē esse
quàm vulgò fertur, persecutionem
Anglicanam; nec
vllō modo cum ea conferendam,
quam illi regnante
Mariae pertulerunt. Cui breuiter
ac dilucidè responde-
mus. Nos nec solum, nec maximè,
vel numero occisorum, vel
supplicij magnitudine, rem hanc
metiri; sed causa, & iudiciorum
spectata æquitate, ac legibus,
tum ipsius præpotentis Dei,
tum omnium Christianorum
regnorum, alijsq; id genus
circumstantijs: ex quibus
facile demonstrabimus, laudabilia
fuisse & valde probanda,
quæ a Regina Maria facta sunt;
iniusta verò ac summè impia,
quæ modo contrà nos fratresq;
nostros gerun-

geruntur.

Discrimen verò ita perspicuè & euidenter cernitur. Vos nemini, religionis causa, periculum capitis afferre profitemini. Nullas habetis leges, per quas ob fidem cuiuncq; homini vitam eripiatis. Antiquas omnes regni Angliæ de hæreticis comburendis leges funditus abrogastis, nouamq; contra eas legem, ea de re fixistis primo anno quo Regina *Elizabetha* regnũ adiit; quod quid sibi velit, omnes prudentes non difficulter subodorantur. Eodem quoq; tempore illud statuistis, nihil esse habendum pro hæresi, nisi quod ex Parlamenti vestri & Congregationis (hoc est certorum laicorum, & ministrorum) arbitrio & sententia ita definiatur. Neq; ad hũc vsq; diè, lege vlla noua, quid hæresis sit, quisue hæreticus censendus, decreuistis. Quamobrem, neq; doctrinam nostram hæreticam pronunciare, neq; vllò iure de nobis supplicium sumere potestis. Repugnat igitur iustitiæ, non modò diuinæ & totius orbis Christiani, sed & vestris ipsorum statutis, doctrinæ, & professioni, religionis causa quenquam nostrum interficere.

Diuersa instituta ad ministrandam rationem in Catholicis & hæreticis. quæ af. id est hæresis et hæresis in hæresibus.

Nota.

Et tamen non modo varia, eaq; tetra & immania cruciamenta, sed & mortem ipsam crudelissimam a vobis patimur, idq; (vt ostendimus) propter *Agnos Dei*, propter sacramentorum administrationem, propter obedientiam Sedis Apostolicæ, propter exhortationes amicis factas, vt se ad Ecclesiam Catholicam adiungat, propter ipsum deniq; sacerdotium, studiaq; literarum in *Societate Iesu* aut Seminarijs transmarinis posita, aliaq; id genus; quæ vos omnia ridiculè (si quid vnquam in rerum vniuersitate ridiculè gestum est) contra omnem rationem & communem sensum, læsè scilicet Maiestatis crimina fecistis. Postea tamen iusto rei absurdissimæ pudore affecti, ad religionem pertinere hæc agnoscitis, & esse talia, propter quæ nemini in Angliæ regno capitis periculum comparatur. Quæ

cum ita sint, perspicuum est, magnas suppetere nobis occasiones, de vestra crudelitate & iniustissima persecutione, coram Deo & hominibus conquerendi.

Ex altera parte, Regina *Maria* contra Protestantes nihil tale simulavit, aut dissimulavit; tantum antiquissimis patrie, vel potius totius orbis Christiani legibus contra hæreticos vsa est; idq; secundum Pontificum omnium, Cõciliorum, Ecclesiarum, & Tribunalium ecclesiasticorum canones, ab ipsis Imperatoribus Christianis in iure civili approbatos, atq; a regibus omnibus (quàm latè patet nomen Christianum) receptos. Ergo de hoc facto quis est qui conqueratur? quis reprehendat? Quis (inquam) admiretur, si princeps Christianus leges eas robur & vim suam pristinam obtinere velit, quæ aduersus hæreticos non minus sunt antiquæ, piæ, ac generales, quàm quæ feruntur aduersus perduelles, sicarios, ac latrones?

Rursus de persecutione ista meritò conquerimur, eò quòd affligimur pro fide patrum nostrorum & antecessorum. pro fide illa, quàm nostrorum persecutorum maiores, quotquot Christiani fuerunt, semper coluerunt. pro ea fide, ad quam patria nostra ab infidelitate initio fuit conuersa, & a qua fide Christiani appellamur, quæq; communis est regnorum omnium Catholicorum, quibus undiq; circum circa concludimur. quam deniq; Deo in baptismo promisimus, & nos in æternum seruaturos sanctissimè spondimus. Quamobrem nullum, neq; diuinum, neq; naturale, neq; gentium ius patitur, ut violentis modis ab ea diuellamur, aut pro ea supplicium quodcumq; nobis inferatur.

At verò qui nostra hac ætate, aut superioribus seculis ab ea fide defecerunt, quam non modò Maiores eorum religiosè coluerunt, verum etiam ipsi ferè omnes multis annis amplexi sunt, aut certè in Baptismi sacramento per susceptores quamuis Protestantes, promiserunt atq; voverunt (in eo enim sacramento

Cur hæretici possint cogi ad fidem Catholicam etiãsi inter hæreticos

Chri-

Christiani omnes solenniter profitentur, Catholicam ^{nati, &} se ecclesiam fidemq; amplecti, atq; hæreses omnes ^{educati} sectasq; respuere ac abominari) qui (inquam) sunt ^{fuerint.} huiusmodi, parentibus licet Arrianis, Macedonianis, Pelagianis, Anabaptistis, Zuinglianis, Protestantibus, aut cuius alteri sectæ addictis geniti, ferendi omninò non sunt; multoq; minus obligati (quod libelli author pro sua crassa ignorantione stultè asserit) ut eam in qua educati sunt hæresim, perpetuò consecrentur. Non enim censentur illam in Baptismo, aut (quod miser hic theologus frustra adiecit) in Confirmatione sectam professi, quam pro educationis tempore ac loco, a magistris erroris primò didicerunt; sed monendi sunt potius atq; docendi, eam se fidem in baptismo promississe quæ verè Catholica & Christiana est, & dissipata per vniuersum orbem in ecclesia Christi, quam quidem deinceps firmissimè tenere debent, atq; ad eam tenendam diuinò humanòq; iure cogi possunt, ab hæreticis licet baptisati, & inter hæreticos nutriti. Aliàs enim nec Arriani auocentur a blasphemando filio Dei; nec Macedoniani a negando Spiritu sancto; & Pelagiani gratiam dei liberè contemnant; & Anabaptistæ misterium incarnationis irrideant; & Zuingliani, Lutheriani Trinitarij, reliquiq; sectarij, omnes in suis sordibus sinatur putrescere; cum isti singuli a suis Magistris primò fuerint his erroribus imbuti, ideoq; (iuxta huius doctoris nouam theologiam) ad fidem Catholicam non sunt compellendi. Quod & dicere monstrosus est, & cum ipsorum hæreticorum praxi varijs in regionibus pugnat. Quare ut nos nulla diuina humanae lege ad Protestantium fidem cogi possimus, ita nulla adferri firma ratio poterit, quare cogi non debeant ad fidem Catholicam, qui inter hæreticos, Arrianos, aut Calvinistas nati sunt & baptisati, etiam si magnam ætatis partem apud eos transegerint.

Fol. 9.

Anabaptistæ Londini in Anglia combusti.

Fol. 9.

Nec mirari satis possumus, quo in orbe, quae aetate generati fuerunt, quos Libelli author regnante Maria flammis absumptos affirmat, cum nihil unquam (ut ille ait) de alia religione audierint, quam ea cuius tunc causa mortem patiebantur. Illa enim (pro qua se moriebant) Secta, nunquam in Anglia comparuerat, nisi ante quinque; vel sex annos, in perbreui regno *Edouardi sexti*, aut potius eius Protectoris Ducis *Somerseſis*. Regnante enim *Henrico octauo* patre qui cum proxime antecessit, eadem filij sui *Edouardi* religio pro haerese habebatur, eiusque sectatores ut haeretici exurebantur, idque legum publicarum auctoritate, non aliter quam sub Regina Maria factum est. Sed ita se res habet, quia nos Catholici antiquissimae maiorum nostrorum fidei quae per orbem disseminatur, & Catholica est, atque ab omnibus ita appellatur, infistimus; dicimusque; nihil magis tyrannicum esse, quam nos vi & armata manu, ad eam abnegandam impellere: isti, simiarum more, ad suam infidelitatem rationem nostram transferentes, nobiscum eundem loquendi & disputandi modum cupiunt usurpare, in re non minus differente, quam caelum distat ab inferno; & ex qua recte concludant, non minus Trinitarios & Libertinos in suo Atheismo, quam Zuinglianos & Puritanos in suo Zuinglianismo esse reliquendos.

Heretici & pagani similes in Catholicis persequendis. Tertiò meritò de hac tam crudeli persecutione conquerimur, quòd ad veterem Paganorum, haereticorum, & Apostatarum aduersus Christi ecclesiam grassandi modum tam propè accedat, ut nihil penitus differre videatur. Illi, Catholicis plurimum erant infensi, eosque perduelles vocabant: idem facitis & vos. Illi, Episcopos, Sacerdotes, ac religiosos viros praeter caeteros grauissimè persequuntur: in hoc & vos praeterclarè illos imitamini. Illi, silentio praeterita religionis causa, (pro qua tamen sola eos occidebant) alia crimina populo magis odiosa comminiscuntur, maximè verò

rebelliones, & contra civilem magistratū conspirationes: quid est vobis magis familiare & vsitatum? Illi, innocentes homines qui nullas leges violarant, fraudulentis interrogationibus eò pertrahebant, vt leges violasse viderētur: & in hoc eos vobis imitandos proposuistis. Illi, horrendis cruciatibus Christianos ad abiurandam fidem compellebant, specie tamen explorationis: & in hoc vos illis estis pares & simillimi. Illi, pro vnus Catholici peccato, alios ab omni talis peccati participatione alienissimos sæpe obruncabant, & generales suspiciones omnibus Christianis promiscuè communes, applicabant speciatim ad singulos quos libebat e medio tollendos: hoc a vobis factitari quis non intelligit, qui aliquid videt in vestra publicarum rerum administratione? Horum omnium exempla si quis desiderat, legat historias cruentarum persecutionum quas in imperio Romano *Iulianus Apostata*, in Italia & Africa, *Gothi Vandaliq;* exciuerunt.

Neq; vero illud vnum maximè proprium est hæreticę persecutionis, quòd multos & in primis sacerdotes interimāt; sed illud etiam, quòd Catholicos bonis honoribus, & facultatibus euertant; quòd libertatem illis adimant; quòd in ergastula conijciant, eam tātum ob causam, quia Sacerdotes hospitio accipiūt; Missam audiunt; Catholicum domi suæ ludi-Magistrum alunt; seruos Catholicos habēt; schismatica templa precēsq; non adeunt; quod postremum, hanc multam pecuniariam habet impositam, vt reus singulis mensibus *vinginti libras Anglicanas* pendat; quod etiam crudeli sua Arithmetica ita multiplicat, vt singulis annis in ducentas sexaginta libras excreseat; quasi annus non duodecem sed tredecem mensibus constaret. Quæ immanitas plurimos viros antiquæ nobilitatis in extremum adduxit discrimen, vel animarū, si istis obtemperant; vel fortunarum omnium, si obtemperare recu-

66. Coronat. & alii quanto amplius in menses singulos.

fant. His addendum est, quod charissimos liberos a parentibus vi auulsos, apud hæreticos, quo citius inficiantur, collocant; quod candenti ferro sacerdotibus aures perforant; quod alios flagellis concidunt; alios aures amputant; alios sacris vestibus indutos ad vulgi irrifionem per plateas traducunt; quod castissimas virgines in locos infames meretricibus peculiare includunt; præter alia inusitata feritatis exempla, cum quamvis persecutione veterum hæreticorum aut etiam Paganorum comparanda.

Que Catholicæ in Angliâ patiuntur.

Excellentes Ecclesiæ prelatos supra triginta, carcerum suorum squalore pædoreque; extinxerunt: quadraginta aut eo amplius viros eruditione clarissimos: nobiles atque illustres tam viros quam fœminas penè innumera- biles: quorum non minus est in conspectu Domini pretiosa mors, quam si vitam eis cruenta carnificis manu celerius eripuissent. Sacerdotum, fratrumque nostrorum, teterrimi quique in Angliâ pleni sunt carceres: & quia veteres capiendis omnibus non sufficiunt, novos in plerisque provinciis exædificarunt. Omnes Christiani Principes atque provinciæ, nostri exilij sunt testes. Interim nos aduersariis corpora nostra, fortunas, patriam, vitam, sanguinem donamus; neque tamen possunt hæc omnia inueteratum illud fidei, religionis, sacerdotij nostri odium, in illorum animis restinguere. Et cum tam intoleranda sint quæ patimur, illi nihilominus ne has calamitates nostras desicemus, nobis interdicit. Hæc sunt Protestantique in republica gubernanda lenitatis, clementiæ, & misericordiæ exempla. Et tamen ut præfati sumus, nos non aliter hanc persecutionem deploramus, nisi quia ob eam fidem & causam in nos commouetur, quam leges omnes tam diuinæ quam humanæ in nobis præstant, & commendant: hoc inquam lamentamur, quod a Christianis contra proprios pastores, quod a filiis contra patres, quod a subditis contra prælatos exerceatur; quibus profecto

in religionis causa parere diuino iure expressoque Dei mandato præcipitur.

Cum magistratus aliquis legitimus quem Deus ^{1. Pet. 2.} gladio armauit ad *vindictam malefactorum, laudem vero bonorum*, fures, hæreticos, parricidas, debito supplicio castigat, quis factum hoc crudele dicit? quis de persecutione queritur? Verum cū scelerati atq; improbi, vires in republica acquirunt, & magistratum, legitimos Iudices, aliosue iusticiæ ministros palā trucidant, hoc facinus est detestabile, magisq; propter vnus alteriusue innocentis mortem vindicandum, quàm si mille improbi iustis legibus capitali supplicio plecterentur. Ad hunc modum, cum sæcularis princeps, & præsul ecclesiasticus in eos animaduertit, qui ecclesiæ Christi legibus iudicantur hæretici, atq; in Christum dominum iniuriosi, ea verè iusticia est. Cum autem sæcularis princeps aut populus in Episcopos suos insurgit, quibus Deo diserte præcipiente, in rebus spiritualibus (nisi æternis ignibus ardere velint) omninò parendum est; cum Laici, ijq; vt plurimum illiterati, seditiosè pastoribus suis audent præscribere, quid credendum sit, quo modo ac ritu Sacramenta ministranda; eosq; ad nefaria iuramenta suscipienda, & impios articulos approbandos adigunt, idq; in Parlamento, publico videlicet totius regni Concilio, vbi Episcopi ^{vera populi sequuntur} quorum prima sunt potissimaq; (vt regni legibus cauetur) suffragia, reliquiq; e toto clero selecti viri primarij, qui Anglicanam Ecclesiã representabant, magna omnes constantia, vnaq; mente & voce resistebant; cum isti sancti patres e suis sedibus eiiciuntur, & deinceps indignis vinculis constringuntur, & sæpenu- merò (vti de egregio confessore Episcopo Londinensi constat) improbè & contumeliosè vexantur; cum eorum cathedræ, pulpita, ecclesiæ, a rebellib⁹ filiis occupantur, & cruentissimis lupis ad diripiendum spoliandumq; Christi gregem traduntur; hæc vbi fiunt, ea de-

Act. 20.

num vera est persecutio, vbi oues, subditi, & inferiores, sese efferunt contra eos, quos Spiritus sanctus ducet, rectores, & animarū curatores illis ordinauit. Immo verò cum Pastores ipsi suos, Christos Domini, omni officio authoritate ac iurisdictione, facultatibus etiā omnibus despoliant, & in carceres demum conijciunt, & per iniquissimas leges laicis magistratibus ius tribuunt de suorum in religione magistrorum doctrina iudicandi, eosq; pro suo arbitratu visitandi ac corrigēdi; hæc certe persecutio, seditio, & rebellio est, excellenter & in altissimo gradu, qua nulla post hominū memoriam fuit magis horribilis & execranda.

Osee 4.

Et nos quidem aptè miserrimam nostram patriam illis prophetæ verbis affari possumus: *Populus tuus sicut hij qui contradicunt sacerdoti: cum eadem huius nostrę persecutionis ratio sit, ac seditionis illius, quę in deserto a Chore, Dathan, & Abiron alijsq; eius impietatis fociis, aduersus legitimos suos sacerdotes atq; Rectores, præsertim vero aduersus Aaronem summum Sacerdotem excitata est: quemadmodum nostra modò Anglia aduersus Sedem Apostolicam, omnemq; legitimam spiritualem iurisdictionem ab ea manantem impiè tumultuatur. Ideoq; Libelli author subdolè forsitan ac veteratoriè quoad imperitā plebeculam, at verò quoad prudentiores rerum æstimatores, stultè & absurdè exemplo Chore abutitur ad nos criminādos, quoniam Deo magis quàm hominibus paremus, & in rebus quæ consciētiam attingunt, aduersarijs resistimus. Illa Chore conspiratio nefariam ipsorum ab Apostolica Sede Catholicaq; Ecclesia apostasiam cōdemnat, nostrosq; pro illius Sedis & Ecclesię authoritate aduersus quorumcunque hostium impetum, probat labores, & studia conatusq; corroborat.*

Est verò istorum hominum rebellio eò etiam manifestior, ac persecutio detestabilior, quòd non modò ipsa natura reclamante, tanta erga patres suos spiritua-

les

les violentia sint vsi, verum etiam quod pro sua libidine in eorum locum furrogarunt lupos quosdam rapacissimos, luxuriosos Apostatas, homines plane Atheos, atque; ut (vno verbo dicam) totius regni facem, & sordes: qui pro sua in Catholicam fidem cuius sunt desertores odio, & improba verorum Episcoporum (quorum cathedras secularis Magistratus ope per vim occuparunt) emulatione, contra veros Sacerdotes, & quicumque; illis patrocinantur, tam immensa sunt malitia inflammata, nullum ut lapidem non moueant, quod omnes totius regni Magistratus in illorum perniciem extiment: ipsique; sub specie suae autoritatis ecclesiasticae, & quam ferere adiunctam habent, potentiae civilis, quantam possunt maximam feritatem & tyrannidem in eos expromunt, metuentes perpetuo statui & ambitioni suae, quamdiu verum aliquem Episcopum aut Catholicum in patria vident superstitem. Quorum in hoc genere actiones eo sunt magis intolerandae, quod & ipsi non ignorant, & in publico iurisdicundi foro clarissime fuit demonstratum, eos non modo contra veteres leges Dei & ecclesiae, sed etiam contra noua ab ipsis fabricata Statuta, & de illis creandis & initiandis proprie lata, Sedes eas conscendisse.

Quare cum veri nostri pastores, contra omnes leges, rationem, ac naturam ipsam vexentur, spolientur, excrucientur, crudelissime denique; occidantur, partim a secularibus hominibus qui nulla in ecclesiasticis rebus autoritate sunt praediti, partim ab illis Ecclesiasticis recens creatis, qui nullam prorsus iurisdictionem habent, nisi in quam fraude atque; vi contra ecclesiae Catholicae canones, ipsaque; patriae leges inuolarunt; quis erit tam stupidus aut bardus, qui non statim videat immensum discrimen, inter iustam eam disciplinam quae in reos & fontes legitima autoritate ecclesiastica ac civili, in Catholicis regnis temporibusque; exercetur; & iniustam vim atque persequutionem quae contra Ecclesiam Ec-

*Nomen in
Anglia
Clerus qua-
lis.*

clesiæ que filios adhibetur, sine omni legitima potestate, diuina vel humana, ecclesiastica vel temporali.

*Qualis in
initio fuerit
Protestantiū
clementia
erga Ca-
tholicos.*

Nihil est igitur cur Libelli author tam gloriose exultet, & admirabilem illam erga quosdam ecclesiastici ordinis præcipuos viros clementiam in primis regni initijs, tam magnifice prædicet, quod nimirum vitam illis permiserint, quam nostris modo eripiunt. Docere ipsos Cicero poterit, quale beneficium sit latronum, cum viatoribus pecuniam adimunt, vitam relinquunt, & qualis remuneratio tali beneficentiæ debeat. Sed quantacumq; tunc fuerit erga quosdam humanitas (que, si verum fateri volumus, non alia fuit, quam quod pro celeri morte, vitam concesserunt, longiorem quidem, sed miserabiliorem, aut potius lentam quandam mortem multis doloribus miserijs atq; incommodis expositam; quod persecutionis genus cæteris esse crudelius, eleganter contra Constantium Imperatorem docet D. Hilarius) sed quantacumq; fuerit eorum humanitas, aut quacumq; de causa præcipuos quosdam Catholicos, non eadem celeritate tunc interfecerint, qua postea plerosq; e medio sustulerunt, nullum certè in causa ab vtriusq; defensione discrimen inueniri poterit, cum vtrobiq; perduellionis illius quæ nunc fingitur par ratio fuerit, id est, in vtriusq; ne vestigium quidem vllum.

*Cur mitius
cum Catho-
licis initio
quàm postea
egerint.*

Ac mihi quidem de prioris illius lenitatis occasione cogitanti, venit in mentem veteris illius cõsuetudinis quæ persecutoribus familiaris admodum esse solet; vt initio omnibus blandimentis ad se quos possunt vafre pelliciant, quemadmodum *Iulianus Apostata* imperij sui principio, magna benignitatis atq; clementiæ signa præ se tulit: illa vero simulatione vbi Christianam fidem extinguere nō posse vidit, mox lenitatem omnem in extremum furorem ac tyrannidem conuertit. Et in Anglia quidem, cum primùm hæresis inualuerat, principales quiq; cum Ecclesiastici, tum alij Catholici, vel

in

in carceribus, vel alij in locis captiui detinebantur, ubi
 suis fungi muneribus sacris omnino non poterāt; quo-
 rum pleriq; cum ætate iam admodum prouecta essent,
 facile sciebant aduersarij eorum vitam non fore diu-
 turnam. Erant etiam ex illis nonnulli, qui cum paulò
 ante summos in Republica magistrat^o gessissent, Pro-
 testantes aliquos pro suæ vel hæreseos, vel perduellio-
 nis criminibus, regnante Maria Regina mortem pro-
 meritos, in vita conseruassent: iiq; propterea, ne acce-
 pti beneficij prorsus immemores viderentur, quibusdã
 episcopis vitam impetrarunt. Nihil vero minus suspi-
 cabantur, quàm veteranis illis ducibus, partim longa
 senectute, partim carcerum miseria consumptis, exori-
 turos alios tirones, qui pro patrum suorũ atq; Episco-
 porum fide tuenda, alacriter cum hostibus in arenam
 descenderent. Quæ in re, cum iam videant post viginti
 quinq; annorum acerrimam cum Ecclesia Christi lu-
 ctam & concertationem, sua omnia humana consilia
 irrita concidisse, nec vllam in hærese quietem, nec sta-
 tus sui securitatem (quam ab hærese totam pendere exi-
 stimant) polliceri sibi iam possint; hæc ob causam nos
 pro Maiorum Catholica fide restauranda laborantes,
 multò hostilius oppugnant, quàm patres nostros olim
 oppugnandos putarunt. Quanquam (vt verum fatea-
 mur) si sublimem eorum in Ecclesia & Republica vo-
 cationem, si honores, si Episcopalem vnctionem con-
 sideremus, vnus ex ipsis de suo statu deiectio atq; ca-
 priuitas, maius supplicium censendum est, quàm si nos
 varijs tormentis varijsq; mortis generibus vitam amit-
 teremus; qui eorum comparatione nihil sumus, quàm
 infantuli & pupilli, semper tamen eorum pastoralis di-
 gnitatis filij, & assertores amantissimi.

Quod verò Libelli author, aliorum nos scelerum,
 quàm illos, adeoq; & ipsius Maiestatis læsæ reos esse
 imaginatur, ideoq; magis neci traditos, vel de Bulla,
 alijsq; criminibus capitalib⁹ magis examinatos (a qui-

bus illi fuerunt immunes) horum nos vtrumq; falsissimum esse affirmamus. Neq; enim nobis magis quam illis, aliquid præter religionem ac conscientiam obijcere vnquam potuerunt; neq; illi ipsi quos quietos, tranquillos, atq; obsequentes fuisse subditos Libellus confitetur, caruere semper his funestis & cruentis interrogationibus, quibus modò ad vitam nostram suo arbitrato auferendam armantur. Huius rei locuples erit testis nobilis ille confessor Episcopus Londinensis, prius certè quàm de Regina excommunicatione quicquam increbuerat; & cum illo alij pleriq; eiusdem temporis atq; ordinis, quibus ante annos circiter nouem, varias de Bulla quæstiones proposuistis, eiusdem prorsus sententiæ cum his quibus nunc Catholicos, non minùs quietis pacifq; amantes, ad mortem vsq; persequimini.

Quod vero ad laudes eas attinet, summæ prudentiæ, eruditionis, ac fidelitatis, quas Libelli auctor non sine affectato verborum lenocinio primis quibusdam ecclesiasticis impertitur; quâquam hæc omnia nihil aliud referunt, quàm blandam illam salutationem *Amasam*, simul osculo ac mortifero vulnere excipientis (paulò enim post eos omnibus opprobrijs cõtumeliosè lacerat) tamen suo se ipse testimonio, sociosq; suos iugulat, qui tam excellètes viros, tam fideles, tam prudentes, tam eruditos, suis eijcere sedibus ausi sunt; atq; illorum sapientissimis iudicijs, prophanorum indoctorumq; hominum opinationes anteferre, idq; in causa religionis, in qua illi maximè erât versati. Deinde (quod longè grauius est) in illorum locum incircumcisos quosdam Philistæos induxerunt, collectos ex impurissima totius regni face, quiq; nobilium aulicorû manus benedictione *Esau* sacrilegè implendo, viam sibi ad tantam dignitatem munierunt. Quorum comparatione, adeoq; eorum omniû qui sub imperio Regina *Maria* hæresum suarum pænas lucrunt, vel infimus

Libelli auctor ecclesiasticos, qui nuntio Regni huius Principis vixerunt, callidè laudat.

2. Reg. ca. 20.

Genes. ca. 32.

mus eorum, qui aut in Anglia pro Religione patiuntur, aut eadem causa exules in alijs prouincijs viuunt; & morum probitate, & vitæ innocētia Sancti appellationem promeretur. quantumuis de his Libelli author partim heretica quadam improbitate, partim nefaria fraude, aliquando humiliter abiectēq; aliquando contumeliosē falsōq; loquatur, vt eorum nomen apud populum eleuet, vel gratiam apud Christianos principes minuat, sub quorū tutela, vitam in exilio piē Christianēq; traducunt.

Pudet quidem nos istius hominis stultitiam in puerilibus huiusmodi nugis imitari; quia tamen eius importunitate eò impellimur, causam nostram cum causa, & personas cum personis eorum qui paulò ante in Anglia pro hæresi & Apostasia exusti fuerunt, breuiter (si placet) cōferamus. Ac primū, quod ad Archiepiscopos attinet, quos ille tam magnificē & fastuosē iactat, vel mendacium est si loquatur simpliciter & planē, vel figura est, si loquatur artificiosē & rhetoricē. Vnicus enim omnino fuit, isq; publicē periurus, & sæpe relapsus Apostata; cui pro ludo fuit iterum atq; iterum iurare, peierare, palinodiam canere: quiq; ipso mortis suæ tempore contra solenne votum, & sacrum ordinē, incesto matrimonio illigabatur; homo perditus & dissolut⁹, & principalis Regis nostri corruptor, atq; in eo, præcipua Anglicani fundi calamitas. Alium certē Episcopum vel ecclesiasticum alicuius nominis in toto exustorum grege habuere neminem, quanquā eorum aliqui prælatorum quorundam Cathedras iniuste occuparant. Pleriq; omnes erant ex infima vtriusq; sexus plebe atq; abiectissima conditione, vita moribusq; profligati; ipsaq; adeo *Sancta femina* (cui⁹ ex vtero mendacissimum sequutus *Foxum* infantem in ignē erupisse ait) impura atq; impudica fuit. Quare vt suam cælaret turpitudinem, impiē dissimulauit quo in statu esset; nec a Magistratu iuxta patriæ morem, intumes-

Cōparatio eorum qui nunc pro fide patiuntur, cum ijs qui sub Regina Maria pro hæresi passi sunt.

Cranmerus.

Foxi Sancta mulier.

centis vteri priuilegium postulauit; sed grauida (cuius ipsa sola erat cōscia) ad rogam sibi preparatum accessit. Vbi Deus eius fædam incontinentiam toti mundo patefecit, cum illa virginis scilicet & martyris gloriā aucuparetur: qualem nec vnā in Foxi martyrologio inuenies, nec facilè in toto Protestantium Sanctorum Calendario.

Catholicorum qui pro fide passi sunt, numerus & cōditio.

Nos vero istis talibus, quatuordecem simul Episcopos opponimus, eosq; excellentes & tanto muere dignissimos, & quos ipse Libelli author paulò ante, animo licet pessimo, magnis laudibus in cælum extulit: (& certè quoad eruditionem & sanctitatem nullis Europæ Episcopis erant inferiores) qui omnes suis honoribus exuti, pleriq; etiam in carcerem coniecti, maximisq; iniurijs affecti fuerunt, vna cum eximio illo Cōfessore Archiepiscopo Armachano Hybernix Primæ, multisq; alijs eiusdem insulæ Episcopis. Opponimus deinde duos alios eiusdem dignitatis Præsules Anglos, alterum iam mortuum, alterum Romæ adhuc superstitem: tres quoq; designatos Episcopos vita iam functos; quibus addimus venerādum Abbatem Westmonasteriensem, quatuor Religiosorum Conuentuum Priores, tresq; integros Conuentus fortunis omnibus spoliatos, & vel in ergastula detrusos, vel e regni finibus exterminatos. Addimus deinde duodecem Decanos spectatæ eruditionis, qui in Cathedralibus Angliæ ecclesijs secundas ab Episcopis obtinent: Archidiaconos quatuordecem; Canonicos Cathedralium Ecclesiarum supra sexaginta; Sacerdotes verò plusquàm cētum, omnes bono loco & existimatione, superioris Principis temporib⁹: vt alios omittam Sacerdotes plurimos, nostri huius exilij tempore creatos, & postea martyrio coronatos. Quibus adijcim⁹ quindecim Rectores collegiorum Oxoniensis academix & Cantabrigiensis, viros magnæ certè in ijs Academijs & in ipsa Republica authoritatis: quorum prudentia & pietate

tate commoti, præcipui quique omnium scientiarum
 professores, & Doctores in diuersis facultatibus supra
 viginti, vel cum illis, vel nõ ita multò post eorum ex-
 plum sequuti, religionis causa partim in alijs regionibus
 peregrinantur exules, partim domi in carceribus
 detinentur vincti. Neque vero initio tantum persecu-
 tionis, sed etiam postea, plurimi liberalibus disciplinis
 per celebres & vtriusque Academiae præclara lumina,
 sese vel ad *Societatem Iesu*, vel ad *Seminaria*, vel ad alia lo-
 ca eruditionis laude florentia contulerunt: vbi singu-
 lari Dei bonitate, ac Prælatorum, Principum, popu-
 lique Catholici beneficentia, diuturnum exilium hone-
 sta in paupertate transigunt: nonnulli etiam in Acade-
 mijs externis ad maximas functiones electi, tanta cum
 omnium ordinum beneuolentia atque humanitate, quanta
 maxima externis hominibus concedi potest: nusquam
 certe vllius grauioris criminis, aut disciplinæ pertur-
 bationis accusati. Id quod facile clarissimorum virorum
 testimonijs inter quos varijs in Regionibus viximus,
 possumus confirmare.

Et quidem quod ad mores vitamque Christianam
 attinet, siue nostros inspicias, eos qui domi in calamita-
 tibus & ærumnis viuunt, vel foris in exilio apud exte-
 ras nationes versantur (quanquam homines nos esse
 meminimus, & vt homines varijs infirmitatibus ob-
 noxios) cum Protestantibus tamen omnibus, vbicun-
 que in aliquo terrarum angulo grassantur, iudicio
 contendere non dubitamus. Id quod aduersus menda-
 cem libelli huius authorem eò maiori libertate animi-
 que fiducia contestamur, quia impudenter quidem, &
 reclamante haud dubie propria conscientia, de nobis
 scribere nõ veretur; *Per paucos religionis causa patriam de-*
seruisse, præter eos, qui aut mendicitate laborabat; aut honores
quos in Academijs alijsque regni locis appetebant, propter indi-
gnitatem assequi non poterant; aut qui mercatores erant a-
lieno oppressi: cum omnes intelligant neminem esse ex

*Vita mo-
 resti; nostri
 tempore per-
 secutionis.*

Ioan. Nic.

Tertul. de
præscrip.

nostris; etiam infimum atq; miserrimum, quin si graui isto viginti quinq; annorum exilio fractus, Catholicã fidem deserere, & ad aduersarios trãfire voluerit, summa statim cum gratulatione excipitur, atq; in illorum synagogis inter primos collocatur. Ita nusquam (vt eleganter quidam ait) *facilius proficitur, quàm in castris re- bellium*. Et variis experimentis cognitum est, quanto illi studio vilissimum quẽmq; Apostatam, aut lasciuum aliquem iuuenem a studiis auersum, aut lasciuum perditum ac dissolutum aucupantur, qui vel exilij diuturni tædio victus, vel alia quacunq; occasione permotus, ad Ægypti ollas, hoc est hæresim, & carnis libertatem respicit. Quibus tamẽ illecebris, quàm paucos, aut penè nullos nobis surripitis, quis ignorat? Nos interea summo dei beneficio ex ipsis vestris Ministris quam plurimos recipimus, multos ingeniosissimos adolentes, multos nobiles in delitiis licet educatos, multos amplissimarum fortunarum hæredes idq; omnium ætatis, qui sua sponte vestras hæreses execrati, Deũ apud nos in ecclesia Catholica quærunt. Quorum etiam permulti, vel Sacerdotes euadũt, vel religiosi, hoc ipso tempore, quo sciunt vos istud genus hominum a deo contemnere atq; hostiliter insectari. Est hoc certè Dei opus, in oculis nostris, atq; etiam in vestris mirabile, quod nullis humanis viribus, nullo terrore, nullis fraudibus dissolui potest.

Sæculares
Catholici.

Diligentiùs igitur supputate; nec ad Ecclesiasticos modò tot tamq; insignes, maximaq; eorum indies incrementa, vestris illis Draconis legibus in sanguine scriptis nihil quicquam impediens oculos conuertite; sed si hac contentione decertare nobiscum velit, cum vestris illis verè mendicis, æreque alieno oppressis (vti nos vocare non erubescitis) qui sub imperio Reginae Mariæ vestrum euãgelium præ se tulerũt, comparate tot fortissimos nobilissimosq; Comites, Barones, Equites auratos, Armigeros, aliosq; magni nomi-

nominis & dignitatis viros, qui vel carceres perpeffi sunt, vel (quod sana conscientia fieri potuiffet illis erat perfuafum) pro religione arma fumpferunt: non quidem aduerfus Principem aut patriam, fed aduerfus impios homines, qui ad fe locupletandos fuafq; hærefes ftabiliēdas, tenera Principis ætate sexuq; imbecilliore abufi funt. Numerate præterea alios plurimos, qui cum effent partim natalium fuorum splendore, partim publicis muneribus quibus in Repub. fungebantur clariffimi, omnes opibus commodisq; huius vitæ abunde circumfluentes, ea tamen omnia pro fide Chrifti dereliquerunt. Horum ego magnum numerum recenfere poffem, qui & animo parati, viribusq; fatis prompti funt (nifi Principis reuerentia, patriæq; chariffime amor prohiberet) ad religionem fuam & honorem armis defendendum contra omnes hæreticos qui confictis mendacijs eos aufi fuerint infamare.

Quorum omnium ordinem & bellicam fortitudinem calumniator ifte extenuare conatur, commemorando nobilem *Wefmerlandia Comitem*; cuius particularem vitam atq; actiones, aut alterius cuiuscunq; & fi nihil opus eft aduerfus hæreticorum notiffimas calumnias malitiãmq; tueri; utq; adolefcentiam mittamus morefq; illi ætati fortiffis consentaneos (quos & a vobis ille didicit, & in aula atq; castris non effe femper caftiffimos, fatis ipfe qui hæc fcribis, intelligis) tamen & craffum effe mendacium quod de eius cõfecto corpore fcribitur, ipfe poteft abundanter probare, & innumerabiles teftari poffumus, cum fanum incolu- memq; viuere, & in exercitu Regis Catholici honorificum locum tenere. Nec etiam dubitamus afferere illuftrem *Northumbria Comitem* gloriofo vitam martyrio finiiffie. Quæcunq; enim illius mortis caufa prior extiterit, eum tamen fuiiffe Martyrem ex eo conficitur, quod vitam ei aduerfarij obtulerunt, modo religionem Catholicam voluiffet deferere. Neq; ab eo honore ex-

Comes
Wefmer-
landia.

Northum-
bria Co-
mes.

cludēdi sunt multi alij, qui eadem de causa vitam suam cum eo sunt periclitati. Ad quem locum aggregamus optimo iure omnes Sacerdotes, qui ob nuperrimè inuēta læsæ Maiestatis crimina (vni Angliæ propria, toti præterea mundo incognita) vitam cum morte commutarunt. Isti enim omnes quoniam vitam & facultates sibi oblatas pro Christi fide contempserunt, certum est in Sanctorum ac Martirum numero habendos esse, non secus ac si ea sola de causa mortem obijissent.

Ideóq; cum Doctorem *Sanderum* ac *D. Brissonum* libelli scriptor perduellionis insimulet, quod huiusmodi viros eo quem diximus sensu martyres appellauerit, suam ipse ignorantiam prodit; nec minorem omninò malitiam, cum martyrum nostrorum catalogo ascribere nos iubet *Somerfeldum* quendam nuper occisum, coram Deo fortassis reuera martyrem, si (quod de eo omnes affirmant, & ipse libelli author fatetur) mentis expertus & furiosus extitit. Cui profectò quicquid in ea mentis alienatione fecit, vitio verti non potest. Aduersariis vero pro homicidio deputabitur, quicquid in illum ita affectum perpetrarunt: potissimum verò, si (vt plurimorum fert opinio, eaq; multis probabilibus cōiecturis confirmata) data opera, summissis carnificibus clam necatus fuerit; (quod illi accidisse fertur, qui *Lancastriæ Ducem* accusauit, aliisq; multis, & nominatim *Ioanni Hunno* in turre *Lolardi*, si qua fides *Foxo* habēda sit) ne ipsius fortasse operâ, horribiles quēdā machinationes de *Domini Ardeni* viri innocēssimi fortissimiq; condēnatione ac morte procurata, potestè erumperēt. Cuius viri eadē cum *Nabothi* illi^o cuius sacræ literæ meminerūt, causa, verbaq; quib^o (vt aiūt) *Reginam inter im mortales in celo locum optabat*, tam seuerè rigidèq; a potentissimo quodam iuratōq; eius hoste, qui multos iam annos eius perniciem studiosè meditabatur expensa erant & ponderata, vt ea cum fidei *Catholicæ*, quam ille non dissimulabat, zelo coniuncta, exitum

Somerfeldus.

Do. Ardenus.

3. Reg. 21

exitum illi funestum & calamitosum, summo cum totius patriæ dolore attulerint. Sed me aduersarij impertuna loquacitas de via nonnihil deflectere coegit.

Vt ergò vnde digressi sumus eò reuertamur; inter illos insignes prælatos qui cum primùm Regina ad regnũ capessendũ accederet, de officio ac dignitate deiecti fuerunt, principem locũ tenuit (Primate Cantuariensi iam antea defuncto) Archiepiscopus Eboracensis, summus Regni Cancellarius, cuius viri quanquam a Protestantium religione abhorrentis, fidelitatem tamen erga Reginam vehementer libelli author prædicat: eumq; proponit tanquam exemplar clementiæ a Regina Catholicis exhibitæ, cui toto regno Maria Reginæ simile nullũ reperiamus (sic enim incondideratè nugatur) cum tamen Regina Maria multis nõ modo hæreticis, sed etiam proditoribus improbissimis qui ad eam Regno vitæq; exuẽdam, consilia, opes, armaq; confociauerant, vitam & facultates omnes clementissimè condonauerit, qui adhuc sunt superstites, & toti mundo notissimi, & a nobis facilè possent nominari. Addit deinceps libelli author (quod est perspicuè falsum) hunc præfulem, sua se sponte summi Cancellarii munere atque Archiepiscopi dignitate abdicasse, cum omnes norunt, eum cum suis Suffraganeis cæterisq; coepiscopis per vim deiectum fuisse & spoliatum, quòd nec iuramentum illud de Regine Priuatiu absurdissimũ præstare, nec in sua prouincia Calvinianos ritus atq; sacra recipere & propagare voluerit.

*D. Heath
Archiepiscopus
Eboracensis.*

Quorum Episcoporum zelus in causa Dei ac religionis, tam erat flagrans & heroicus (quamuis eos libelli author propter fidelitatem atq; obedientiam nobis anteponat, vt ita non iniuriã mutatam rerum faciẽ populo persuadeat, ac nobiscum agi modò crudelius, cum illi primò tractarentur clementius) præsertim vero Reuerendiss. illius Archiepiscopi, vt magno sanè ac

*Episcopus
Carliolēsis.*

excelsō animo tantoq; viro dignissimo, eam quæ nunc est Reginam, more aliorum Regum inungere ac coronare recusarit, quod sui tamen muneris erat, defuncto iam (vt diximus) Metropolitano. Idemq; simul omnes Episcopi vno consensu recusarunt, donec tandem non sine magna difficultate, ab Episcopo Carliolēsi omniū penē infimo, vt hoc munere fungeretur, impetratum est. Quod hoc loco propterea commemoro, quia libelli author pro sua eximia prudentia, factum illud Archiepiscopi, summæ illius erga Principem obsequantiæ atq; humanitati tribuit. Nemini verò dubium esse potest, quin tãti numeris detrectatio, in homine præsertim cui illud ex officio incumberebat, longè maiorem perduellionis suspicionem præbere potuisset, quàm eorum multa quæ posterioribus annis pro fidei Catholicæ defensione a Sacerdotibus gesta sunt, si hæreticorum illius temporis aduersus Christi Ecclesiam malitia ad eam maturitatem peruenisset, ad quam nunc peruenisse cernimus.

*Cur Episcopi
Catholici
Reginã
solemniter
coronare
recusarint.*

*Iuramentũ
Regum
Angliæ,
quũ in
Regnum
in
auguratur.*

Cur autem hoc Episcopi ita recusarint, vt nulla cuiusquam autoritate vel metu ad Reginam solenni ritu coronãdam adduci potuerint, causa fuit, quod multo ijsq; valde probabilibus argumentis permoti, credebant eam iuramentum illud sacrosanctum, vel non daturam omninò, vel certè paulò post violaturam, vel non Reges omnes Christiani, Angli verò præsertim cum ad Regni gubernacula euehantur, obstringere se consueuerunt; sanctę nimirum Ecclesię se leges, honores, pacem, priuilegia defensuros, & singulis Regni ordinibus ius suum conseruatuos, vt regnãte *Edouardo Confessore* factum esse annales nostri testantur. Verebantur etiam ne decepta pessimo inuenim quorundam confilio quos circa se habebat, infano tum hæresis amore atq; ambitione flagrantes, solennem illam sacramq; vnctionis ceremoniam, Christianis omnibus Regibus communem, magno Regni totius scandalo respiceret.

Id quod eo vehementiùs formidabant, quia non ita multò ante viderant eam cum primò folium Regale conscenderet, illi quem diximus *Episcopo Carliolensi* ad altare stanti, paratoq; vt coram illa sacrificium Missę perageret (factum mirabile in fœmina contra Episcopum, in adolescentula contra venerandã grauitatis senem, idq; in Ecclesia, ad altare, in ipsa diuinissimorũ mysteriorum celebratione) præcipere, vt sacrosanctam Hostiam nõ attolleret, quòd illã ipsa ceremoniã nequaquam probaret. Cui Episcopus tum quidem summa cum laude constanter parere renuit; quod iam in nobis capitale fortassis læsã maiestatis crimen, & erga Principem infidelitas diceretur. Et istius quidem facti Episcopum illum nunquam pœnituit: alterius verò, quòd Regina Christiano more Regale diadema imposuerat, vbi rei euentum vidit, seq; suosq; omnes Coepiscopos sacriq; ordinis socios ex Ecclesiis suis exturbatos, sanctasq; Ecclesię Catholicę leges contemptas, & religionem conculcatam, contra fidem quam Regina in consecratione sua paulo ante sanctissimè dederat, & contra pacta conuentaq; quibus Regni administrationem acceperat, huius (inquam) facti cum quoad vixit adeo vehementer pœnituit, vt hac de causa vitam deinceps perbreuem eamq; peracerbam duxerit.

Aliàs certè Episcopi, & ex Ecclesiastico ordine viri primarij, tantã animi magnitudinem ostendebant quãtã in tam repentina hæresis irruptione optare quisquam poterat. Sua enim priuata pericula adeo neglexerunt, vt eorum pleriq; Excommunicationis censurã aduersus Reginam aliosq; nonnullos adhibendam censerent qui duces illi authoresq; fuerunt tam periculose defectiõnis totiq; Regno ignominiosa; Regno (inquam) illi, quod tam paucis ante annis fuerat *Sedi Apostolicæ* reconciliatum, & sacrosanctis omnium ordinum iuramentis confirmauerat se deinceps perpetuò

Episcopi & alij Ecclesiastici Reginam excommunicandã censuerunt.

in eius communionem permanfurum.

Verum prudentiores Epifcopi, vel certe manfuetiores, propofitis quæ ex eo facto fequutura videbantur magis incommodis, contrariam fententiam prætulert. Itaque rem eam Romano Pontifici totius Catholicæ Chrifti Ecclefiæ pafiori committendam potius ftatuerunt, quàm ab illis qui Reginz erant fubditi attentandam: quia factum illud nefcio quos fortaffe tumultus & fcandala, totiusq; ordinis ecclefiaftici perturbationem aut etiam perfequutionem poffet probabiliter excitare. Non eft enim dubium quin aduerfarij fibi perfuafiffent Excommunicationem hanc emiffam ab Epifcopis, tumultuandi potius ftudio, quàm amore & charitate, officijq; fungendi zelo, a quo tamen omnes huiufmodi cenfuræ re vera proficifcuntur; quocunq; tandem modo ij in quos feruntur, malè videlicet affecti & morbis animi grauiorib; sæpenumero laborantes (Principes præfertim, nifi in timore Dei multum profecerint) eas interpretantur: cum sæpe legamus multos Epifcopos propterea a multis Regibus in veftigio iugulatos.

Atq; hæc omnia a nobis ideo dicuntur, ne quis aduerfarij verbis fraudulentis circumuentus, Præfules illos reuerendos minus quam nos in Dei caufa ftrenuos atq; ardentis, id eft (vt ipfe commentatur) Principi fideliores fuiſſe putet: aut nos illorum sobolem & progeniem, omnibus in rebus legitimis minùs quam illos eſſe Principi obfequentes atq; fideles, ob eamq; cauſam aciori animaduerſione dignos. Quanquam (vt ſimpliciter dicam) illorum perpetua captiuitas ſqualorq; carceris, frequenſq; a carcere in carcerem, ab vnius Pſeudoepifcopi ædibus ad ædes alterius, ab vno custode ad alium traductio, egestas interdum ſumma, quotidianæ contumeliæ iniuriæq;, & alia id genus complurima quæ eorum nonnulli totos iam annos viginti quinq; pertulerunt, quæ

uis morte longè sunt grauiora. Quare hæc deinum est certa & insignis persecutio, quum tales viri ac tanti, pro ea quam diximus causa, reclamantibus legibus atq; omni ratione, a quibus reuerentiam maximam & obedientiam possint requirere, ab ijs affliguntur maxime, & vexantur contumeliosissimè.

Nec minor est calamitas Catholicorum in Anglia nobilium, quos aduersarius scribit *nec vita, nec fortunis priuari, quamuis summi Pontificis primatum credant, affirmantq; Reginam omnium suorum subditorum, qui quidem Ecclesiastici sunt, gubernatricem esse minimè debere. Quæ tamen opinioniones (inquit) secundum Regni leges, aliqua ex parte, & quadantenus castigantur.* At quicquid iste tam gnauiter mentiatur, verum certè est, magis intoleradam Nobilitati quam Ecclesiasticis ipsis iniuriam fieri. Multò enim vehementiùs & indigniùs nobiles illi vexantur, spoliantur, exhauriuntur, mulctis, exactiõibus, obligationibus, proscriptionibus, carceribus, alijsq; pœnis infinitis, quæ vobis quotidie sunt in vsu, a nobis autem commodè non possunt exprimi. quos promiscuè cum Latronibus ad tribunalia sistitis; tanquam proditoriè de statu & religione sentientes, conuitijs incessitis; ad eos calumniandos, sordidissimam vulgi fæcem, Ministros, exploratores, & apparitores submittitis; aliquando in suis ipsorum domibus inuaditis, & violenter pecunias, quæq; occurrunt alia bona eripitis, aliquando ex domibus in siluas saltusq; & (quod scientes loquimur) in flumina compellitis; & deniq; relictis paternis laribus in exilium ad ignotas & peregrinas regiones huq; illucq; profligatis. Quod quàm sit miserum, quàm calamitosum, quis ignorat? Cùm necesse sit eorum familias per amplas sæpenumero & copiosas, vel fame & inedia domi contabescere, vel apud exterarum nationum mendicatio viuere. Vtroq; enim loco eorum omnes fortunæ a vobis occupantur, ipsèq; hereditates vel Principis fisco ascribuntur, vel homini alieni scelestò

*Nobilium
in Anglia
Catholicorum
persecutio.*

ac nefario donantur, qui ipsos spoliandi facultatem a Principe obtinuerit.

Os durum
aduersarij.

Quæ cum ita se habeant, audet tamen iste vir bonus prædicare (ne eorum in Nobiles ipsos crudelitas quæta sit, mundus intelligat) ea quæ ad conscientiam pertinet, ad Religionem, ad Sedem Apostolicam, *Non nisi aliqua tantum ex parte, et quadantenus puniri*, citra vitæ aut fortunarum iacturâ; cum nemo sit qui nesciat, iniurissimis ipsorum legibus eos & posse & solere non tantum hæreditatem omnem Catholicis Nobilibus, sed & libertatē, & vitam deniq; ipsam eripere. Exempla si quis requirat, proferimus in primis *D. Trugionum*, qui tot iam annos in carceribus aliena liberalitate vitam tuetur, fundis & facultatibus amplissimis spoliatus. Proferimus Laicos illos non ita pridem *Vintonia* & *Andoueri* martyrio defunctos, & tot alios primæ nobilitatis, bonis omnibus ipsoq; natali solo eiectos, tot in ipso Regno atq; in suis ædibus ita oppressos & rebus omnibus exinanitos, ut quo a se suisq; tamen depellant, omnino non reperiant. Quodq; est miserabilius, nullum in Angliæ Regno virum esse paulò clariorē asserimus, cuiuscunq; sit loci & dignitatis, qui si aliquo signo Religionis atq; modestiæ Christianæ, in Catholicam fidem se propendere ostenderit, de vitæ fortunisque suis vel diem vnum aliquam sibi posse securitatem polliceri. Mox enim per fas ac nefas suis illum Statutis tanquam retibus illaqueabunt, & in carcere concludent, breuiq; (ni diuinit⁹ protegatur) cum tota familia perdent, & possessiones omnes ad capitalem plerunq; illius hostem transferent. Atq; hæc sæpenu-mero fiunt in scia atq; inuita Principe, quæ contra naturalem suam mansuetudinem & clementiam, ad hanc inhumanitatem paucorum dominatione impellitur, quibus tatum est in ipsam totamq; Rempubliam imperij, nemo ut Catholicus nisi quoad ipsi voluerint, de vitæ opibusq; suis securus esse queat.

Novit,

Nouit, qui omnia nouit Deus omnipotens, nos has extremas Catholicorum in patria nostra calamitates & ærumnas nequaquam supra rei indignitatem exaggerare, qui minimam partem earum miseriarum oratione nostra assequimur, quas illi in dies & horas singulas patiuntur. Quorum si catenas, si compedes, si carceres, si fugas, si spolia, si direptiones, si contumelias, mortes deniq; varias & exquisitas si orbis Christianus ita posset oculis intueri, quemadmodum nos ea sentimus & experimur, omnes certè Principes Christiani nobis commiserarentur, & has nostras de illorū immanitate querimonias longè iustissimas esse iudicarent.

Et hoc quoq; ad infelicitatem nostram augendam accedit, quòd Calumniatores isti mendacia de nobis manifesta spargēdo, & piam nostram de religione sententiam malitiosè deprauando, etiam exteris nationibus inuisos nos reddere conātur. quale est illud (verbi causa) quod hoc in loco scribitur: plerosq; in Anglia esse viros nobiles, qui existimant non debere Reginam in suo Regno Gubernatricem esse suorum subditorum, siquidem Ecclesiastici fuerint: neq; tamen (inquit) propterea morte mulētantur. De morte quatenus pro talib; opinionibus inferatur, suprā quod satis est diximus. quod verò ait, Catholicos hoc asserere, insignis est & mendacissima calumnia. Longe enim aliud est, & infinito interuallo discrepat (quod præ stupore iste non intelligit) si quis dicat, Non cadere in potestatem Reginae vt in rebus Ecclesiasticis præsit Episcopis, vel præscribat eis quid in Sacramentis tradendis, in concionandi munere, in toto doctrina Christiana sequendum sit & fugiendum; & si quis dicat, eam non esse Reginam vel Gubernatricem Ecclesiasticorum, aut (quod idem valet) Sacerdotes aliosue Ecclesiasticos non esse Reginae subditos. Debent enim Ecclesiastici, etiam Monachi & Religiosi, D. Chrysostomo teste (quem Author iste alio loco impe-

Callida aduersarij fraudes.

Quilibet princeps summus est suorum etiam episcoporum gubernator, sed non in omnibus rebus aut causis.

ritè citat, vt omnib⁹ in rebus eos Principi subesse probet) Regibus suis parere, ciuiles eorum leges pro Reipub. pace ac subditorum gubernatione latas obseruare, omnemq; illis honorem & obsequium istiusmodi in rebus exhibere. Quod a Catholicis Episcopis ceterisq; Prælati Ecclesiasticis, & semper est factum, & hodie tum in Angliæ tum in alijs Regnis fieri, ipse Libelli author ignorare non potest. Nec Christianis modo Regibus, sed etiam infidelibus hæc subiectio debetur. Verùm in Religione atq; officio spirituali, certum est Reges neq; Ethnicos neq; Christianos, Episcopis autoritate antecellere. Vereq; Regium est his in causis, non regere sed regi, non præire sed sequi, non imperare sed obtemperare, nec elatè Episcopos suos docere, sed potius humiliter illis se docendos & dirigendos tradere.

His itaq; similibusq; virulentis calumnijs, Libellis improbis, & impuris maledictis, præter eas calamitates quas supra memorauimus, ob auitæ fidei ac doctrinæ Christianæ defensionem lacessumur. Quæ omnia rectè expensa & dijudicata, ostendunt discrimen maximum & clarissimum inter nostrorum hominum verissima martyria, & iustissima hæreticorum supplicia; qui quoniam obstinata animi inductione sanguinem suum in falsitatis testimonium fundunt, contra Christi & Ecclesiæ fidem, & extra Christi atq; Ecclesiæ unitatem, martyres esse non possunt, sed sui ipsorum execrabiles homicidæ.

Vnicum modò superest cui breuiter est respondendum. Sux enim sectæ martyres, aduersarius ait sub Maria Regina, *Nec legitimam suam Principem vnquam negasse, nec illius hostes fouisse, vt vestri (inquit) faciunt.* Quis non obstupescat incredibilem hominis impudentiam, qui nulla necessitate coactus, mendacium fundit tam crassum & luculentum, vt ei refutando innumerabiles per Angliã, immò & remotissimas Prouincias testes adhiberi

Quod nostrorum Protestantium martyres proditores fuerunt.

beri possint. Quis est enim in historia nostri temporis adeo peregrinus & hospes, qui nesciat vestrum illum Archiepiscopum, quem hic nobis protomartyrem *Crámerus* op-
ponitis, manifestissimæ perduellionis accusatum, con-
uictum, atq; condemnatum fuisse: ob opinationes for-
tasse, & cogitationes vi tormētorum expressas, vt iam
in Anglia moris est? Immo quia arma viresq; suas cō-
iunxit ad Principem tum regnantem, & hanc sororem
quæ post eam regnī gubernacula excepit, e Regali
throno deiciendam; quia vtramq; Principem illegi-
timam, ideoq; & Regio diademate indignam pronū-
ciavit; quia milites conduxit qui partes iuuarēt Ducis
Dudlai, nominis ex quo *Henricus septimus* regnavit, to-
ti Angliæ infauti & perniciosi, quod semper ad altissi-
ma ambitiosè cōtendit, sed infæliciter cum suis ad ima
præceps corruit.

Quid verò Martyr ille vester proximus, Superinten-
dens *Ridlæus*? An non læsæ Maiestatis insigniter reus, *Ridlæus*.
Archiepiscopi sui *Cranmeri* vestigia est sequutus? An
non ad *Crucem Paulinam*, in vrbe Londinensi, frequen-
tissima cōcione, palam prædicauit, & Reginam *Mariam*
& eam quæ nunc regnat *Elizabetham*, spurias fuisse, ex
adulterio cōceptas, & proinde ad Regni successionem
ius nullum habere? An non vester ille nunc famosus *Sandes*.
Superintendens Eboracensis (non quidem adhuc martyr,
licet magnas (vt intelligo) grauesq; cruces non ita pri-
dem passus sit, ob causas vulgo in Anglia notissimas,
mihi tamen hoc loco verecundiæ ac pudoris causa re-
ticendas) iste an non idem audacter & publicè in Can-
tabrigiensi Academia contestatus est? quod etiam &
Confessor vester *Iuellus* Sarisburiensis, Oxoniæ fecit-
set, nisi opportunè a prudentioribus fuisset impeditus.
Deniq; quis ignorat totum Protestantium gregem il-
lius Cantianæ in Principem atq; Patriam ductore *Probat*
viato coniurationis apertæq; rebellionis, participem *hoc infra*
fuisse aut conscium? Vt interim prætermittam multa *ca. 4. suo*
ipsorum te-
stimonio.

alia contra Rempub. Anglicanam eo tempore tentata ab ijs, qui nostra memoria, omnes pene Respub. orbis Christiani similibus seditionibus & bellis domesticis inflammaverunt. Sed de his mox plura. Nunc ad aduersarium nostrum redeamus.

Est enim hoc loco operę pretium, eius artificiosam sophisticen aduertere. Nam cum ea quę ante tam constanter affirmavit, vel pudorem illi afferant, quia falsa; vel dubitationem, quia incerta; ad extremũ breui sententiola huic malo pręsens remedium adhibere & rem omnem in tuto collocare sibi videtur, cum ait, quod isti Martyres *tempore mortis, Reginam suam non negarunt.* Atq; huiusmodi tricarum & captionum plena sunt omnia. Quibus breuiter respondemus; quid illi vel mortis tempore, vel altero post die (si lubet) fecerint, Deus nouit. sed in vita fuisse perduelles pessimos & perfidiosissimos satis constat, quales sunt illius sectę pleriq; omnes. Et ex nostris (bone vir) id est Catholicis, quorum vitę ac mortis testes apud vos tam multos ac prope innumerabiles habetis, quot quęso ad supplicij locum adducti, ac iam morituri, vel suum omne obsequium Reginę negarunt, vel pro ea Deum supplices non orarunt? Omnes profecto vt in vita, obedientię atq; fidelitatis erga Superiores tum Ecclesiasticos tum Ciuiles exemplum posteris singulare reliquerunt, ita vitam suam per beatam cum patientia verę Apostolica animiq; tranquillitate posuerunt, ob eam fidem, in qua ipsi, patria q; tota, omnes deniq; Christianę Prouincię Christo nomina in Baptismo dederunt, & pro qua olim gloriosissimi Ecclesię Christi martyres sanguinem suum Deo obtulerunt.

Hęc sacrosancta fides, hęc Ecclesię, hęc æquissima causa, hęc inquam causa Christiana & Catholica & Apostolica, Martyres nostros ab aduersariorum flagitiosis perditisq; sicarijs longissimo discrimine separat; ideoq; iustam nobis de sanguinaria hac persecutione

conquerendi causam suppeditat, aduersarijs verò nec tenuissimam causę vllius aut rationis verisimilitudinem; quocunq; tandem vel numero, vel atate, vel conditione, vel deniq; animi pertinacia fuerint, qui pro suis hæresibus mortis supplicium pertulerunt.



SACERDOTES NOSTROS AC CATHOLICOS FRATRES, IN RESPONDIS suis ad interrogata de PII QVINTI BVLLA, prudenter se & grauitè, minimeq; seditiosè gessisse: nec posse eos propterea vllis Patrię antiquis legibus ad mortē damnari; vbi examinantur sex articuli quos de Bulla eiusq; vi solent proponere.

CAPVT. IIII.



Est in illis Regnis in quibus hæretici dominantur, totaq; penes eos qui *Politici* vocantur auctoritas residet, Religionis interdum nomen præteditur, maximè cum illud adiumento esse poterit ad ea quæ moliantur celerius faciliusq; conficienda: tamen verè

Differentia inter Politicos & Christianos in gubernanda Republica.

eorum prima & præcipua cura circa Statum temporalem vertitur, & consequenter circa suam & Principis in hac vita felicitatem, cuius breuem vsuram cum prophano *Esau*, præferunt omnibus venturi sæculi bonis, benedictioni Iacob, ipsiq; Regno Christi, Regno (inquam) spirituali in Ecclesia, quæ domus est illius glo-

Heb. 12. v. 16.

riæ, nostræq; salutis Arca, qua fluctus & tempestates huius mundi præteruecti ad æternam patriam navigamus. In Regnis vero ac Prouincijs Christianis, illud in primis omni studio (vt par est) Magistratus curat, vt Deo debit⁹ honor cultusq; deferatur, Ecclesiæ Catholicæ utilitas, populiq; salus modis omnibus prouehatur, sicq; transcat⁹ per hæc bona temporalia vt non amittantur neq; periculo exponantur æterna.

In qua rerum differentia illud obseruare licet, grafsante hæresum confusione, peccata in Principem siue verè cõmissa, siue falso supposita, magis esse odiosa, & castigari longè grauius, quàm quæ contra Dei ipsius Maiestatem patrantur. maiora vidēt⁹ crimina aduersus Reipub. ciuilem quàm aduersus Ecclesiam; aduersus corpus quàm aduersus animam; magis negotiosè de tributo Cæsaris, quam de cultu Dei disputatur. Cuius egregium nobis exemplum præbet Ieroboami Regnum & regimē, vbi Principum virorum curæ & cogitationes omnes eò intendebantur, vt Regnum Israel a Iuda separaretur prorsus, atq; ita per se stabiliretur, nullam vt spiritualem cum Ierusalem cultus diuini & Sacrorum communicationem haberet, ne ea occasione diuisæ tribus in pristinum aliquando statum reuocarentur. Deniq; eo tempore quicquid ad illarum tribuum coniunctionem & consociationem veterem faciebat, grauiissimis supplicijs vindicabatur, quæ vero ad Religionem pertinebant, pro nihilo habebantur omnia.

Regnum
Ieroboam.

Regnum
Angliæ.

Non aliter in Patria nostra, quamdiu Deo atq; ipsius Regno cælesti, primæ, & Ciuili Reipub. secundæ tributæ sunt (vt semper fieri par est, & nisi fiat, quicquid tandem simulamus, Christo in Reipub. locus nullus relinquitur) cõmissa in Deum crimina primo loco puniebantur, vt blasphemix, hæreses, schismata, aliq; id genus: secundo deinde loco animaduersum est in ea quæ Principē Patriamue offendebāt. Cuius rei, ex ijs
quæ

quæ a Maria sanctissima Principe gerebatur, pulcher-
 rimum exemplum sumere licet. Tunc enim quamuis
 sine vlla nouorum perduellionis criminum fictione,
 Archiepiscopus ille quem supra nominavi, alijq; hære-
 ticorum Principes iustissime pro coniuratione ac Re-
 bellione de qua erant conuicti, extremo supplicio af-
 fici poterant; tamen in eos tanquam hereticos vindic-
 care, magis Christianæ rationi consentaneum visum
 est. Quod genus homines, perduelles nimirum contra
 diuinam Maiestatem, infinitè magis exhorrescere de-
 bet & omnibus virib⁹ comprimere Christianus Prin-
 cept, quàm alios quosuis perduelles qui grauissima
 peccata contra ipsius Maiestatem admiserint.

At vero cum in Regno aliquo Potestas secularis
 primum locum tenet, Spiritualis vero tãquam appen-
 dix & additamentum quoddam illi annectitur, ab eaq;
 tanquam accidens a suo subiecto sustinetur, quod in
 Anglia iam vsu venit; hereses in fide leuiter & molli
 brachio prætereuntur, etsi Ministri (vt Patronis suis gra-
 tificentur & scenæ inseruiant) mirabiles aliquando in
 pulpitis tragædias agant; omnesq; omnium delibera-
 tiones ad Principis dignitatem considerandam confe-
 runtur; nostræ autem actiones & omnia religionis of-
 ficia ponderantur, tanquam non Dei gloriam & ho-
 norem, sed Reginæ quietem & securitatem minuētia.
 Ipsi enim profitentur nihil se nobis propter Religio-
 nem negotij faceßere, nec propter eam qualiscunq;
 sit, quenquam nostrũ affligere. Vnde manifestò osten-
 dũt, vel veram esse Religionem nostram propter quã,
 vel ipsa aduersariorum conscientia teste, iniustum est
 nos pœnas aliquas dependere, aut certè se de Religio-
 ne nequaquam esse sollicitos, nec quid nos credamus
 aut non credamus omninò curare, nisi quatenus fides
 nostra Principem aut Rempub. attingat. Quam tamen
 simulatam moderationem suam aliquando ita strin-
 gunt & premunt, vt quum voluerint eliciãt sanguinem.

Etenim cum errores nullos, nullas hæreses falsas de Deo diuinoq; cultu opiniones in nobis inueniant ob quas meritò puniamur, cumq; illos (vt credibile est) recentium suorum de læsa Maiestate Statutorum aliquantisper pudeat; nouum crimē (si Superis placet) & antehac inauditum excogitarūt, nouoq; illud nuncuparunt nomine, neq; a nostris Theologis vnquam cognito, neq; in suis ipsorum legibus vsurpato. *Proditarias* nimirum *Affertiones* appellant, & *malitiosas* contra Reginam *opiniones*, vt in priori quodam Libello *Præiudicium seu dispositionem* contra eius Maiestatem. Hoc nudius tertius inuento crimine iam nos potissimum premunt, tam in suis aduersus nos scriptis, quàm in Iudicijs publicis. Pro quo vt plerosq; Catholicos non ita pridem crudeliter enecarunt, ita hac sola ratione explorare se dicūt, vtrum Papistæ sint Proditores necne, vt deinceps meritas ab eis pænas reposcant. Hoc autem generale nomen *Proditariarum assertionum*, quò certius abditos hominum sensus & cogitata eruant, in sex membra partiuntur, de quibus eos particulatim interrogant, quos vel e vita tollere, vel in summum delictum adducere intendunt. Sunt autem huiusmodi.

I.
Captiosæ
questiones
Catholicis
propositæ.

1. Vtrum *Pij Quinti Bulla* aduersus Reginæ Maiestatem legitima sit sententia, eiq; parere debeant subditi Anglicani.
2. Vtrum hæc Regina sit Regina legitima, eiq; obedire debeant subditi, non obstante *Pij Quinti Bulla*, aut vlla alia Sententia quam Papa pronunciauit aut pronunciare potest contra ipsius Maiestatem.
3. Vtrum Papa habeat, aut habuerit authoritatem commouendi subditos. vt contra eam arma sumant atq; illius Regiones inuadant; & vtrum Subditi hæc facientes, legitimè faciant necne.
4. Vtrum Papa habeat potestatem propter aliquam causam, liberandi Reginæ subditos, aut subditos alicuius Christiani Principis a iuramento obedientiæ præstito

stato Reginae aut Principi suo.

5. Vtrum *D. Sanderus* in suo *de visibili Monarchia Ecclesiae* libro, & *D. Bristous* in suo *De rationibus ad fidem Catholicam amplectendam mouentibus*, cum Bullam illam *Pij Quinti* probant confirmantq; , veritatem an potius falsitatem doceant atq; defendant.

6. Si Papa per suam Bullam aut sententiam pronunciet Regnam esse Regno priuatam, & deinceps non esse Regnam legitimam, illiusq; subditos solutos esse ab eius obedientia; & deinde vel Pontifex ipse vel aliquis ipsius iussu atq; autoritate inuadat hoc Regnum, quantum (inquiunt) partem tueberis? aut quae pars bono Regni Angliae subdito est sustinenda.

Ad has quaestiones si nihil respondeas, aut si non respondeas cum contemptu ac reiectione autoritatis Apostolicae mox *haud bonus esse subditus*, sed Proditor iudicaris. Atq; hoc in loco Principes oēs populosq; Christianos nostrarum miseriarum atq; iniustissimae afflictionis testes appellamus, qui teterrimae mortis supplicium perferre cogimur pro solis cogitationib; , quae debent esse liberrimae, pro reconditis animorum opinionibus, ijsq; non nisi vi & terrore expressis, neq; tamen ab vlla Academia, vel Schola in orbe Christiano damnatis, neq; per nos vnquam enūciatis nisi cum ipsorum interrogantium violētia & impulsione in eā necessitatem adducimur. Quoad alia, nec verbo nec facto Principem offendim; , nec leges patrias vllō modo violauimus, quin potius Principi omnem honorem & obsequium semper exhibuimus, & quascunq; penas religionis causa nobis impositas patiēter sustinuimus. Sic enim profectō pleriq; omnes tūm in Anglia tūm in Hybernia Catholici, totos iam annos viginti quinq; sese gesserunt, paucis exceptis vtriusq; Regionis nobilibus, qui in tam diuturna atq; intolerabili oppressione, semel arma ad sui defensionem induerūt. (Qualem patientiam in Protestantium congregationibus non

Quemadmodum se gesserint Catholici in Anglia post Bullam Pij Quinti.

magis reperias, quàm in heresi veritatem, aut in pumice aquam, ut clarè ex bellicis eorum in Gallia, Flandria, ac Scotia, contra suos Principes furoribus potest manifestò perspicì.) Nostri vero nobiles post tam incredibiles & animo & corpore susceptas difficultates, post fortunarum omnium, honorum, Patriæ, libertatis deniq; iacturam tanto tempore præclara animi constantia toleratam; semper nihilominus domi forisq; debitam Regiæ obedientiam præstiterunt. Nec in Anglia quisquam propter *Pij Quinti* Bullam ad arma prorupit, vlllo tempore post Bullam illam publicatam (quamvis Libelli author malitiosè tēpora, res gestas, hominumq; actiones ita confundat, ut quæ antecesserunt, Bullam eam fuisse consequuta asserat) sed omnes non minùs officiosè quam priùs, Regijs mandatis obtemperarunt.

Quemadmodum se gesserint Ecclesiastici circa Bullam *Pij Quinti*.

Ecclesiastici etiam, siue Religiosi siue Sacerdotes, siue Romani Seminarij siue Rhemenfis, vel cum in Anglia Popularium suorum saluti operam dabant, vel in exteris Academijs literarum studijs incumbabant, honorificè semper de Regina, non obstante *Pij. 5.* Bulla, & fenserunt, & loquuti sunt. Nec vllum verbum in suis Concionibus, libris, nec ipso mortis tempore, nec prioribus coram Iudice aliquo Confessionibus emisserunt, quod animum a Regiæ obedientia alienum saperet. Imo (quod nos ad istorum improbas calumnias clariùs refellendas nostramq; innocentiam demonstrandam fidenter affirmamus) probari non potest, Sacerdotem aliquem vel ex *Societate Iesu*, vel ex *Seminarijs* in Confessione Sacramentali quempiam Anglum absoluisse, qui Regiæ fidelitatem debere se negauerat. Dicimus eorum neminem, obedientiam vni prorsus homini dissuasisse, in ijs quæ iuris Regij sunt, & ad Ciuilem Rempub. pertinent.

Illud etiam constat, nihil huiusmodi, Sacerdotibus vel a Summo Pontifice, vel ab alijs Rectoribus Collegiorum

giorum commissum aliquando fuisse: nihil (inquam) quod Reginae auctoritatem temporalem imminueret; nec in ipsa absoluedi seu reconciliandi potestate quicquam huiusmodi continetur. quanquam aduersarij nodos in scirpis inuenire tam multa cōtentione laborāt.

Quin etiam Collegiorum Præsides, quanta maxima potuerunt diligentia semper cauerunt, & (quantū fieri poterat in tanta naturarum & ingeniorum dissimilitudine) effecerunt, ne in scholasticis de Summi Pontificis auctoritate disputationibus, Principum excommunicandorum vel deponendorum aliqua fieret mentio, nec in genere quidem; tantum abest ut in Reginae nostrae causam voluerint particulatim inquirere. Quae quidem controuersia etsi a Theologis definiri possit, & caeterarum controuersiarum more in Scholis suo loco tractetur, tamen quia ea nunc est miserrima Patriae nostrae conditio, ut huiusmodi questio cum Ciuili statu Reipublicae implicita sit & copulata; possentq; suspiciosi homines quod diceretur vniuersē, de Regina sigillatim interpretari, a cuius causa discutienda libēter abstinebatur, idcirco haec tota controuersia magno silentio semper fuit praetermissa.

Atq; hanc in disputationibus moderationem nostri omnes ubiq; seruarunt, praeter duos praestates quidem illos & magno zelo praeditos, *D. Saderum & D. Bristoum*, qui suas habebant rationes cur paulo ulterius procederentur: quos neq; defendere nobis neq; reprehendere est animus. Hoc tamen scimus, multos Catholicos illud factum aegre tulisse, optasseq; omnino ut ea res tam grauis varijsq; obnoxia suspicionibus, literis commissa nunquam fuisset, sed sublimioribus potestatibus Dei; potissimum iudicio reseruata; ut vel in hoc saeculo, vel certe in altero, cum & Pontifices & Principes *Rationem reddent villicationis suae*, de hac ille controuersia decideret inter duos nostros Superiores, alterum quidem Spiritualem cuius est officium excelsius, cuiq;

De D. Saderi ac D. Bristoi saeculo.

Luc 16.

in spiritualibus magis est obtemperandum; alterum vero Secularem, cui omnem obedientiam in ijs rebus quas diuinæ nobis literæ præscribunt similiter debemus, & quam nunquam detrectauimus.

Quamobrem non modò *D. Bristow* in secunda additione siue epitome prioris operis, cōtrouersiam illam odiosam & ea tempestate importunā omisit, verum etiam *D. Sanderus*, & si quod ille tum scripsit, nulli alterius cuiusquam nationis Catholico viro displicuit, (quorum iudicia sunt liberiora, quia nō ijs quibus nos legibus impediuntur) doctissimum quendam librum suppressit, quem in defensionem Sententiæ a *Pio Quinto* prolatae scripserat, atq; ante annos circiter quatuordecem tipis excudi fecerat. Cuius libri exemplar modò nullum, quod sciamus, in manibus hominum extat. Quod temperamentum omnes deinceps Catholici, tam Ecclesiastici quam Seculares sequuti sunt, illiusq; sententiæ rigorem quoad licuit, semper sunt moderati.

*P. Cæpiani
colloquium
Romæ habitum.*

Ipseq; adeo beatus martyr *Campianus* (vt in historia condemnationis illius memoratur) cū ante annos duodecem, non multò postquam Bulla ista in lucem prodijt, Romam adueniens cum Primario quodam Cardinale colloqueretur, interrogatus de rebus Anglicanis, & quo tandem modo Catholici tot tantisq; persecutionibus non frangerentur animo, planèq; deficerent; & ecquid boni excommunicationem fuisset consequutum: Respondit ingenuè, eam Catholicis admodum fuisse molestam, & propter quam Regina eos multò quam antea grauiùs premebat. Quibus verbis indicabat vtile quidem esse, Sententiæ illius vim ita restringere, vt ne subditos obligaret, quò minùs Regine tanquam Principi legitimæ more solito obsequerentur, non obstante illo interdicto Sedis Apostolicæ. Quod officium summæ charitatis & beneuolentiæ, nō puduit aduersarios tãquam criminofum quid aut Proditorium, illi in Iudicio exprobare.

Tantaq; est eorum dementia, vt in hoc suo Libello, optimo illi Patri *Campiano*, eiusq; Superiori, Reuerēdo Patri *Personio* actionem intendant perduellionis, idcirco quia a Pontifice maximo *Gregorio 13.* supplices petiuerūt, antecessoris sui censuram eatenus saltem modificari, nullum vt Catholicum *Reginæ* subditum in conscientia obligaret, quo minus *Reginæ* tanquam legitime suę Principi posset obedire; quamcunq; tandem aduersus Protestantes vim haberet, qui eam penitus contemnebant. Sciebant isti Patres non commissurum Summum Pontificem vt censura illa prorsus aboleretur, præsertim cum pars rea, eorum propter quæ excommunicatio ferebatur, nihil quicquam emendauerat. Sciebant etiam *Reginam* ipsam atq; Protestantes, censuram eam planè aspernari, nec vllam ab ea liberationem expetere. Nec ignorabant, cum ad securitatem *Reginæ*, tum ad tranquillitatem Reipub. magnū in eo esse momentum, si Catholicis persuasum esset, ea Sententia non esse se ita astrictos, quin ciuilibus in rebus omne *Reginæ* possent obsequium & officium præstare. Quin etiā videbant, subditos multo id promptius & iucundius esse facturos, cum ea obediētia quæ prius solo timore & terrore nitebatur (qui malus est diuturnitatis custos) nunc etiam Christiana pietate & conscientię vinculo sanciretur. Sciebant deniq; in spiritali illa militia, in audiendis Cōfessionibus, in Hæreticis ad fidem conuertendis, in Schismaticis Ecclesiæ Catholicæ reconciliandis, non posse se fructuosè versari, nisi eos de Principatu *Reginæ* agnoscendo, Apostolica autoritate securos redderent. Cum ergo intellexerent, neq; Summum Pontificem nisi de alterius partis penitentia constaret, censuram illam penitus reuocaturum, neq; *Reginam* condiciones vllas in hac causa accepturam, satius esse existimarunt hoc modo temperamentum quoddam Censuræ quærere, quàm eam in primo suo rigore relinquere, vt ita quàm pos-

De petitione P. Personij & P. Campiani circa Bullam moderatā.

sent maxima lenitate & mansuetudine vtriq; Principi satisfacerent; expectarentq; si forte animum Reginae Deus tandem aliquando inflecteret ad aliquam rationem incundam, qua denuo Christiani orbis communioni restitueretur: quæ sola est & vnica via tum istius quo nunc fruitur Regni conseruandi, tum æternæ salutis in Regno Christi adipiscendæ.

Quodnam ergo (Deus bone) scelus hi Patres admitterunt? & quo modo hoc magis est læsæ Maiestatis crimen, quàm si a sua Sâctitate postulassent, vt Regina ipsam, omnesq; Protestantes ab illius Bullæ censura absolueret. Quo modo vel illi vel sacerdotes alij, prudentiùs moderatiùsq; se gerere potuissent, quàm iram administrando, vt Catholici omnes quibuscum illis negotium solis erat, de obedientia Reginae præstanda securi essent; reliqui verò qui excommunicatione illam contemnebant, Supremi Dei iudicio relinquerentur.

Ex quo facilè iudicari potest, quanta fuerit Catholicorum hac in re prudentia & mansuetudo, totos iam annos penè quindecim, ex quo Censura hæc a Sede Apostolica manauit; quantum studium curamq; impenderint, vt ea Censura leuis & tolerabilis illis efficeretur, quibus aliàs Religioni fuisset Reginae imperium agnoscere. Nunquam de ea vel scripserunt, vel omnino loquuti sunt, aut egerunt quicquam, nisi tantum ad pacem, quietem, & tranquillitatem quoad fieri poterat, Reipub. conciliandam, quæ infalici hac Religionis mutatione, nescio quos motus & perturbationes in dies reformidat. Et facillimum fuisset aduersarijs, nostræ Nationis viros omnes eruditos vel in perpetuo silentio, vel in ea quam diximus temperatione cõtinuis se, nisi quidam Magistratus, Catholici sanguinis nimii sitientes, sua inconsiderata importunitate aliquos perinuitos ad egressum ad suam hac de re sententiam explicandam, & veritatem eius quæstionis accuratè diligenterq;

*Imprudens
in Politicis
minimeq;
Politica
procedendi
ratio.*

genterq; limandam, quam aliàs tanquam minus necessariam vel ad salutem vel ad morum emendationem, libenter sempiterna obliuione contriuisent.

Id quod faciebant omnes eo quidem studiofius, quia mortuo iam *Pio Quinto* qui primus sententiam eam tulerat, eius Successor *Gregorius 13.* qui nunc Apostolica Sedis clauum feliciter tenet, nunquam (quod scimus) eam renouauit; sed patienter Reginae ipsius, totiusq; Patriae ad Ecclesiae pacem Regumq; Christianorum societatem, reditum expectando, interire quodammodo permisit, saltem quod ad Catholicos attineret. Quemadmodum similis Sententia a *Clemente 7.* Pontifice contra *Henricum 8.* pronunciata, voluntaria quadam obliuione deleta est ad Regis vsq; obitum, partim propter magnam succedentium Pontificum patientiam & prudentiam, partim etiam propter multiplicem spem, & varias pollicitationes quas Rex de sua ad Ecclesiam reuersione fecerat; quanquam diuina providentia eum prius ex hoc mundo ad suum tribunal abripente, tanto beneficio dignus non est habitus.

Excommunicatio Henrici 8. per Clementem 7.

Ad hunc ergo modum sese Catholici in hac Excommunicationis materia semper gesserunt, donec nuper nonnulli sanguinaria quaedam interrogata crudeliter excogitantes, & in conscientias non solum impie sed etiam imprudenter inquirentes, hominum non verba, aut dicta, aut scripta, sed ipsas tacitas opiniones & imaginationes extorquere conati sunt. Vnde non modo sacerdotes multi vitam amiserunt, sed etiam alij plurimi vi quadam contra voluntatem suam pertracti sunt in hos labyrinthos, vt de rebus publicis & politicis cogitationes suas exponerent, Qui tamen omnes ita responsa sua moderati sunt, nihil vt efferrent quod ipsorum fidelitati praedudicaret. Id quod obseruarunt, non modo dum vitae spes aliqua superesset, verum etiam cum accepta mortis sententia, nihil iam praeter carnificis manum attenderent,

Desiderium Catholicorum ne de rebus Politicis responderent cogere.

Variæ re-
sponſiones
Catholico-
rum ad ſu-
periores 6.
de Bulla
quæſtiones.

1.

2.

3.

4.

5.

6.

Eorum alij alias rationes inuenerunt, quibus se quæſtionum iſtarum nexibus expedirent; omnes autē ſummam honeſtatem, fidem, & innocentiam oſtenderunt. Quidam vt (verbi gratia) Pater *Campianus*, reſpondit quæſtiones illas controuerſas, non in illo tribunali vbi ad perſuadendum nihil adhibebatur præter ceſtes & tormenta, ſed in ſcholis Academicarum, argumentis & media theologia petitis eſſe definiendas. Alius, videri ſibi Pontificem qui Sententiam eam tulerat, labi aliquid quando & errare poſſe, non quidem in doctrina, ſed in facto; quia deficerent informationes vel probationes neceſſariæ quæ plerunq; requiruntur: vtrum vero is errauerit necne, ſuaq; authoritate in hac Cenſura abuſus fuerit, hoc ſe Deo decidendum relinquere, quòd ipſe ſibi nõ arrogaret poteſtatē de Pontifice Romano iudicandi. Alij, Bullam ſe nec in vita ſua inſpexiſſe aliquando, ideoq; de illius ſenſu aut efficacitate nihil reſpondere poſſe, nec reos eſſe vllius criminis quod contra ſuam Maieſtatem in ea contineretur; immo nec vquam de Bulla fuiſſe cogitatuſ, niſi iam importunè iſti memoriam eius redintegrarent. Fuere etiam qui dicerent, non eſſe ſe tanta doctrina præditos, vt ad tot interrogata reſpòdere ex tempore poſſent; credere verò ſe de his alijsq; omnibus, quemadmodum docet Eccleſia Catholica, cuius principem & magiſtrum (inquiunt) proſitemur eſſe Eccleſiam Romanam. Alij generaliter dicebant, eſſe cauſas aliquas propter quas excommunicare atq; deponere Principem ſummus Pontifex ſine dubio poſſit; quales ſunt, Apoſtaſia, Arrianismus, aliaq; id genus, quæ cùm interuenerint, poteſt Pontifex relaxare ſubditos a iuramento quo Principibus obligantur. at de Regina particulatim malle ſe obmutefcere, quàm aliquid in alterutram partem definire. Poſtremò quidam interrogati, quid vel ipſi facturi eſſent, vel alijs ſuaſuri, ſi religionis ergò ad arma veniretur, reſponderunt ſe eo tempore (quod illi qui-

dem

dem omninò non futurum sperabant) id facturos quod bonos Sacerdotes deceret, id est Deum pro pace oraturos, & vt veritas atq; iusticia in bello praualerent.

In quibus omnibus, nemo non videt quanta solitudine cauerunt semper Catholici, ne dum suam expontunt sententiam, verbum aliquod efferrent quod Reginae aut eius Proceribus offensionem leuissimam preberet. Ex altera parte non minus luculentum est, in quas angustias ministri magistriq; haeresum deuenierint, qui nullam sperant suae sectae diuturnitatem, nec putant posse se nefarias contra Deum, Ecclesiam, & patriam, artes suas & machinationes continuare, nisi his vtantur tyrannicis modis ab ipsa communi omnium natura abhorrentibus.

Iudicent iam Christiani fratres nostri omnium Nationum, de nostrae calamitatis causa, modo, & magnitudine. Pontificem Rom. de Reginae excommunicatione nos quidem nunquam vel verbulo sollicitauimus; postquam facta est, illius modificationem vehementer expetiuius; illaq; nos non impediuit quo minus obedientiam Reginae semper praestiterimus. Respondere coacti, eam quam dixi, in respondendo aequabilitatem erga Reginam illiusq; Consiliarios diligenter seruauimus. Accusare nos nemo mortalium potest vllius erga patriam aut Reginam conspirationis: nemo vel factum, vel verbum, vel suspicionem minimam pretendere, alicuius seditionis per nos in Repub. concitare. Tamen his omnibus non contenti aduersarij scire ex nobis volunt quid facturi posthac sumus, si quid forte contingat huius vel illius generis. Rimari omnium Catholicorum corda volunt, & penetrare in consciencias, & (quod omnem Antichristi ipsius violentiam superat) ob sola cogitata, ob arcanos sensus, teterrima nos morte afficere; idq; (in quo plus quam diuinam Maestatem vsurpant) non tantum pro peccatis praeteritis & commissis, sed etiam futuris; & forsasse non futuris

*Malitiosa
& sanguis
naria Per
secutorum
iniquitas.*

nec vnquam comittendis.

Quæ horribilis, res futuras hominumq; intentiones quarum nullam ipsi anticipatam cognitionem habere possunt, explorãdi ratio; non modò naturæ leges peruertit, verùm intolerabilis planè est, ac Regnis omnibus longè perniciosissima: possètq; facilè omnes Angliæ Catholicos (nisi maiore Dei metu cõtinerentur) ad extremam prorsus desperationem, & quasi ad classicum canendum impellere: cùm videant omne genus officij & obsequij, quodcunq; a fidelissimo subiecto desiderari potest, non satis valere ad vitam suam tuendam, quin semper quotiescunq; magistratui, vel potèti cuius aduersario collibuerit, de mortiferis his capitibus, deq; cogitationibus suis possint examinari; idq; his miserrimis temporibus, cùm eorum prophani ministri vulgò e suggestis in auribus auditorũ personant, Papistas (quos vocant) omnes animo ac volũtate Prodigandum, quæstiones ante positas maximè esse idoneas Libelli author affirmat.

In hanc nimirum tam vilem corporũ animorumq; seruitutem, hæc efferata atq; barbara hæresis nos induxit; ipsosq; etiam aduersarios in tam innumeras de suo Statu formidines: quam prætendũt maximam esse causam tam inusitatæ erga nos acerbitalis. quæ certè longissimè abest non solum a ratione & natura, sed etiam a moribus Regionam & populorum omnium, quicunq; sunt sub sole propter barbaricam & agrestem feritatem immanissimi.

Fuere quidem non valde dissimilia Christo Domino nostro a Scribis & Pharisæis aliquando obiecta, vt caperent eum in sermone, elicerentq; ex eo verba aliqua in speciem, Cæsaris imperio supra populum Dei repugnãtia, quod multis fuisse odiosum credebant, ijsq; præsertim, qui maiore legis zelo flagrabant: licet oēs, partim metu, partim alijs de causis, quoad externa of-

*Iudeorum
artes ail-
ner sus
Christum.
Mat. 22.*

ficia

ficia parere Cæsari non renuerent. Quas captiones etli Christus Dominus pro diuina sua sapientia facile dissolueret, non cessarunt tamen exclamare, *Hunc inuenimus prohibentem tributa dari Cæsari*; quo modo alij deinceps S. Stephanum ac S. Paulum criminati sunt. Ad eundem modum Anglicani Pharisæi, nostri sanguinis cupidissimi, explorant, sudant, insidiantur, ad omnem se fraudem & malitiam versant vt nos *in sermone nostro capiant*, & tanquam retibus suorum Statutorum inuoluant; nec prius desistunt quàm aliquid exuxerint, saltem intentiones nescio quas aut futura rerum euenta quæ obedientiam Reginæ debitam videantur contrahere. En casus miseros, en quò deuenimus Angli.

Luc 23.

Act. 17.

Nam cum cæterę calumniæ, conficta crimina, testes subornati, artes deniq; omnes aduersus Sacerdotes atq; Catholicos deficiunt, tum ad hanc confugiunt tanquam Sacram ancoram; & aperto ore vociferantur hoc esse atrocissimum Maiestatis læsæ crimen; videlicet, cum quis ad tormentorum locum adductus, ibiq; ab illis percuntatoribus imperiosè interrogatus, respondet, Reginam si (quod Deus auertat) Arrianismū, Apostasiam, aut Atheismum (quibus erroribus humana fragilitas obnoxia est, & in quos, innumerabiles Christiani inciderunt) aliquando amplecteretur, dignitate sua priuari posse, subditosq; ab obedientia illi præstanda liberari. Hoc vnicum illud est scelus proditorium & pestiferum, quod isti Solones & Reipub. conseruatores, e Catholicis tam incredibili labore & diligentia eruerunt. Quod tamē quamuis liberè a quocumque suaq; sponte dicatur, perduellioni nihil penitus habet affine; multo minus cum per vim & laniatus, vel per insidias & fraudes, ab hominibus perinuitis extorquetur.

Negat istius Libelli author vllos in Anglia Catholicos vexari ob quæstiones de religione aut conscientia. Et quis tamen est, si vel primis labris gustauerit re-

*Quaestio de
Primatu
Pontificis,
Theologica
est non Po-
litica.*

ligionem, quin sciat hanc esse quaestionem de religio-
ne? Est quidem planè theologica, & cum religione
Christiana arctissimè cohærens; de qua etsi forsan non
definitè pro parte nostra pronunciatum sit, posse tamè
& solere theologicis argumentis in vtramq; partem
disputari, ipsi quidem aduersarij, si quicquam sciunt,
ignorare non possunt. Spectat enim ad Romani Pon-
tificis Primatum & authoritatem Apostolicam, pro
qua nemini in Anglia conflare periculum capitis, Li-
belli authoriterum atq; iterum contestatus est. Hæc
nimirum propositio, aut alia quæcunq; eius generis,
Esse situm in potestate Põntificis Romani, excom-
municare, aut Regno priuare Principem propter hæ-
resim vel Apostasiam; & (quod ex eo cõsequitur) sub-
ditorum iuramentum & obligationem aliàs ratam,
dissoluerè, vsq; eò vt se & religionem Catholicam ar-
mis contra talem Principem tueantur: hæc (inquam)
propositio, nulla certè lege ab *Edouardo 3.* condita, vel
leuissimam habet cum Maiestate læsa cognationem;
qua tamen lege sola, nos (vt iste ait) iudicio læsæ Ma-
iestatis arcessimur. Quicunq; aut hodierno die hanc
propositionem quouis in Regno per orbem Christia-
num defendit, aut in ipsa Anglia regnante *Edouardo
Tertio* defendisset, nunquam profectò læsæ Maiestatis,
aut inofficiosæ erga Principem Patriamue affectionis
fuiisset accusatus; ac neq; iure accusari potuisset. Inter-
est enim & honoris & salutis omnium Regum & Re-
rumpublicarum Christianarum, prorsus vt se Christo
eiusq; Ecclesiæ subijciant, illudq; sibi persuadeant, se
diutius in populum Christi regnum legitimum non
habere, quàm vires suas Regniq; potentiam contule-
rint, ad Regnum Christi, hoc est, Ecclesiã Deiq; veri-
tatem, qua & Regum & subditorum omnium salus æ-
terna continetur, in mundo amplificandam.

Quid si temporibus *Reginæ Mariæ* (cuius regnum
quasi aduersarijs permolestum, nobis autem iucundum
iterum

iterum atq; iterum inculcatur) quisquam vel in Scholis, vel in Ecclesia, vel etiã æditis libris docuisset, Principem aliquem, adeoq; & Reginam ipsam, propter heresim aut Atheismum, a Reipub. gubernaculis depelli potuisse. Ecquis sana mente præditus, ita vel scribenti, vel prædicanti, de læsa Maiestate actionem intendisset? Si in clarissima Parisiensi Academia, aut insigni illo Sorbonæ collegio, Theologicam hanc assertionem aliquis publicè in oculis & auribus omnium propugnaret, Posse Summum Pontificem propter heresim Ecclesiastica in Regē Censura uti; hocine Christianissimam illius Maiestatem offenderet, qui haud dubiè diuturniorem huius vitæ vsuram nõ optat, quàm eam Christi gloriæ propagandæ impenderit; & quem certum est, non aliter animatum esse, quàm fuit Maximus & fortissimus eius auus *Franciscus primus*, qui dicere solebat, *si sciret partem aliquam carnis suæ contagione heresis infectam, eam se manu sua a reliquo corpore præcisuram?* Idem de Catholico Hispaniarum Rege dici potest, qui ne propriam ipsius sobolem (in quam Deus suæ benedictionis abundantiam quã largissimè fundat) sibi in Regnis succedere desideraret, nisi eandem Catholicæ Religionis custodem & vindicem constanter permansuram crederet. Quod idem sine quæstione de Imperatoria Maiestate pronunciari potest. Ac ne summus quidem Põtifex (in rebus spiritalibus procurandis nostrisq; animabus regendis cæteris omnibus excelsior) de aliquo suorum subditorum pænas expeteret, si fortasse prædicaret ipsum Pontificem in heresim aut Apostasiam lapsum, nihil Apostolicæ potestatis retinere, sed omne suum ius & dignitatem Pontificalem amittere.

*Quid alijs
Principes
de istis pro-
positionibus
sentiant.*

Atq; hinc a Libelli authore flagito, ut illud breuiter respondeat, qua tandem lege, qua consuetudine, vel canonica, vel ciuili, quo iure prouinciæ alicuius, vel nostræ vel alienæ, reuocatur hæc assertio ad læsæ Ma-

iestatis crimé? Ea opinio quæ in alijs omnibus Regnis est saltem tolerabilis & probabilis, cur in solo Angliæ Regno adeo est mortifera & capitalis? cùm nulla adhuc lex communibus Principis & populi suffragijs lata, eam improbauerit, neq; verò vlla cuiusq; Reipub. autoritate iure improbari potest: cùm hoc firmum & ratum sit, Principis aut Reipub. tranquillitati opinionem nullam obesse, quæ Christianæ theologiæ est cõsentanea. Deus enim, idem & Ecclesiæ & omniũ Rerumpub. cõditor, in sublimiore illa Theologia Ecclesiæ politiam complectente nihil fanciuit, quod inferioris Principatus ius aut autoritatem aliqua ratione infringeret.

Obiectio.

Responsio.

Ac dicetis fortasse (atq; hoc nisi dicatis profus obmutescere vobis necesse est) quanquam generalis illa propositio vera sit, *Reges propter hæresim deponi posse*, eam tamen ad Reginam Angliæ nominatim applicare atq; contrahere, hoc crimen est Maiestatis læsæ. In Statutis enim parlamenti quæ anno 13. huius Regine facta sunt, pæna capitis decernitur ei, quicunq; Reginam *Hæreticam* dixerit vel *Schismaticã*. Sed in promptu est respõsio. Primùm, si quis dixerit Reginam propter hæresim posse deponi, non eam idcirco hæreticam appellat, magis quàm Hispaniarum aut Galliarum Regem, de quibus idem pronunciatum verissimè affirmari potest, quos tamen nemo Christianus hæreticos appellauerit. Quòd si conscientia vestra vobis tale quid suggerat, aut vobis eam suspicionem afferat, talibus, de hæreticis vel contra hæreticos sententijs vos maxime perstringi, non iam ergo nos, sed vos ipsi in culpa estis, & in statutum parlamenti vestri peccatis, qui vniuersè dicta, ad vos ipsos speciatim accommodatis.

Respondemus deinde, lege vestra Anglos fortasse obligari, ne ita periculose loquantur de ea, cui Deus tradidit in hoc mûdo vitæ nostræ necisq; potestatem. Concedo (inquam) retardari posse nos, ne Reginam

Hære-

Hæreticam, Infidelem, vel Schismaticam (hæc sunt enim statuti verba) appellemus, etiam si certò sciremus eam esse varijs iisq; grauissimis hæresibus infectam. At verò statutum hoc Parlamentare, Romanum (vt opinor) Pontificem non astringit; nec eum potest coercere, quò minùs tradita sibi diuinitus potestate vtatur, ad definiendum secundum Dei atq; Catholicæ Ecclesiæ leges, quis sit hæreticus, quis Schismaticus, & in quem siue Principem siue subditum ea definitio nominatim conueniat. Neq; viri docti, Itali, Galli, Hispani, Germani, illa Parlamentari lege ora sibi obstrui patientur, quò minùs libere descriptionem hæresis illi applicent, in quem iuxta canones Theologicos videbunt eam aptè quadrare.

Ad nostros certè fratres quod attinet a vobis interfectos, ignorare non potestis illorum nec vnum, *sponte, malitiose, aut per contemptum* (vti lex vestra habet) Regiam *Hæreticam* vocasse. Sed qui ea voce vsi sunt, non *sponte* sed captiosis interrogationibus in eam quasi necessitatem per vos redacti sunt, vt ita aliquam saltem quamuis pertenuem haberetis eos iugulandi occasionem.

Atq; vt clementiam vestram cum magna solertia *Summa* coniunctam in huiusmodi negotijs omnes intelligant, *persequuto-* operæ pretium erit, exèpli gratia, vnius *Ioannis Nelsoni* *ri malitia.* sanctissimi martyris iudicium mortemq; breuiter *Ioannes* proponere. Qui ad Magistratum adductus, & cuius esset *Nelsonus* religionis rogatus, Catholicum se esse constanter *Martyr.* respondit. Rogatus deinde, quid sentiret de religione ea quæ nunc per Angliam vigeret; respòdit, eam sibi hæreticam ac schismaticam videri. Quid ergo est schisma inquit? quibus ille, voluntaria discessio a Romana & Catholica Ecclesia. perge igitur (ait Magistratus) & quid de Regina opinaris? nunquid illa tibi schismatica videretur? (neq; enim priora adhuc responsa causam aliquam præbebant vnde eum statuto læsæ Maiestatis ir-

retirent. Hic vero *Nelsonus* moderatissime respondit, se propter summam quam Regiæ Maiestati deferrebat reuerentiam & honorem, nūquam de ea sic fuisse loquutum, neq; certè sine aliqua temeritatis nota potuisse, quando ipse voluntatem Regiæ profus ignoraret, nec omninò sciret vtrum ea Anglicana religio illius mandato & imperio fuisset apud eos constabilita. proinde suppliciter Iudices postulare, ne cum prudentes scientesq; ad aliquid contra leges committendum pertraherent, a quo hæctenus semper quam diligentissime sibi cauerat. Illi verò hic minimè consistūt, posse enim se (aiunt) certissimò confirmare, Anglicanam hanc religionem a Regina & ab initio fuisse constitutam, & per eam hodie propagari. At contrà *Nelsonus* in prioritertgiuersatione hæreret, nec velle se principum arcana scrutari, nec conscientiam posse cognoscere, neq; certè constare sibi de ea Regiæ voluntate aiebat. Sepe numero fieri, vt ea a Principibus manare dicerentur, quæ re vera a suis quibusdam ministris erant profecta: quo loco vt sapiēter *Beatus Augustinus* admonuit, *Decipi ab hæreticis quis dicitur & hæreticis credere, nec tamen propriè est hæreticus.* Sed quia de beati viri morte iam antea constituerant, his omnibus non contenti, hac rursus hypothesi eum aggrediuntur. Hoc (inquiunt) posito & cōcesso, Regiam esse *Religionis istius Schismatica* (quam vocas) Principem & propugnatriè, ecquid tum *Schismatica* est & *Hæretica* an non? Hic vir sanctus cum principis indignationem ex vna parte vereretur, ex altera magis pertimesceret offensam Dei, & scandalum fratrum, vbi paululum respirasset, & silētiò virtutem cælitus petiuisset: Si hanc (inquit) religionem vestram Regina foueat & amplectatur, tū *Schismatica* (inquit) sine quæstione & *Hæretica* est. Hoc audito verbo, statim cōclamatum est, reus est mortis, nec multò post hominè tanquam legis violatè reum martyrio coronarunt.

Testes iam Christianos oēs appellamus, vt hæc quæ

Discrimen
inter hære-
ticum, &
hæreticis
credentem.
*Augst. de
vilit. cre-
dēdi. ca. 1.*

com-

commemorauimus, æquabiliter expendant, & confiderent quàm inuiti Regiam fratres nostri Catholici vel re vel verbo offenderint; quàmquã; pudendis fraudibus & captionibus id ab eis extorqueatur, in quo potestica aduersarij exultant, & iustam vitæ tollendæ occasionem se nactos gloriantur. Non est, nõ est Catholicis tribuendum, quasi nos hæc generalia Scholarum & Academiæ omnium axiomata ad particularem statum Angliæ contrahamus. Hoc aduersariorum potius iniuriosis actionibus, timoribus, calumnijs, questionibus, suspicionibus omnia ad se rapientibus & de se interpretantibus ascribendum est; qui a recta via aberrantes, & peruersissimè rempublicam administrantes (quem errorem vtinam aliquando corrigerent) & se ipsos in has ancipites curas, & nos in has miseras & querimonias inuitos induxerunt.

Illud ad extremum respondemus, quocunquã; tandem modo Catholici vel hæctenõ; impulsi fuerint, vel deinceps impellentur, vt ista de *Regina primatu Ecclesiastico*, de ea vocanda *Hæretica, Infideli, vel Schismatica*, vel alia quæuis recens inuenta statuta transgrediantur, hoc totum ad mortem eis propterea infligendam valere non debet, cum tam apertè aduersarius in hoc suo Libello profiteatur, nihil esse vel hæctenõ; obiectum, vel in populo Catholicis obijciendum, tanquam capitali supplicio dignum, præter ea quæ antiquis Regni legibus Maiestatem Regiæ lædere censebantur. Nos quoquã; ex altera parte Deũ atquã; homines cõtestamur (quoniam iam necessitas nobis imposita est his de rebus disputandi) quicquid vel hæctenus dictum est, vel deinceps ad nostram defensionem dicetur, de articulis illis per aduersarios ex Bulla Pontificia ad nos illaqueandos deductis, nequaquam a nobis contra naturalem Principem patriamquã; nostram dirigi, accommodari, aut intelligi. quanquam impedire non possumus homines improbos, formidolosos, suspiciosos, maliquã; sibi con-

*Protestatio
authoris
ante respõ-
sionem ad
articulos de
Bulla ab
aduersario
propositos.*

scios, rectè dicta perperam pro sua libidine interpre-
tari. Neq; verò hâc ego quæstionem aliter tractare in-
stitui, quàm Scholæ consuetudo postulat, nimirum vt
de ea generatim dicam, neminem autem mortalium
singulatim attingam. quin potius applicatione omnè
ad res singulares atq; personas, simpliciter relinquo
(vt par est) Ecclesiæ Dei, summisq; eius pastoribus, &
cuiusq; verè Christiani conscientiæ, ad cuius forte ma-
nus hæc nostra Defensio peruenerit. Neq; etiam ma-
gnoperè laborabimus, vt omnia priuatorum hominum
scripta aut facta, de Excommunicatione præstemus:
sed potius sepositis huiusmodi quasi personalibus con-
trouersijs, communi omnium nomine Apologiam hæc
instituentam putauimus, illudq; perspicuè demon-
strandum, Assertiones istas potestatis Põtificiæ ac Pri-
matus supra Reges in causa hæresis, apostasiæ, alijq;
huiusmodi; Dei verbo esse congruètes, nec vlli omni-
nò Principi aut Reipub. iniurias, & a nomine per-
duellionis alienissimas: quin potius Regnis omnibus
Rebusq; publicis (quæ quidem Saluatoris nostri Iesu
Christi legibus continentur) maximè vtilis & saluta-
res.

*Protestanti-
opimones
& facta de
Principibus
ob falsam
religionem
deponendis.*

Priusquam vero Catholicam explicare doctrinam
aggrediamur de Ecclesiæ authoritate in Regibus ac
Principibus religionis causa excommunicandis aut
deponendis, erit fortassè consentaneum ipsorum Pro-
testantium hac de re sententiæ praximq; communem
Lectori ob oculos proponere. Quod eorum iudicium,
quanquam non est magni apud nos momenti aut pon-
deris, vt quod constupratum esse scimus, & a seditio-
fis hominibus contra legitimum Dei Magistratum ad
suas hæreses per vim & scelus dilandas pronunciatû;
tamen cum suos sibi Magistros repugnare viderit ad-
uersarius, ex eo statim intelliget non esse perduellio-
nem, si quis Principi aut Magistratui religionis causa
resistat, sed potius fortitudinem gloriosam & predica-
bilem,

bilem, & ab hoc nouo euangelio mirificè commenda-
tam.

Ac primùm eorum Archimagister *Ioannes Caluinus* hanc ponit conclusionem, totius Sectæ & fraternitatis Zuinglianæ suffragijs sine controuersia approbatam. *Abdicant* (inquit) *se potestate terreni Principes, dum insurgunt contra Deum; immo indigni sunt qui censeantur in hominum numero. Potius ergo conspuere oportet in illorum capita quàm illis parere, ubi sic proteruiunt ut velint spoliare Deum iure suo. At quid hoc est in Deum insurgere, aut quis dicitur eum iure suo spoliare? sequitur, nisi omnes superstitiones aboleantur, Deus ius suum minimè obtinet. Neq; cōtentus est hæc in genere posuisse, sed eadem ad omnes ætatis suæ Reges & Principes deducit, & in eos tanquam bestias magis quàm homines inuehitur, & quasi signo erecto, populum ad eos verè conspuendos extimulat, seq; a seruitute eorum in libertatem vindicandos.*

Sic enim scribit eodem capite. *Hodie (ne repetamus veteres historias) ut reges ferè omnes fatui sunt & bruti, ita etiam sunt quasi equi & asini brutorum animalium. Quo igitur quisq; audacior est atq; proteruior, eò plus authoritatis consequitur in aulis, merito nobis deplenda est hæc Regū socordia, qui superbe contemnunt Dei dona in optimis quibusq; qui possent præesse in maximam utilitatem populi; & interim habeat in delitijs homines stupidos & sui similes, & non efferunt nisi suos lenones & scurras, & homines nihili, & quos Deus ignominia notauit. Quod solum factum, nimirum si impios honoribus augeat, & pios ad Reipub. gubernaculum nõ assumat, Zuinglius satis iustam causam esse censet cur Reges omnes de suis thronis deiciantur. Sed quoniam non agitur de moribus erga homines, sed potius de fide erga Deum, censuram Caluini de fide Regum omnium breuiter apponamus. Sic ille eodem in loco. *Darius exemplo suo damnabit omnes eos qui hodie se profitentur vel Catholicos Reges, vel Christianos, vel Protectores fidei, & interea non modo obruunt veram pietatem, sed etiam quantum**

Doctrina
Ioannis
Caluini.

Caluin. in
Dan. cap.
6. ver. 22.

Ibid.

Impura
Caluini
maledictio
in sua æta-
tis Princi-
pes omnes.

Vide infra
doctrinam
Zuingli.

Caluinus,
vbi supra.
versu. 25.

Caluin.
ibid. ca. 4.

in se est, labefactant totum Dei cultum, & libenter nomen eius extinguere e mundo, exercent tyrannidem aduersus omnes pios, stabiliunt sua sauitia impias superstitiones. Et rursus. Hodie Monarcha semper in suis titulis hoc obtendunt, se esse Reges, & Duces, & Comites, Dei gratia; sed quam multi falsò nomen Dei prætexunt, in hunc finem, ut sibi asserant summum imperium? Quid enim valet saepe in Regum & Principum titulis, Dei gratia? nempe ne agnoscant Superiorem quemadmodum dicunt, interea libenter Deum cuius clipeo se protegunt, calcarent pedibus; tantum abest ut seriò reputent se habere eius beneficium ut regnent. Merus igitur fucus est quod dicunt se Dei gratia pollere dominatione. Cum ita sit, facile hîc iudicium fieri potest quam superbe contendant Deum prophani Reges, etiam si non obijciunt eius nomen fallaciter, quemadmodum isti nebulones, qui palam Deum subsannant, & ita profanant nomen gratia. Hæc ille, ex quibus quis non perspicit, armati ubiq; populum Protestanticum contra Reges omnes, qui non statim repudiata fide Catholica, Caluini euangeliū suscipiunt. Cùm enim primò ponit, Abdicant se Reges terrenos dignitate sua, cùm volunt Deum iure suo spoliare; eosq; spoliare Deum iure suo, nisi aboleant superstitiones omnes; & mox addit, Reges Angliæ, Galliæ, Hispaniæ, & pari ratione reliquos omnes Catholicos & Lutheranos (imo & nonnullos Calvinistas) stabilire impias superstitiones, obruere veram pietatem, labefactare verum Dei cultum, immò cupere ut nomen eius extinguatur e mundo, & palam Deum subsannare; cùm eos præterea vocat Nebulones, Stupidos brutos, equos, & Asinos brutorum animalium, quasi nihil vel diuinæ pietatis vel humani sensus in se haberent; non opus est acumine aliquo, ut quid ex hoc efficiatur concipiamus; quando nemo est tam auritus Midas aut stupidus Choresbus, qui non vel oculis aspiat, vel manibus etiam contrectet.

Vide cap.
1. pag. 11.

Ut tamen omnis præcidatur cauillandi occasio, in vicinam Galliam intueamur, & quænam illic messis hanc sementem Geneuensem sit consequuta, contem-
plemur.

plemur. Vbi Caluini primarius discipulus Beza, armatis legionibus constipatus, subditos religionis causa contra Regem inflammauit; vbi pulcherrimas prouincias immaniter depopulatus est; vbi flumina exterorū hostium in ipsa patriæ suæ viscera immisit; vbi suafit nullam superesse pacificationis spem, nisi prius inimici vsq; ad internecionem omnes delerētur; vbi ad sempiternum bellum, & ne vnquam in animum inducant ut *Satana* (sic vocat Regem & Regios) transigant suos hortatus est (sequutus nimirum in eo consilium superioris Reginæ Nauarræ Cancellarij, quem propterea vt heroem immortalitate dignum celebrant Caluini-
stæ, qui inter duces & principes Reformatæ religionis ad eos in rebellionē obfirmandos, quotidianis sermonibus vsurpabat hanc tanquam auream sententiā, quod *libertas Ecclesiæ Gallicanæ qua armis comparabatur, non poterat nisi armis conseruari*) vbi deniq; martyrum numero ascribere non est veritus, eos qui cōtra legitimos suos Reges, aperto bello, signis explicatis, dimicassent & occubuissent. Sic enim concludit epistolam quam testamento nouo præposuit, & ipsi Reginæ Angliæ edicauit. *Geneuæ anno Domini 1564. Decembris 19. quo die ante biennium Gallica nobilitas illustrissimo Principe Condense duce, non procul Druidum vrbe fortissimè preliata, prima restituendæ in Gallia Christianæ religionis fundamenta, sanguine suo feliciter Deo consecrauit.*

Nec a Caluini Bezaq; vestigijs recedunt reformatæ (vti se vocant) *Ecclesiæ Gallicanæ* ministri, qui innumeris vijs & modis, hanc Martiam theologiam ab Evangelistis Caluino & Beza acceptam, suis quoq; discipulis instillarunt, variosq; ea de re libros partim latinos partim Gallicos conscripserunt: quales sunt, *Concilium sacrum, Alisthia, De furoribus Gallicanis, Francogallia Hottomanni, Iunius Brutus de potētia legitima Principis in populum, & populi in Principem, Epistola M. Bruccij, hoc est, Theodori Bezae, Le Tocain des Massacreurs, Refueille matin,*

Doctrina Bezae.

Bezae epistolæ Theol. 40.

Ibi ep. 41.

Le Toc. de Mass. pa. 132.

*Martyres sunt, qui in bello contra reges suos pro religione Caluini-
miana moriuntur. Beza in Testamēto nouo. anno, 1564.*

Doctrina reformatæ in Gallia Congregationis.

plurimiq; alij mihi quidem ignoti, at inter reformato-
 rum fratrum congregationes vulgati & notissimi. In
 quibus, præter immania mendacia & dictu incredibili-
 lia, præter horribiles & planè Satanicas in Principes-
 tum suos tum alienos, vtrosq; optimos & innocentif-
 simos profusas contumelias, hanc suam fidem de Re-
 gibus ob impiam religionem deponendis, vberri-
 me copiosissimèq; demonstrarunt. Sed quoniam ex singu-
 lis libris capita vel sententias excerpere nimis esset la-
 boriosum, instar eorum omnium erit ea *Generalis Con-*

Confessio.
 Galli. Ar-
 tic. 39.

fessio, quam Regi suo *Carolo nono* obtulerunt; vbi his
 cancellis Regiam omnem potestatem circumscribunt,
 vt Regi a suis non obtemperetur diutius, quàm ipse se
 diuinæ legi subijciat. sic enim se habent confessionis
 verba. *Affirmamus parendum esse legibus & statutis, soluen-*
da tributa, & reliqua onera perferenda, subiectionis deniq; in-
gum voluntariè tolerandum etiamsi infideles fuerint Magi-
stratus, dummodo Dei summum imperium integrum & illi-
batum maneat. Illa autem posterior clausula quoniam

Synodus
 Bernæ
 habita.
 Anno.
 1572.

ambigua est & varias patitur interpretationes, ipsi in
 synodo sua Bernæ habita ita eam declararunt, vt tum
Dei imperium manere dicatur illibatum, cum Calvinismus
 floret, & Rex exterminata religione Catholica, ex a-
 lijs hæresibus innumerabilibus, solam Calvinianam in
 Regno suo extollat. Aliàs & Regni statum immutare,
 & naturalem Regem expellere, & Ciuitates contra eum
 armare, & Regem quemuis externum in eius locum
 surrogare, summè fas iusq; existimant. Nos illius Syno-
 di canones quosdam libabimus. erit enim posteritati
 exemplum memorabile, & qua sint fidelitate erga Re-
 ges sectarij Calvinistæ, & quæ fidei atq; Reformatio-
 nis capita in Synodis suis tractare cõsueuerint, popu-
 loq; credenda adiderint. Ca. 3. decernitur, *vt in singu-*
lis Ciuitatibus omnes iurent, se suosq; posteros, ea quæ sequun-
tur capita, rata & inuolata seruaturus. 4. *Donc placuerit do-*
mino, in cuius manu sunt corda Regum, mutare cor Tyranni

Canones
 Concilij
 Bernensis.

Gallis

Gallicani, & statum Regni in meliorem ordinem restituere, aut
 excusitare principem aliquem vicinum, quem cognoscamus (per
 virtutem suam & notas insignes) esse liberatorem huius cala-
 mitosi populi; interim singula Civitates singulis annis eligent
 sibi Praetorem, qui illos regat tam in bello quam in pace. 5. Illi
 adiungetur Concilium 24. prudentium, qui ex nobilibus &
 ignobilibus deligentur promiscue. 6. deligetur praeterea Conci-
 lium 72. quorum in rebus grauioribus ubi de vita vel morte
 agitur, in primis requiretur consensus. Sequuntur alia mul-
 ta, quibus Monarchia Galliae ad meram Democratiam
 reducitur, & nominatim ad exemplum veterum Ionio-
 rum, Beatorum, Dolopum, & Achaeorum conformatur. Tū
 de disciplina militati statuitur, de ducibus & eorum
 officio; Vt milites eo animo contra hostes progrediā-
 tur, quo Gedeon contra Madianitas, vel contra Nica-
 norem & Paganos Iudas Machabæus; Vt praefecti,
 milites instruant ad subitas velitationes, ad inuaden-
 das vrbes, ad hostes adoriendos vel eorum irruptiones
 sustinendas; vt duces, & qui illis adsunt consultores,
 Catholicos (sic enim vocant) armatos & resistentes,
 omni acerbitate persequantur, & eorum prorsus ne-
 mini parcant; vt omnes in locos varij exploratores
 emittantur qui hostium consilia scrutentur & exqui-
 rāt. Ceterum canon vltimus longè dignissimus est qui
 altè mentibus omnium insculpatur, qui etiam totam
 hanc controuersiam clarissimè his verbis definit. *Ha-*
beant duces & Praefecti omnes hoc axioma instar indubitati
& certissimi cuiusdam oraculi, nunquam vt fidant ijs (Regi
& Regijs) qui toties tamq̃ insigniter fidem violarunt que-
temq̃ & pacem publicam, nec unquam arma deponant, quam
diu viderint eos persequi doctrinam salutis, aut eiusdem do-
ctrinae discipulos. Quod si agatur aliquando de pacificando, pri-
miū omnium illud constituatur quod gloriae Dei promouenda
conuenerit; deinde diligentissimè caueatur securitati Ecclesia-
rum, ne deinceps exponantur misericordiae luporum & Tigriū.
Et si Deo placuerit mollire corda Tyrannorum eosq̃ mutare, tū

Ca. 16. 17.

Ca. 28.

Spirituales
& Euan-
gelici Ca.
nones.

Ca. 29.

Ca. 32. 33.

Ca. 39.

Ca. 40.

bona cum voluntate omnes se submittent ijs, quos Deus nobis dedit Principes naturales, quibus omne obsequium præstabit. Sin verò malum sit insanabile, & diuina voluntatis sit esse exterminare, tum si Domino placuerit aliquem Principem Christianum suscitare ad peccata istorum ulciscenda & populum suum liberandum, ei se Principi subiectos tradant, tanquam alteri Cyro diuinitus ad eos misso. Interea his regulis se gubernent quas nos illis tanquam leges præscripsimus. Hæc tenus Concilium, quæ omnia clariora sunt quàm vt necesse sit ulterius Gallicanæ Ecclesiæ & Ministrorum fidem indagare, vtrùm fas sit pro religione, contra legitimum alioqui principem insurgere.

Zuinglius verò religionis Calvinianæ alter penè parens, Heluetius, & miles, & inter castra toties verſatus, qui potuit in hac bellica opinione a suis fratribus discedere, qui in bello pro Euangelica sua religione suscepto, vti militem decuit, vitam suam profudit. Romanum imperium (inquit ille) immo quodcumq; imperium, ubi sinceram religionem opprimere caperit, si nos illud negligerenter patimur, non minus cõtempa religionis rei erimus, quàm ipsi oppressores. Exemplum est Hierem. 15. ubi exterminationem comminatur Deus Israeli, quòd Manassem permississent impune esse pessimū. Et alibi paulò manifestius. Quàdo Rex perfidè & extra regulam Christi egerit, potest cum Deo deponi. cum autem in manifestè impios & delinquentes non animaduertit, extra regulam Christi ambulat; magis verò cum sceleratos prouehit & innoxios pragrauat, & c. dum hæc (inquam) facit, præter regulam Christi facit. Quòd autem deponi ab officio possit, Saulis exemplum manifestè docet. 1. Reg. 15. 16. Quin dum flagitiosi principes & Reges loco non mouentur, totus populus a Deo punitur, vt patet Ierem. 15. In summa. si Iudæi Regem suum non ita impune consceleratum esse permississent, a Deo non tam grauius fuissent puniti; nec filij Israel, si exauhorassent Manassem. Oportet oculum offendentem effodere & abijcere, sic de manu & pede, & c. Hæc nos breuiter astringimus, quæ apud illum multo fusiùs explicantur.

Quid

Protestantiũ
Cyrus in
locum Chri-
stianissimi
Galliarum
regis.

Zuing. li.
4. Epi.
Zuing. &
Oecolap.
fol. 186.

Doctrina
Zuinglij &
Ecclesiariũ
Heluetia.

Idẽ tom.
I. art. 42.

Quid verò nostri in Anglia Protestantes hac de re sentiāt, in promptu est existimare (vt alia mittam) ex libro quem Geneuæ emisit principalis quidam Anglicanæ apud Geneuenses Ecclesiæ minister: & emisit nõ tanquam singularem sui vnus, sed generalem omnium Anglorum qui Geneuæ confederant, & aliorum Geneuæ atq; Heluetiæ ministrorum sententiam. sic illi quæstionem hanc decidunt in libro qui inscribitur, *Quemadmodum superioribus magistratibus obediendum sit, &c. Quamdiu Principes & Magistratus, etiamsi coram Deo impij sunt scelesti & reprobi, exterius tamen curant Dei leges custodiri & obseruari ab alijs, tamdiu debemus illis obedientiam. Si vero audacter & ipsi leges Dei transgrediantur, & alijs id ipsum precipiant, tum perdidit eum honorem & obedientiam quam alijs subditi eis præstare tenebantur; neq; deinceps habendi sunt pro Magistratibus, sed puniendi tanquam privati homines. At quærat aliquis, quisnam ille est tanta autoritate præditus, vt de Principe vel Magistratu suo supplicium sumat? & quid si in aliquo regno, non solum princeps supremus, sed omnes etiam inferiores Magistratus in eandem cum principe diuinæ legis præuaricationem concurrat? Respondent isti, vulgus infimum habere summam a Deo ipso potestatem, vt Principem & Magistratus omnes pro tali transgressione ueliscantur. Sic enim ibidem loquuntur. Si princeps & Magistratus omnes repugnent legi diuinæ, habetis vos qui e populo estis, expressum diuini verbi testimonium pro parte vestra, & Deus ipse vobis dux & signifer erit, qui precipit nõ solum primoribus & Magistratibus auferre malum ex ipsis, siue idolatriam, siue blasphemiam, siue apertam iniuriam; sed hoc a tota multitudine requirit, cui gladius iusticiæ ex parte commissus est. Ideoq; si Magistratus omnes simul despicere velint iusticiam & leges Dei, vestrum est (o populares) contra Magistratus aliosq; omnes, eas defendere & conseruare quanta maxima vi & contentione potestis, Hoc enim Deus a vobis postulat Exod. 17. 19. i populo hoc onus incumbit vt animaduertat in Idolo,*

*Anglorum
Protestantiũ
sententia,*

*In præfa-
tione.*

*Gosdmanns
in libro.*

*Quemadmo-
dum obe-
diendum
&c. cap. 2.
pag. 115.*

*Ibi. ca. 13,
pag. 180,
181. 184.*

*Deut. 4.
5. 6.
1. Chron.
29.
1. Cor. 1.
v. 13.*

*Infantum
populi pro-
testantiũ
regnum*

Ibi pag.
185.

latram quemcunq; : nemo excipitur, siue Rex, siue Regina, siue Imperator. Et paulò post. factum illud quod memoratur Numer. cap. 25. perpetuum est exemplum in omnem aeternitatem, & certa denunciatio populo, ut in simili defectione & cultu Dei, Rectores suos qui a Deo ipsos abducunt, ad furcas abripiant & suspendant. Et quanquam hoc videri possit magna confusio ut populus tantum sibi assumat, tamen cum Magistratus officio suo fungi desinit, populus ita considerandus est ac si careret omni Magistratu, & tum Deus ipse gladium in manus populi tradit, & Deus ipse efficitur immediatè eorum caput, eosq; defendet & benedicet. Sed non est opus sententias &

Vbi supra. cap.
II.Ibi cap.
14. pag.
203. &c.

sententiarum membra describere, quando integris capitibus eo in libro hoc totum copiosè probetur; cum ibi honorificè multis paginis ad cælum vsq; extollantur, qui rebellionem *VViati* contra Principem promouerunt; damnentur verò ad inferos, & tanquam nefarij proditores longè a bonorum virorum, maximè Evangelicorum societate repellantur, qui Reginae contra *VViati* aliquam tulerunt opem. Nulli (inquiunt) nisi *Rapista* vel perduelles accusare possunt *VViatum* perductionis & inobedientie. Erat officium *VViati* aliorumq; omnium qui inter vos euangelium Christi profitebantur, illud bellum suscipere; erantq; illi verè perduelles qui *VViato* fidem non seruauerunt, aut partes eius non iuuarunt. Et quanquam illius conatus non ita felicem habuit successum quam nos sperabamus, sic tamen nostra ignauia & indignitas merebatur. O nobilissime *VViante*, tu quidem iam cum Deo uiuis, optimiq; illi viri qui tecum in ea causa occubuerunt. Felix (inquam) es, & quicumq; tecum in illa aeterna hereditate sunt collocati. Tu tuiq; stabitis aliquando iudices contra inimicos vestros ad eorum aeternam condemnationem, &c. Quin imò ò proceres & Consiliarij, nonne vos ipsi damnastis tanquam seruili animo & manifestè proditores, non modò contra *VViatum*, verum etiam contra Deum ipsum? Hiccine amor ille est verbi diuini quem pra vobis tulistis ò Evangelici? siccine euangelium didicistis? &c.

Martyres
sunt qui pro
religione
Anglica-
na, in bello
còtra Prin-
cipem mo-
runtur.

Quod si ex Anglia in vicinam Scotiam transcamus,
& quid

Et quid ille ministrorū grex de hac questione statuat, scire cupiamus, eorum iudicium ex primario ipsorum propheta & patriarcha *Ioanne Knoxo* facile intelligemus; qui in Libello Genesæ impresso, quem vocat, *Appellationem ad Nobilitatem & populum Scoticum*, inter alia hui⁹ generis innumerabilia, ita scribit: *Illud audacter affirmaverim, debuisse Nobiles, Rectores, Iudices, populumq; Anglicanum, non modo resistere & repugnare Mariae illi Isabelae, quam vocant Reginam suam; verum etiam de ea, & sacerdotibus eius, & alijs omnibus, quotquot ei auxilium tulerunt, mortis supplicium sumere, ut primum aperte caperunt Christi euangelium suppressere. Eodemq; loco extant argumenta Libellorum quorundam, quos hac ipsa de re paulò post editurum pollicebatur, Primum est. 1. Nullus apertus idolatra, vel notabilis transgressor sanctorum Dei mandatorum, promoueri potest ad aliquod publicum regimen, honorem, vel dignitatem in aliquo Regno, quod Iesu Christo, eiusq; beato euangelio se submisit. 2. Neq; promissum, neq; iuramentum obligare potest populum Christianum, ut obediat & auxilietur tyrannis, contra Deum & eius manifestam veritatem. 3. Si populus, vel temerè promouerit aliquem manifestè improbum, aut ignoranter elegerit talem qui postea se ostendit indignum gubernatione populi Christiani; (tales autem sunt omnes idololatra & crudeles persecutores) iustissime potest idē populus illum exauthorare & punire, quem antea inconsideratè designauerat, constituerat, & elegerat.*

Scoticorum ministrorū sententia.

Knox in appellatione, pa. 36.

Ibi pag. 78.

Argumenta Libellorū Ioannis Knoxi.

Ad eundem modum, Protestantium Germanicæ religionis tertius *Elias Lutherus*, rogatus sententiam de illa *Smalcaldica cōtra optimū nobilissimumq; Imperatorem Carolum Quintum* coniuratione, respondit, dubitasse se profectò aliquandiu, vtrū liceret fæderibus se communiare contra summum suum Magistratum necne; sed quoniā (inquit) hoc tēpore tam dubio tamq; periculoso, multa possint incidere, sic ut non modo ius ipsum, sed conscientia quoq; necessitas arma nobis porrigat; defensionis causa factus iniri posse dicit, siue *Cæsar ipse*, siue quis alius forte ei⁹

Lutheri, & Germanorū Protestātūs sententia.

Sleidan. lib. 8.

nomine bellum faciat. Quo Lutheri oraculo persuasi militum duces & præfecti, idem & publicè peruulgarunt ad populum vniuersum commouendum, & ex eodem edocti, Imperatori ipsi omnem fidem quam priùs dederant, hoc tempore renunciarunt. De priori sic scribit Sleidanus. *Quia Casar religioni exitium molitur atq; libertati, causam præbet cur ipsum oppugnemus bona conscientia. Cum enim in eum casum res deuenit, licet resistere, sicut & sanctis & profanis historijs demonstrari potest. De posteriori verò, post longam totius exercitus nomine factam à ducibus narrationem causas belli huius ab eis contra Casarem suscepti complectentem, hanc ponit conclusionem. Hæc cum ita sint, & quia fædus idcirco fecimus, ut in hac religione permanere nobis liceat, & ut eam coniunctis animis tueamur; necessariò nobis fuit suscipienda hæc defensio, quæ & diuinum & naturæ quoq; ius nobis concedit. Et quanquam propter hoc tuum institutum nullo tibi sumus obstricti vinculo, nec opus idcirco fuit ut quid nostra sit voluntatis tibi denunciaremus, tamen amplioris cautionis loco, renuntiamus eam tibi qua deuincti sumus fidem atq; officium.*

Magdeburgenses verò, cum post reliquam Germaniam pacificatam ipsi soli præfractè consisteret in impia sua cõtra Casarem rebellionem, quam multos libros euulgarunt, ut suam pertinaciam iustam esse pro Euangelij Lutherani defensione constantiam demonstrarent? *Magdeburgenses (inquit Sleidanus) cum crebris editis peterentur a Casare, rursus aliud scriptum euulgant, in quo demonstrant eos qui contra se sumunt arma, Bellum ipsi Christo facere. Deinde, si forte Magistratus excedit suæ potestatis terminos & impium quid præcipiat, non solum ei non obtemperandum est, verum etiam vim facienti resistendum. Quod cum ita sit, nulla nobis rebellio iure potest obijci. Et eodem in loco, post, ecclesiæ Magdeburgicæ ministri scriptum adiunt, in eo doctrinæ suæ confessionem recitant, & Magistratui licere demonstrant inferiori, defendere se contra superiorem cogentem discedere a veritate. Nò multò post, in dimicatione cum hostibus*

Sleidan.
lib. 21.

Ibid. lib.
27.

Magdeburgicam ministrorum
varij de
hac re Libelli.
Sleidan
lib. 22.

Ibid.

hōstibus, cæse sunt Magdeburgensiu cēturiæ aliquot. Prodiit statim Libellus historiam totam recensens, & *Martyres sunt omnes qui pro Lutheranismo vel quacūque Secta Protestantiū moriuntur.* interfectos in Sanctorum numero reponens. *Cladem nos accepisse fatemur: occubuerūt illi videlicet hō-* (inquiūt) *nestē & piē pro gloria nominis diuini, proq; salute patriæ, &c.*

Dies me deficeret si omnes omnium Ecclesiarum Protestantium Apostolos, Doctores, Superintendētes, Cōfessiones, recitare velim, cū nulla sit Secta Lutheranica, Brentiana, Zuingliana, Caluiniana, Anabaptistica, quæ non hoc dogma & verbo prædicauerit, & libris editis defenderit, & rebus gestis propugnauerit, ipsa deniq; morte tanquam Principalem Euāgelij & fidei suæ articulum obsignauerit. Ex quibus omnibus perspicuum est, nullo modo perduellioni affinem esse opinionem hanc, quæ docet fas esse resistere Magistratui conscientię causa, & religionem armata manu contra Principem defendere, si Protestantes in hac causa iudices admittamus: quorum etiamsi scripta clarissima sunt, clariora tamē sunt facta quàm scripta; cū Beza ipse, & simul alij permulti congregationis Gallicanæ famosiores ministri, magnam Gallię partem cū exercitu peragrauerint, tectiq; armis non quidem petitis ex armario Spiritus sancti, sed ex fabrica & officina Vulcani, contra duos tresuē Reges suos in acie militariter steterint. Immo & *Zuinglius* ipse infelix Anglicanę religionis fator, in prælio contra Heluetios suos interfectus est, vti cunctis est notissimum. Ideoq; non est cur aduersarij contra nos tantopere exaggerent factum D. Sanderi tāquam nouum & antehac inauditum, qui zelo flagrans, Hybernicę commotioni sese aliquantisper immiscuit. de cuius tamen mortis genere, aduersarij narratio longē est mendacissima.

Flandri quoq; Protestantes illud tanquam certum & indubitatum tenuere (Anglis eorum factum approbantibus, immò ad illud vel maximē stimulantibus) licere sibi propter religionē supremo suo Principi bel-

lum inferre. Ideoq; arreptis armis totum Reipub. statum immutarunt, principemq; omni iurisdictione & dominatu exuerunt. Quod exemplum apud Anglos eò efficacius & pòderosius esse debet, quoniã illi (vt dictum est) primas partes in ea tragædia egerunt. Quem admodum similiter nemini ferè mortalium ignotum est, eos principales fuisse actores & artifices in exanthoranda Scotorum Regina, principe legitima & solenniter inuncta. Ad cuius grauiorem afflictionem hoc addiderunt, vt eam quatuordecem iam annos captiuã detinuerint.

*Protestatiõ
inconstãtia,
vt causa
sua infer-
riant.*

Quæ omnia si simul conferantur, facilè deprehendet lector & obstupescet istorum hominum in sua fide & politia inconstantiam Euripo aut Vertumno mutabiliorem. Si enim de illorum Statu agas, aut pro Catholica fide restauranda quicquam contra eos moliaris; mox tibi occinunt *Proditorias assertiones*, & non esse resistendum *Christo Dei*, sed *Regi quasi præcellenti esse obediendum*; neminem posse sibi vindicare imperium in illam, quæ in terris superiorem non agnoscit, sed a solo Deo pendet (hæc enim omnia Libelli author tanquam firmâ propugnacula obijcit ijs, qui post Apostolicæ Sedis sententiam de Reginae authoritate aliquid detrahere sunt ausi) multaq; & politica, & philosophica, & theologica corradunt, quibus ostendere videantur, non solum facta, & dicta, sed etiam cogitata mortem acerbissimam promereri. Sin vero in quæstionem veniat ipsorum delicata & nudius tertius enata religio, eiq; obsistere videatur aliquis vel optimus vel potentissimus in orbe Christiano Monarcha; tum nec Philosophia, nec Theologia, nec vnctio, nec successio, nec Regis præcellentia, nec eius celsitas qui neminem in terris agnoscit superiorem, nulla deniq; prærogatiua Regia Regibus sufficere potest, vt eos a suorum populorum motibus & furoribus immunes reddat: ipsiq; fratres Anglicani huiusmodi rebellionibus maximè patrocinantur,

tur, easq; quantum possunt, & theologia, & etiam milita, omniq; ope & subsidio, pro sua virili fouent, prouehunt, & tuentur.

Quamobrem non in eo vertitur quæstionis huius *versus statum huius quæstionis.*
 cardo (de quo libelli author multa licenciosè nugatur) vtrum princeps creatione, aut successione, aut inunctione aut quocunq; iure ad Regnum peruenerit: sed hoc potissimum quæritur, vtrum principi legitime creato atq; iniuncto, vllam ob causam, præsertim verò ob religionè subditi possint sese opponere. Nos *Conclusio huius quæstionis ex communi omnium Protestantium consensu.*
 respondemus; semel atq; iterum, immo sæpissime de hac quæstione præiudicatum esse ab omnibus omnium sectarum Protestantibus, Anglia inprimis suffragante: nihil vt hic necesse sit læsam Maiestatem Regiam vel tenuiter subuereri, si ad Anglicanam huius tempestatis theologiam respiciamus. Nec exemplorum multitudinem desideramus, si oculos conuertimus ad vastitates, de populationes, & cruentissimas rebelliones, Scotorum, Belgarum, Gallorum, & Germanorum, in quibus singulæ Sectæ, consentiente, vel potius signum præferente cuiusq; prouinciæ Ministerio, ad hæreses suas regionatim defendendas contra legitimos Principes confurrexerunt. Atq; hæc exempla (ò proceres Anglicani) contemplari & expendere recta ratio postulabat, potius quàm tam mirabilia narrare de lente, & tam tragicè exclamare propter vnicam & eam leuissimam commotiunculam pro defensione fidei Catholicæ factam toto viginti sex annorum spatio; quo interea tempore Ecclesias Christi vastabat persecutio adeo immanis, nulla vt ei post Gothorum & Vandalorum rabiem fuerit comparabilis. Quod si Regina, Christianam Maiorum suorum fidem retinisset, & subditos Protestantes longè paucioribus annis rexisset, eosq; ad eundem modum afflixisset quonunc affligit Catholicos (quanquam hoc non tam illi fortasse quàm crudelibus illius Ministris est tribuen-

dum) infinite sine dubio grauiores sensisset aduersus se coniurationes, quàm quæ temporibus nostris vel in Anglia vel in Hybernia extiterunt. Quæ tam diuturna in Regno pax & tranquillitas, non aliunde proficiscitur quàm a Catholicorum bonitate & religiosa conscientia, amore pacis, ordinis, & obedientiæ, seditionū verò atq; tumultuum extremo odio ac detestatione.

*Protestantium
in Catholicos
verba contumeliosa.*

Quæ quidem omnia Protestantes illis aliquando fastuose exprobrarunt; & præ impotentia animi, Catholicis quibusdam magni nominis atq; authoritatis (quos illi grauissimè oppræsserant) timiditatem & lætitudinem obiecerunt. Et quid (inquiunt) aduersum nos agere vel potestis, vel etiam audetis? Voluntates quidem vestras ac desideria non ignoramus; at cum factò opus est, timidissimi estis, omniumq; Mortalium ignauissimi, quotquot Papistæ vocamini. Neq; vires vestras, neq; copias auxiliares pertimescimus. Nec ista talia & huius generis permulta, iactant tantum Protestantes paulò insigniores, qui supra commune vulgus eminent, sed ipsi etiam Ministri pro concione sæpènumèrò gloriuntur, Papistas (vti loquuntur) nunquam rerum potituros, quæcunq; tandem Principum lægumue mutatio acciderit: se enim potius aperto Marte ad extremum vsq; spiritum dimicaturos.

*Discrimen
inter Catholicorum
& Protestantium
mores.*

Quæ illi omnia tantò insolentiàs (admodum sanè imprudenter) in vulgus efferunt, quantò maiorem vident in Catholicis vel viris vel fæminis, modestiam, grauitatem, atq; pietatem. Protestantes verò qui nunc dominantur, & summæ rerum præsumunt, omnes aut eorum certè præcipui, alios prædando, expoliando, renterunt. Qui proximè eorum latera stipant & partes fouent, adolescentes sunt audaces, inconsiderati, & ad quiduis audèdum proiecti. Reliqui siue Laici siue Ecclesiastici (& isti maximè) carnis voluptatibus & mundi illecebris implicati (quas hoc nouum Euangelium abundè

abundè suppeditat) adeo sunt iniuriarum impatientes, vindictæ cupidi, irrequieti, planèq; furiosi, vt eorum perpauca si cum Catholicis pacis & otij studiosis conferantur, oculis hominum simplicium & imperitorum, speciem præbeant magnæ cuiusdam & copiosæ multitudinis.

Isti autem homines desperati & factiosi, quamdiu Principes Principumq; leges habent voluntati suæ indulgentes, prospero eo fortunæ flatu optimè norunt vii. Sin vero Principes eorum placitis refragantur, leges illis sint aduersariæ, mox vincula omnia obedientiæ & fidelitatis abrumpunt, Maiestatem aspernantur, cædibus, incédijs, & direptionibus vbiq; grafsantur, & ad omnem rerum diuinarum atq; humanarum contempTIONem ruunt præcipites.

Ac solent illi quidem, si diligenter animaduertas, vel teneram Principum ætatem, vel imbecillio-
 statum, tanquam Regno suo promouendo maximè oportu-
 num obseruare. Quod & in Anglia fecerunt sub
Edouardo sexto, & in Gallia, regnantibus duobus ado-
 lescentibus, illius qui nunc præest, Christianissimi Re-
 gis fratribus. Rursumq; in patria nostra, Reginæ hu-
 ius infirmio-rem sexum tanquam valdè sibi ad res no-
 uas moliendas idoneum elegerunt. Ea enim quamuis
 clarissima sit Princeps, multis sanè magnisq; natura
 dotibus ornata, mulier tamè est, quæ facile decipitur,
 minimoq; negotio ab iis qbus credit vel quos metuit
 seducitur. Quod vbi fit, ita ferè vsu-venit, vt quantò
 maior fuerit Principis clementia & bonitas, tanto sub-
 ditis grauius & onerosius sit eius imperium, eorum ni-
 mirum tyrannide qui sub Principe Rempub. admini-
 strant, & Principis facilitate ad exhauriendos subditos
 seq; ipsos immensis opibus locupletandos abutuntur.

Ecquis verò ignorat, quid ab istis hominibus fere-
 nissima Scotiæ Regina perpessa sit? Quàm inhumane
 ingratiq;, ipsius ætatem, & sexum, & benignitatem

*Protestantium
 scelerata
 & seditiosa
 praxis.*

*Scotorum
 perduelles.*

atq; liberalitatem in ipsos Proditores amplissimã, ad ipsam circumueniendam, tandemq; e Regno exterminandam conuerterint? Quàm diuturnas & innumeras calamitates eorum sacrilega infidelitate subiuerit, a quibus nec adhuc respirat? Neq; minùs notabilis est eorum impostura, qua præstantissimi eius filii impuberi ætate ad suum priuatum emolumentum sectæq; propagationẽ abusi sunt. Et iam cû clarissim° ille Princeps ad ætatẽ paulo maturiorem venerat, ideoq; probabile erat eum statim deprehensurum, & fortasse etiam vindicaturum inexpiabiles fraudes & machinationes, quibus & innocentissimam eius matrem ex altissimo Maiestatis gradu ad infimam conditionem deiecerunt, & ipsi etiam in pueritia, totoq; Regno sua varia damna intulerunt; vide quàm honestam ex his difficultatibus elabendi viam commenti sunt. In ipsum Principem suum, suadentibus ita *Ministris*, hoc est totius Regni colluioe, violentas manus iniiciunt, & per diu tanquam prædam aliquam in bello comparatam magna diligentia asseruant. Et cùm iam diuina prouidentia eorum manus euaserit, non verentur homines audacissimi, coràm illi & in os dicere, ipsum fuisse ab eis in Regem electum, & cõstitutum ad huius eorum noui barbariq; euangelij defensionem. Deniq; perpetua illius formidine correpti si forte paulò magis ætate processerit, alia atq; alia in dies contra eius vitã stratagemata & insidias moliuntur.

Hæc est Protestantium erga suos Principes religio, cum prioribus ipsorum opinionibus aptè coherens. Sed eorum nos impiam Theologiam nihil moramur, nisi quatenus huic quam nunc tractamus disputationi contra Protestantes inseruit, Anglos præsertim; qui omnium temporibus nostris coniurationum, quæ quidem Religionis specie & inuolucro teguntur, præcipui sunt authores & Architecti; qui tamen re vera religionis sunt inanissimi, & nisi cum Status sui priuata ratio

ratio postulat, religionem quamcunq; maximè aspernantur. Illud nobis docuisse satis est, nullo modo (si qua ipsorum verbis factisq; fides habenda sit) iuxta eorum opinionem, lædi Maiestatem Regis ab eo, qui contra voluntatem Regis Religionem defendit; nec esse *Affertionem proditoriam*, si quis affirmet legitimum Principem ob defectionē a Deo atq; fide posse Regalem potentiam amittere. Eademq; est Catholicorum omnium, & Christianarum toto orbe Academicarum sententia, cum hac tamen vtriusq; partis, eaq; per insigni differētia; quod Rebelles hæretici suo fallaci iudicio incertisq; opinionibus pertinaciter inhærentes, absq; vlla cōstanti regula & ratione, temerè errorem vocāt, aut idololatriā, quæ vera est Christiana; religio; Principibusq; suis tanquam præpotentis Dei hostibus obedientiam renunciant, quos Sancta Christi Ecclesia, incorrupta & suprema huius & cuiuscunq; alterius controuersie iudex, tanquam Principes iustos, religiosos, verèq; Catholicos prædicat & honorat. Catholici verò, vtpote legum, ordinis, ac quietis in Republica conseruandæ studiosi, in materia tam difficili plurimorum salutem & vitam complectente, non ducuntur suis priuatis opinionibus, vnde turbulenta quæq; ingenia sub Religionis prætextu, in Re-pub. omnia iura diuina & humana possent confundere: (quemadmodum his postremis annis, varijs ijsq; horrendis exemplis Protestantes ostenderunt, quando-cunq; vel Magistratus, vel status publici mutationem desiderarunt) sed iudicium omne deferunt Ecclesie Catholicæ, summisq; animarum suarum Rectoribus, qui ex diuinis scripturis, sacris Canonibus, Cōcilijsq; sincerè iudicare possunt quid sit hæresis, & quis dicendus hæreticus; quis princeps excommunicandus, quis deponendus; quis leuiter heresi infectus, quis pertinaciter in ea demersus; cuius correctio est speranda, cuius desperada, & consequēter quis ad emen-

Discrimen Catholicorum & hæreticorum in Principibus hæreticis iudicandis.

dationem tolerandus & expectandus, quis a corpore Christi abscindendus tanquam membrum pestilens & insanabile. deniq; quomodo, quibusq; temporibus ista fieri possunt comodissime, minimo cum periculo hominum, & conturbatione Reipub. illius, quæ impia tam indigni Principis administratione corrumpitur.

*Ecclesia
Catholica
optimè de
Hæresi iu-
dicat.*

In huiusmodi rebus Ecclesia nunquam ducitur eo partium studio, quo nos subditi fere occæcamur. Neq; sanè par est vt homines priuati ad nostra quasi tributa Principum nostrorum facta reuocantes, de eorū dignitate vel indignitate pro nostra libidine sententiā dicamus. Quæ nā ergo in Christiana religione ratio cogitari potest, vel ipsis Principibus magis decora & honorabilis, vel cuiusq; Christiani conscientia magis certa & secunda, quàm si ad supremum Ecclesie Christi pontificem respiciamus, cuius ductum si sequamur, perdifficiliter a recta via aberrabimus, aut si fortasse aberrare contingat, non erit error ille adeo perniciosus; cum eis nimirum obtemperamus, quibus animarum nostrarum curam Christus ipse commisit, quibus illarum rationem Christo supremo omnium Episcopo sunt reddituri, per quem & cuius nomine Reges omnes Regnum & Regiam potestatem obtinent. Cū hæreticis ergo Catholici in hoc conueniant, quod propter religionem Regibus fas est resistere, & subiectionem alioqui debitam, detrahere. In modo autem resistendi non minus differunt, quam recta ratio ab insania; & diuinis legibus conformata conscientia, ab indomito furore, aut audacia ad quiduis perpetrandum proiecta.

Ad hanc autem veritatem testificandam, breuitatis causa paucorum ego Catholicorum sententias describam, sed qui propter doctrinam ita excellent, & eminent, vt cuius viro bono abundè cumulatèq; satisfaciant, nostrisq; etiam fratribus suppeditent quod

respondeant ijs, qui ad mortem vsq; has proditorias asser-
 siones oclamare non desistunt.

Diuus Thomas, sanctissimus ille idemq; doctissimus scriptor, decus & ornamentum subtilioris theolo-
 giæ, cuius vel vnus iudicium, Protestantium certè
 omnium cuiuscunq; generis & Sectæ opinionibus
 longè præpoderat, hac de re ita scribit. *Postq; princeps est*
denunciatus Apostata subditi absoluuntur a præstito iuramen-
to & obedientia atq; fidelitate illi debita. Cùm ergo de ve-
 ritate huius assertionis primarius inter Scholasticos
 Doctores ita perspicuè definiuerit, non potest ea Ma-
 iestatis læsæ damnari, aut cum perduellionis materia
 aliquid habere cõmune. In ea autè verba *D. Thomæ*,
 ita scribit clarissim⁹ ætate nostra theologus *Franciscus*
Toledus. Nota, quod eadem est ratio de excommunicato. Quia
 eum primùm quis est denunciatus excommunicatus, omnes
 subditi absoluuntur ab eius obedientia. Licet enim sit notorium
 crimen Principis, non absoluuntur vasalli a iuramento, ut be-
 ne dicit *Cæteranus*, ante denunciationem ab Ecclesia: qua facta,
 non solum sunt absoluti ab obedientia, sed tenentur non obedi-
 re, nisi fortè propter periculum vitæ, vel damnum bonorum
 temporalium. Et sic de *Henrico 8.* in *Anglia* factum est, cui
 & si subditi postquam denunciatus esset excommunicatus re-
 nebantur non obedire, tamen quia is crudelis erat, & illos vel
 vita vel bonis priuasset, excusati fuerant subditi illi adhuc o-
 bediendo. Hæc est doctissimi huius Theologi sententia,
 cui nemo (quod equidem sciam) Catholicorum Do-
 ctorum, vlla vnquam ætate contradixit.

Sacros Pontificij iuris canones non proferemus. Cap. Ali⁹
 qui quoniã Romanorũ fere Pontificum decreta sunt, cū sequē.
 quos aduersarij iniquiores in hac causã opinantur, mi- xv. q. 5.
 nus idcirco apud eos valere necesse est: licet in omni cap. fin.
 bus Christiani orbis iudiciis ac tribunalibus magnum de hæret.
 pondus obrincant. Illi autem omnino statuunt, hæreti-
 cos omnes, non solum postquam publica Supremi
 Pastoris sententia particulatim denunciati fuerint he-

Opiniones
 Catholicorũ,
 de principibus de-
 ponendis
 propter A-
 postasiã &
 hæresim.

S. Tho-
 mas in
 2. 2.

Opinio Frã-
 cisci Toledũ
 de principe
 excommuni-
 cato in 2.
 2.

Henricus
 octauus.

retici; sed etiam ipso facto, cum primum hæreticos sese ostenderint, statim priuatos esse omni iure & dominatu Regio: licet subditi ante publicam denūciationem, non tenentur scrupulosè de peruersa regis voluntate inquirere, aut ei tanquam reo, vilitata Subiectionis officia negare.

sententia ac
decretum
magni illius
& Oecumēnici Cō-
cilij Late-
ranensis.

Cæterū fas nō est prætermittere definitionē, ipsaq; adeo verba Oecumēnici illi⁹ Cōcilij Lateranēsis toto orbe celeberrimi, q̄ ante annos circiter 300, celebratū est; in quod cōuenerūt, præter Innocentium pōtificem doctissimum, patriarchę Constantinopolitanus & Hierosolymitanus, Archiepiscopi Græci & Latini 70, Episcopi 412, Prælati alij 800, præter doctissimos viros plurimos ex omnibus Christianis Regionibus collectos. Affuerunt vnà Legati Imperatoris Romani & Græci, Regumq; Hierusalem, Angliæ, Galliæ, Hispaniæ, Cypri, & aliarum Rerūpub. & Principum Christianorum. Cuius Concilij decreto nullum sub sole certius & incorruptius iudicium desiderari potest, quando apud omnem hominem Christianum illud certum ratumq; esse debet, Concilium illud amplissimum, Ecclesiam orbemq; Christianum vniuersum representans, tanta consensione Assertionem (vri vocant aduersarij) proditoriam inter fidei canones reponere noluisse. Hæc sunt autem Concilij illius verba. *Si dominus temporalis requisitus & monitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hæretica fœditate; per Metropolitanum & Comprovinciales Episcopos excommunicationis vinculo innodetur. & si satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc summo Pontifici, vt extunc ipse vasallos ab eius fidelitate denunciēt absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam: qui eam exterminatis hæreticis sine ulla cōtradictione possideāt, & in fidei puritate conseruet; saluo iure Domini principalis, dummodo super hoc ipse nullum præstet obstaculum, nec aliquod impedimentum opponat. eadem nihilominus lege seruata circa eos, qui non habent dominos principes*

Cap. 3. de
hæret.

palati

pales.

In hunc ergo modum, & Scholastici Doctores, & iura canonica, & decreta Conciliorum vniuersalium, de hac quæstione statuunt. In eo cum Catholicis hæretici ipsi conueniunt, vt fateantur vtriq;, licere certas ob causas, maximè vero ob defectionem a fide & religione, Principibus resistere & imperium eorum rejicere. quamuis in huius sententiæ exequendæ modo, Protestantes furore, tumultu, ac seditione populari nitantur, Catholici verò omnia legibus, certo ordine, & definito-Ecclesiæ iudicio regi volunt & procurari.

Verùm quo plenius ea quæ diximus a Lectore concipiantur, ista superius disputata, proximè sequenti capite ex ipsis diuinarum scripturarum fontibus probatæq; antiquitatis testimonijs, Christo iuuante, deducemus; vt omnes perspiciant quàm longè nos in huiusmodi opinionibus a læsæ Maiestatis scelere, aut praua erga Principem nostram affectione absumus; præsertim quando ad nostram hac de re sententiam proferendam, vi & necessitate quadam compellimur.

H



DE PRINCIPIBUS PROPTER HÆ-
RESIM AVT DEFECTIONEM A FIDE EX-
*communicandis, vel etiam Regno suo privandis; præsertim
de bellis propter Religionem susceptis. Tum de officio
ac Zelo quem Sacerdotes veteris & nouæ legis
huiusmodi in rebus præstiterunt.*

CAPVT. V.

*Periculosa
secularis
Principis
conditio, nisi
spirituali
consilio di-
rigatur.*



VM Principes quoad Regnum suum & Ciuilem gubernationē nullos Superiores agnoscant, reprehensiones autem a subiectis suis, alieno plerunq; animo & molesto ferant, ideoq; positi sint in loco valde lubrico & periculoso, vbi & ipsi facillè labantur, & Respub. totas varijs difficultatibus inuoluantur, singulari Dei prouidentia ab initio ita fuit comparatum, vt temporibus omnibus, tam in veteri quam in nouo testamento, ad Reges aliquo modo in officio continēdos, tum Sacerdotes ordinarij, tum Prophete quidam extraordinarij, magno fortitudinis spiritu, potentia, animi magnitudine, & dicendi libertate diuinitus fuerint instructi.

Pfal. 27. Ita Deus omnipotens, qui per Prophetam Reges admonet, vt seruiant Domino in timore, vt apprehendant disciplinam, nequando irascatur Dominus & patiatur cosa via recta in semitas peruersas & impias recedere; primis Regibus selecti sui populi pro sua diuina sapientia vt plurimum adiunxit Prophetas, qui tanquam ex officio

Regum curam suscipere, & delinquentes reprehenderent, & continuo (cum opportunum videretur) flagitia commissâ grauiore censura notarent, illisq; ob oculos constituerent: potissimum verò si quando discederent a fide & a Deo Patrum suorum. Tum enim ex parte Dei, grauissimè eis comminabatur, ipsiq; sæpenumerò cum temporum ratio ita postulabat, minas eas opere & facto complebant. Quos quidem omnipotentis Dei ministros, pij principes non modo libenter audiebant, verum etiam magno semper honore prosequiebantur, illisq; sedulo parebant. Impij verò ac Apostata, mortem illis semper & perniciem sunt moliti, vt nemine reclamante in omnem impietatem liberiùs & impuniùs sese effunderent.

Primus Iudeorum rex Saul, diuinitus licet electus Spirituq; sancto afflatus, tamen quamdiu laudabiliter sancteq; vixit, Samuelis Prophetæ consilium sequutus est. Postea verò quàm spiritualem functionem vsurpauit, aliàsq; diuina mandata transgressus est, Dei iussu atq; sententia a Samuele pronunciata, de Regia dignitate cecidit, & David in illiº locum ab eodem propheta surrogatus est & vnctus. Saulem autè ita Regno priuatum ac veluti excommunicatum a Samuele, mox *Spiritus malus inuasit*, quo impellente nõ Dauidem modo ad quem ius Regni diuina iam voluntate deuolutum erat, verum Samuelem quoq; ipsum occidere conatus est. Quin & sacerdotes Nobe numero octoginta quinque, vt diuinæ literæ testantur, interfici mandauit tanquam perduelles & Dauidi competitori suo fauentes. Quæ cades tandem a *Doeg Idumæo* perpetrata est, cum Satellites Regij tam tetrum facinus perhorrescerent. Ad hunc modum, complures annos postquam ius Regni perdiderat, per vim tamen & nefas, Regni possessionem tenuit, Deoq; ac Samueli contumaciter se opposuit.

1. Reg. 19
15. 16,

*Saul ob
munitis sac
erdotale
vsurpatum
deposuit.*

1. Reg. 16

1. Reg. 22

David interea ad quem sine controuersia ius Regni

erat translatum, licet viribus Sauli, qui se pro rege gererebat multò esset inferior, rectè arma cepit vnà cum primario quodam Sacerdote Abiathar, qui ex prioris caede saluus euaserat. atq; ita vel in aperto bello vel simulata pace, multi anni vario euentu transacti sunt, donec tandem Saule iniusto regnatore in bello contra Philistæos interfecto (quem Dauid vt eruditè beatus

1. Reg. c.

31.

*Aug. cōtra**Admāiū.*

ca. 17.

Augustinus obseruauit, cum multæ occasiones suppetent, occidere noluit, quamuis iure potuerit) Dauid ad Regnum peruenit. quod tamen non statim iniuriò obtinuit vniuersum, sed post duos annos: quoniam Isboseth hæreditariam a patre successionem præcedens biennio pro Rege se gesserat.

Cū de iure Regni contenditur Sacerdotes in summo sunt periculo.

Qua ex historia illud aduertere licet, sacerdotes atq; prophetas, quorū est officiū, Dei voluntatē denūciare, eamq; ad effectum deducere, populumq; in tam grauius de Regni iure contentionibus dirigere; eorum qui Regna inuadunt iniustèq; possident malevolentia maximè esse obnoxios, proptereaq; sæpenumero præsentem mortem incurrere.

1. Reg.

13. 14.

Exemplum Hieroboam quem schismaticū esse sacerdos denūciavit.

Ad *Hieroboam* etiam Regem Israelis, Dei iussu accessit propheta, & cōtra eum totamq; eius posteritatem; iudicium diuinum prænūciauit, ea potissimum de causa, quòd schismate factò populum illum a veteri reorq; in Hierusalem Dei cultu separasset, nouumq; in Bethel altare erexisset (quod omnes a Sede Apostolica defectiones atq; schismata propriè significat) aliosq; sibi sacerdotes extra ordinem Aaronis creasset; Sacerdotes (inquam) egētes ac sordidos, & verè ordinis oīs expertes; (qui etiam nobis hæreticorum Ministerium efficaciter representant, vtpote qui officia sacerdotalia vsurpant, cum nullam habeant vel electionem, vel successionem, vel cum Sacerdotio Apostolico cognitionem) illud autem Hieroboami facinus Deus tanta seueritate iuxta Prophetæ comminationem vltus est, vt ex tota illius familia *ne mingentem ad parietem* in vita reli-

3. Reg. 14

v. 10.

reliquerit. Impius tamē Rex Prophetam sanctum apprehendere, neciq; tradere conatus est, & diuinæ voluntatis declarationem quasi perduellionis crimen contra sua Regalia commissum accepit.

Oziæ quoq; Regi Iudæ *cum eleuatum esset cor in in-* Superbi
teritum suum (quemadmodū loquitur scriptura) ita vt Oziæ exē-
 non contētus amplitudine Regali, functionem etiam plū Sacer-
 sacerdotalem vsurpare voluerit, *Narius & cum eo Sa-* dotale mu-
cerdotes Domini octoginta viri fortissimi magno animo re nis.
stiterunt, eumq; vi e templo exturbarunt. Cumq; ille 2. Paral.
 Sacerdotibus comminari, & vim vi repellere incipe- 26.v.16.
 ret, diuinitus turpissima lepra percussus est. moxq; nō
 solum eiectus est e templo, sed etiam e throno Regio,
 adeoq; ex omni hominum societate & communione
 (quæ etiam præclara figura est eius excellentis pote-
 statis, quam a Christo I E S V sacerdotes nouæ legis tra-
 ditam habēt ad Principes hæreticos non minū quam
 alios inferiores excommunicandum): deniq; ius omne
 Regni, & Reipub. moderandæ potestas ab ipso crepta
 in filium eius transfunditur. Quo exemplo perspicuè
 constat, posse Sacerdotes etiam vi Regum impie-
 tatem frænare ac reprimere, cū ita diuini nominis
 gloria & sacro-sanctæ religionis conseruatio postula-
 uerit.

Sed multo memorabilior est zelus & industria bo- Athalia
 norum sacerdotum qui sceleratā Reginam *Athalam* Regina de-
 Regali fastigio depulerunt. Quæ post mortem *Ocho-* ponitur &
ziæ, vt Regno potiretur, omnes illius liberos interfe- interficiunt
 cit, vnico tantum excepto; quem pia quædam mulier Ioiadæ
 communi reliquorum stragi subdlexerat, atq; in tem- summī Sa-
 plo ad annos septem educandum curauerat, quo tem- cerdotis
 pore toto *regnavit* (inquit scriptura) *Athalia super ter-* operā.
rā: donec *Ioiada* summus Sacerdos idoneā opportunita- 4.Reg.11
 tē nactus, quas poterat ad se vires cōtraxit tū a sacerdo-
 tib⁹ tū a populo; legitimū Regni hæredē quē in custo-
 dia habuerat, multitudini cōuocatæ proponit; eū in Re-

gē vngit, capitiq; ei^o diadema imponit. Nec mora, ita-
pam *Athalam* quæ Regnum sceleratè inuaserat, cum
suis fautoribus ad portas palatii sui iugulari præcepit.
Nec iustissimam hanc ultionè improba mulier euasit,
quamuis scissis vestimētis exclamaret, *Coniuratio, Con-*
iuratio. quod, non modò legitimi Principes, verùm e-
tiam violenti Dominatores qui nullo iure nituntur,
possunt & solent ad suam vtilitatem obtendere. Ad
hunc modum Sacerdotes in legitimorum Principum
causis sustinendis, auctoritatem suam pro temporum
oportunitate interponunt. Valdèq; hoc officium, &
cum eorum sublimi dignitate & cum sacrata vocatio-
ne conuenit.

ibid. v.
14.

Diuinam vero Eliæ prophetæ constantiam & for-
titudinem quis Christianus non admiratur? qui quum
ab *Achabo*, & ei^o Regina *Iesabele* (qui altaria Dei sacrile-
gè euerterant, & omnes Religiosos piosq; Dei cul-
tores in Regno suo tyrannicè trucidauerāt) ad necem
quæreretur, tanquam pacis & quietis publicæ pertur-
bator; illis liberè in os dixit, non se quidem aut alios fa-
mulos Dei quos illi persequebantur, sed ipsum potius
Regem, eiusq; domum has in Israele turbas excitare. Diui-
tioq; zelo accensus *Iesabelis pseudo Prophetæ* qui come-
debant de mensa eius, quadringentos & quinquaginta vno
die interfecit, atq; ita rursus sancta Dei altaria extru-
xit. *Ochozie* Regis Idolatræ duces atq; nuncios, cen-
tumq; viros qui cum ipsis erant, igne cælitus deuoca-
to extinxit, donec tertius ille Princeps quinquagenarius
in genua prouolutus cum ad misericordiam inflexit.
Eadem quoq; data sibi cælitus auctoritate fretus, vn-
xit *HaZaelem* vt Rex esset *Syria*; & *Iehu*, vt Rex esset *Is-*
raelis; & *Elizeum*, vt vice sua Prophetico munere fun-
geretur. de quibus omnibus quasi eadem potentia in-
structis, dicitur, quod quicumq; effugerit gladium *HaZael*, oc-
cidet eum *Iehu*; & quicumque effugerit gladium *Iehu*, inter-
ficiet eum *EliZeus*; qui etiā interfecto *Achabi* filio stir-
pem

Eliæ mul-
tos Princi-
pes deponit,
alijsq; de
multis vir-
dictam su-
mit.

3. Reg. 18

4. Reg. 1.

3. Reg. 19
v. 17.

4. Reg. 9.

per illius totam a Regali dominatione summouit, ad quam deinceps in æternum, ius nullum potuerunt prætexere.

Atq; hij duo Prophetæ *Elias & Elizeus* tam sunt in scripturis sacris insignes & nobilitati propter eam quã de sceleratis principibus Dei religionem contemnentes sumebant vltionem, vt de priori diuina scriptura dicat; *Qui deieisti Reges ad perniciem, & confregisti facile potentiam ipsorum, & gloriosos de lecto suo:* De altero item in eodem loco; *In diebus suis non pertimuit Principem, & potentia nemo vicit illum.* Alibi autẽ (vt iam notauimus) ipsis Regibus in morte nefarijs hominibus infligenda exaquatur: ita nimirum vt si quis Hazaelis Regis Syria, aut Iehu Regis Israel gladium euaderet, eum interficeret gladius Elizei.

Eccl. 48.

3. Reg. 19

Ex quibus diuinæ scripturæ exemplis perspicuum est, primùm quidẽ Reges vnctos ac legitimè creatos, & posse & fuisse aliquando de gradu suo depositos; deinde quibus de causis id factum sit. deniq; vt ad Reges creandos & consecrandos, sic etiam ad eos exauthorandos & deponendos, Deus vsus est ministerio sacerdotum & prophetarum, qui vel ordinariè vel extraordinariè de Regum impietate iudicabant, & diuinam contra eos voluntatem exequabantur.

Quæ ex prioribus exemplis manifestò consequantur.

Quamquam enim neq; Sacerdotes isti, neq; Prophetæ, in Regno rebusq; politicis, Regibus præerant, neq; de Principum suorum diadematis & successione, poterant pro suo arbitratu disponere; tamen quoniam Reges isti potestatem & Maiestatem a Deo sibi tributam acceperant, eamq; totam & quascunq; vires habebant, impendere tenebantur ad Religionis incrementum, ad supremi omnium Domini cultum & honorẽ, ad populi salutem, eorumq; in fide & timore Dei conseruationem; hanc ob causam meritò sacerdotes ac Prophetæ (quibus diuinæ religionis atq; animarum cura principalis directè iucumbebat, quiq; quoad spi-

ritualia, Regibus suis verè præfuerunt) optimo iure illis repugnabant, si quid admittebant quod Deum honoraret, quod Religionem ei⁹ destrueret, quod suorum subditorum animas & mores insignitèr corrumpere. His enim temporibus, vice Dei diuinam iusticiam administrabant aduersus eos, qui contra primam Regalis potentie institutionem, contra sponsiones & pactiones quibus se Deo populoq; eius obligauerant, potentiam suam ad delendam religionem veram, ad erigendam & confirmandam idololatriam, hæresim, aut alia eius generis monstra inuenterent. Quibus in rebus, alijq; vel inter priuatos homines vel inter Principem ac populum cõtrouersijs, illud non modò cum natura ipsa & ratione, verum etiam cum iure Gætium, nationumq; omnium consuetudine, & diuinarum litterarum testimonijs apprimè congruit, vt Sacerdotes, maximè vero summus Pontifex, iudex fit, & diuinæ uoluntatis ad populum interpretis.

Sic enim in sanctissima Dei lege scriptum est. *si difficile & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris, inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram; & iudicium inter portas tuas uideris uerba variare; surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesq; ad sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem qui fuerit illo tempore, quaresque ab eis: qui iudicabunt tibi iudicij ueritatem. & facies quodcumque dixerint, qui presunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius: sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neq; ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo; ex decreto Iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel, cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia. Hactenus diuina scriptura, generatim absq; vlla profus exceptione omnes omnino fideles non minùs Reges quam priuatos homines, in istis controuersijs subijciens sacerdotibus; mandansq; vt eorumq; iudicio obtemperent.*

Deut. 17.

Omnibus
precipitur
vt pareant
iudicio sa-
cerdotum.

Quin etiam eodem in loco, Regum eligendorum *Regū electio.*
 ratio præscribitur (licet nondum populus Regem haberet, sed postea cum erat a Deo postulaturus) neminem ut liceret Regem populo Dei præficere, nisi ex numero esset eorum, qui verè & fideliter Deum colebant iuxta ceremonias legis ac religionis suæ. quas illi leges sua voluntate condere aut moderari non poterant, sed eas a sacerdotibus Leuitici generis accipere *Ibid.*
 tenebatur, sicq; Dei timorem animis suis imprimere, eiusq; præcepta ac ceremonias diligenter obseruare.

Quin etiam cauetur accuratè, & quasi stipulatione facta cum ipsis & ipsorum Rege conuenitur, ne contra *Conditio intelligenda in Principum omnium creatione.*
 Dei præceptum, populum ad Ægyptum reducat, id est, a fidei veriç; cultus diuini libertate, ad Idolatriæ falsæq; Religionis seruitutem. Quæ conditio deinceps inclusa erat & implicata in creatione omnium Regum quicunq; ad populum Dei vereq; fideles gubernandos eligebantur: nimirum vt nec vi, nec fraude, nec vlla prorsus ratione, a patrum suorum fide, religione, sacrisq; ceremonijs quas a Sacerdotibus Dei acceperat, populum aliquando abducerent. Quam conditionem si Rex inuiolatam ratamq; teneret, sælix, faustumq; & perdiuturnum tum ipsi tum liberis eius promittebatur imperium: si minus, sacerdotes & prophetæ qui eos hac tantum conditione vnctos supra populū reliquum extulerant, vt Dei honorem propagarent, & sincerum eius cultum tuerentur; eos rursus ex eadem celsitate honoris ad communem cum reliquis sortem abiciebant; si quando videbant eos pactiões cum Deo factas deserere, & ad Deos alienos deficere, populumq; ad eandem impietatem impellere. Cuius rei, & nos aliquot exempla supra posuimus, & plura ex *libris Regum* peti possunt.

Atq; ita quidem in lege veteri factum est. In lege autem noua, in hoc spiritali Christi Regno, Ecclesia nimirum Catholica, tum sacerdotes longè ampliori

potestate sunt donati, tum principes Christiani arctiore vinculo astricti vt Ecclesiam istam audiant, ament, foueant, omnibusq; modis dilatent & amplificent. De

Esaia 49. qua, prophetico spiritu prædictum est; *Et erunt Reges nutriti tui & Reginae nutrices tuae.* Et rursus, *mammilla Regum lactaberis.* &c. *Gens & Regnum quod non seruiert tibi peribit.* Qua in Ecclesia, illius sacerdotij quod in Salvatore nostro eminuit, excellens remanet potestas; qui

Esaia 60. *virga ferrea conterit & confringit tanquam vas figuli superbiam Principum, quicunq; rebellionem moliantur contra sponsam ei⁹ & Regnū hoc quod habet in terra. in quo Regno ecclesiae suae, ius habet super omnes Reges & imperia; vt euellat, vt destruat, vt disperdat & dissipet, vt adificet & plantet. quem adorabunt omnes Reges terrae, omnesq; gentes seruiert ei.*

Psal. 2. *omnesq; gentes seruiert ei.*

Hiere. 1. *omnesq; gentes seruiert ei.*

Psal. 71. *omnesq; gentes seruiert ei.*

Iam vero Christi prærogatiua sacerdotalis, quæ ipsius etiam Regiæ antecellit dignitati (multoq; magis terrenorum Regum præstantiam superat) ea (inquam) Christi prærogatiua, amplissimis clarissimiq; verbis cum summo animarum nostrarū Pastore primū

Math. 16. cōmunicata est; deinceps verò, cū cæteris item Ecclesiae Rectoribus. Pro quorum potestate fancienda, si

Math. 18. manifesta Scripturæ verba expendatur, & postea quid a Regijs adulatoribus pro Primatu Principum vndiquaq; corraditur; iciumum prorsus & inane apparebit quicquid principes vlli sæculares, spirituali illi quam a deo ambitiosè concupiscunt iurisdictioni præcedunt.

Væ igitur isti terrenæ & lutulentæ superbix; væ hæresita hominum mentes excæcanti, & expressum Dei mandatum tam crassè peruertenti. Nec tamen desinūt isti sectarum Magistri & Principum Gnathones eam mirabiliter extollere & prædicare, ad æternam sui ipsorum, atq; aliorum innumerabilium calamitatem.

Sed vt vnde digressi sumus eò reuertamur; nunc in nouo testamento omnes vniuersè Christi oues, siue Principes siue subditi (nulli enim, siquidem Christiani

ni

hi sunt, excipiuntur) Petro pascendæ ac gubernandæ Ioan. 21.
 committuntur. Nunc Christi in terris vicario clauēs Mar. 16.
 Regni cælorum ab ipso Salvatore traduntur, vt ape-
 riat & claudat, liget & soluat, pœnas inferat & remit-
 tat. Nunc omnibus dicitur, siue Reges fuerint siue Im- Heb. 13.
 peratores, *Obedite Præpositis vestris & subiaccete illis. ipsi e-*
nim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris redditu-
ri. A qua vel curatione, vel subiectione, quis est Chri-
 stianorum Principum qui sibi immunitatem vendica-
 re poterit? Nunc penes hos Ecclesiæ Præpositos, facul-
 tas est amplissima interdicens nobis omni prorsus 1. Cor. 5.
 consuetudine cum hæreticis, blasphemis, Idololâtris, Tit. 3.
 ne eos in domos nostras admittamus, nec in via occur-
 rentibus *dicamus aue;* hoc est, ne communem salutatio- 2. Ioan. 5.
 nem impertiamus; multo magis ne eos obedientia aut 10.
 obsequio nostro honoremus.

Ac ne quis fortè hanc potestatem ita penitus esse
 spiritualem existimet, quasi ad fidelis populi bona & spirituales
 facultates, imo ad vitam auferendam corpusq; varijs Pastores
 cruciatibus affligendum non possit pertingere; cùm facultatem
 hæc temporalia sint, ideoq; Sacerdotalis officij in re- habent pu-
 bus spiritualibus occupati terminos videantur exce- niendi cor-
 dere; animaduertendum est, longè secus nos edoceri poraliter.
 ex ipsis Apostolorum rebus gestis, cùm primùm acce-
 pta à Christo authoritate vsi sunt. Quamuis enim illo-
 rum spiritualis potestas primò ac directè ad ciuilia ne-
 goria non extendebatur; secundo tamen loco & quasi
 per accidens, includebat non modò animas, verum et-
 iam corpora, bonaq; temporalia; quatenus nimirum
 istorum procuratio confert ad salutem animarum, ad
 maiorem Ecclesiæ vtilitatem, & meliorem guberna-
 tionem eorum qui diuino iure pastoribus suis subij- Aet. 5.
 ciuntur. Sic D. Petrus cum tantummodo Magistratus
 esset spiritualis & animarum pastor, tamen propter sa-
 crilegium & mendacium, marito & vxori simul repen-
 tinam mortem inflixit. D. Paulus excæcauit Elimam

- A. 13. Magum; & ad sui contemptores *in virga disciplina*
 venturum se comminatur. Virum in Ecclesia Corin-
 1. Cor. 4. thiaca insigniorem, propter incestum excommunica-
 2. Cor. 5. uit; hoc est, non tantum spiritali pœna affecit, verum
 etiam *Satana tradidit in interitum carnis*; vt caro & cor-
 pus eius variis tormentis conficeretur: quem admo-
 1. Tim. 1. dum etiam effecit vt *Hymeneus & Alexander* propter
 blasphemiam & hæresim a spiritu malo correpti,
 corporalibus pœnis vexarentur. Magna deniq;
 fiducia & libertate contestatur, amplam a Deo acco-
 2. Cor. 10. pisse se potestatem, qua *omnem vliscatur inobedientiam*,
 & elata corda frangat, atq; *in captiuitatem obsequiumq;*
 1. Cor. 6. *Christi redigat*. Et de Apostolis, sanctisq; in hac vita ho-
 minibus; *nescitis* (inquit) *quoniam Angelos iudicabimus?*
quanto magis secularia. In quibus omnibus, inter Reges
 ipsos Christianos, & alium e Plebe Christianum que-
 cunq; , nulla profus est differentia. Reges enim ad v-
 num omnes quoniam se suaq; scepra suauj iugo Chri-
 sti submiserunt, in eo Ecclesiasticæ disciplinæ pasto-
 rumq; suorum authoritati non minùs quàm oues cæ-
 teræ, obtemperaturos se professi sunt.

Ac quamuis status ipse, Politia, ac Potestas ciuili-
 si per se consideretur, valde distincta sit a statu ecclesia-
 stico ac Repub. spiritali, quam Ecclesiam, seu corpus
 Christi *mysticum* appellamus; ideoq; & magistratus ci-
 uilis ab Ecclesiastico interdum ita separetur, vt alter
 ab altero omnino non pœdeat, neq; inter sese aliquam
 habeant relationem mutuam (quemadmodum in Ec-
 clefjs illis vsu venit quæ sub Turca similibusq; infide-
 lium Principum Imperijs degunt; quod etiam sub Im-
 peratoribus Paganis, Apostolorum ætate factum est)
 nostris tamen temporibus, cum a Rebus publicis, Chri-
 sti leges generali consensu receptæ sunt, duoq; illa cor-
 pora, *Politicum & mysticum*, Ecclesia & Respub. ciuili-
 magistratus Ecclesiasticus ac sæcularis in vnum quo-
 dammodo coaluerunt (licet natura, sine, ac gubernan-
 di

Ciuilis Ma-
 gistratus
 spiritali
 seu Eccle-
 siastico sub-
 iectus est
 inter Chri-
 stianos.

di modo, perpetuò maneant disiuncta & separata) ralem inter se ordinem, & (vt ita loquar) subalternationem habent, vt quanquam reciproca quadam officiorum consuetudine vtrumq; indigeat, & vtrinq; alteri alteri præstat; necesse est tamen inferius, hoc est, civile, in omnibus rebus honorem Dei vel salutem animarum quocunq; modo attingentibus, superiori illi, spirituali videlicet, parere, & eius præscriptione dirigi.

Duas has Res-publicas, eleganter *D. Gregorius Nazianzenus*, vnius eiusdemq; hominis corpori & animo siue spiritui comparat, quorum vtriq; suæ sunt propriæ actiones, proprii fines, obiecta propriâ; natura quidem inter se diuisa, & in aliis creaturis separabilia (est enî in bestijs corp^o sine spû; est î Angelis, spûs sine corpore) quæ in hominis persona sic cõiunguntur, vt licet vtriusq; actiones maneât distinctæ & alterutri naturæ peculiare, retinēt tamē eū quē dixi mutuū iter se ordinē & relationē, vt alterū ab altero pendeat, & inferius a superiore, corpus ab anima gubernetur. Quare si quando operationes corporis, salutem animæ, sanctisq; eius desiderijs, ac fini vltimo ad quem aspirat afferant impedimentum; tum valde æquum est, vt anima imperio suo ad corpus reprimendum vtatur; vt tanquam moderatrix quædam præscribat, licet cum aliquo corporis detrimento, ieiunia, vigilias, afflictiones, & alia quibus carnis petulantia coerceatur & quasi depascatur luxuries; vt a circumspiciendo cohibeat oculos, a loquendo contineat linguam, auresq; & pedes & reliqua membra ab vtitatis actionibus refrænet. Ad eundem planè modum, habet Ciuilis potestas Principes suos, suas leges, & tribunalia: habet itē Ecclesiastica, Prælatos suos, suos Canones, Consilia, & Consistoria. Hæc vbi Pagani Principes rerum potiuntur, prorsus sunt inter se diuisa & segregata: in Christianis verò Rebus pub. etsi minime confundantur, nec peruersissi-

Aptissima similitudo D. Nazianzenus exprimens subordinationem Ciuilis & Ecclesiasticæ Magistraturæ. D. Nazianzenus in oratione ad populum trepid. & Imp. commot.

mè (vt nunc fit in Anglia) status spiritualis in temporalem cōuertitur, aut eidem miserè substernitur; ita tamen inter se cohærent & copulantur, vt Ciuilis status (quem in hac comparatione necesse est inferiorem dicere) sub Ecclesiastico tanquam sublimiore ita sit dispositus & ordinatus; hic, vt regat tanquã anima; ille, vt regatur instar corporis. Quanquam dum Ciuilis Reipub. gubernatio æternæ salutis & Regno Christi non officiat, Ecclesiasticus magistratus illius actionibus & rebus gestis sese non interponit, sed potius tuetur, laudat, & honore debito profecquitur, eiq; in singulis Rebuspub. eam quam par est obedientiam exhibet.

At verò cum ita rerum ordo confunditur, vt Ciuilis Magistratus diuinã ordinationẽ impediatur, & cursum populi ad salutem æternam contendentis remoretur; tum verò spiritualis potestas illud sibi iure vendicat vt temporalem ita delinquentem corrigat, & quibuscunq; potest rationibus efficiat, ne quod ex terreno Regno, Ecclesia Christi detrimentum capiat, Quam quidem Ecclesiam, ipsius Christi sacerdotij amplitudine ornatam, variis etiam ministrorum gradibus a Spiritu-sancto perpolitam, necesse est terrenæ Reipub. ad dignitatem tantum antecellere, quantum vel sol luna, vel anima corpore, vel cælum deniq; terra est dignius & præstabilius. Propter quam illius supra omnes homines siue Principes siue Priuatos excellentiam, Christus ipse in Euangelio palam demuntiat, vt Math. 18. *si quis Ecclesiam non audierit, sit nobis tanquam Ethnicus & Publicanus.*

Id quod quamuis meridiana luce fit clarius, sitq; hoc ipsum Rebuspub. adeo salutare, vt eorum incolumitas in hac cum Christi Ecclesia eiusq; sacerdotio conspiratione, ac Ciuilis status temporibus necessarijs, submissione, verè consistat (id quod Reges etiam ipsi fatentur, quotquot pro suis populiq; peccatis non induruerunt, Dei q; terribili iudicio ad demonstrandũ exem-

*Quando
Magistratus
Ciuilis
ab Ecclesiastico est
corrigendus.*

1. COR. 12.

exemplum potentiae iusticiaeque; eius, tanquam vasa contumeliae sunt reseruati) plerisque; tamen etiamnum inuenias, vel perditos adultores qui Principum auribus infusurrant, vel imperitos haereticos qui plane credant & publice doceant, praelatos istos charissimae Christi sponsae, eius mystici corporis & praestantissimi in terris Regni (quos ex hoc mundo ad Patrem reuerentissimus amplissima potestate instruxit, & quos misit in mundum ea cum autoritate quam ipsi Pater suus primo contulerat) hos (inquam) praelatos, erga Principes terrenos nihil omnino posse: transcendere terminos officij & vocationis eorum, si Principem aliquem declarent violasse leges diuinas & Ecclesiasticas; vel si propterea aliquam illis poenam siue spiritualem siue corporalem imponant. Quod si usque eodem progrediatur ut Principes excommunicent, ut populum ab eorum obedientia liberent, quibus nec diuina nec humana lege quispiam verè Christianus obtemperet; hoc verò etiam si Principes in omnem Atheismum & Maiestatis diuinæ blasphemiam ruant, facinus est istis parasitis tam horrendum & immane, ut nullo vel exquisitissimo mortis genere possit expiari.

Huius autem rei veritas quò magis patefiat, æquum ego Lectorem illud vehementer rogo, ut secum diligenter expendat tum ea quæ supra sunt commemorata, tum ea quæ deinceps consequentur. Ex quibus intelliget postquam Christi fidem Reges amplexi sunt, probos quosque; piosque; Reges Ecclesiasticis se Censuris atque; disciplinae semper subiecisse; improbos vero ac sceleratos hoc suaue iugum excussisse, ita tamè ut propterea singularis iniusticiae, impietatis, & tyrannidis notam sibi inusserint; & postea vel poenitentia legitima Ecclesiae satisfecerint, vel in æternum damnati, & in hoc mundo vitam ignominiosam egerint, & in altero mortem sempiternam incurrerint.

Ante annos circiter mille trecentos, Babylos Epif-

Rom. 9.

*Subdola
Politicorum
adulatio ad
certam Prin-
cipum per-
niciem.*

Math. 28.
Ioan. 20.

*Principes
Ecclesiae non
obtemperantes
quæ admodum
castigati.*

*Babylus
Martyr.*

*Chryf. in
vita Ba-
byla.*

*Niceph. l.
5. cap. 25.
26.*

*Sozomé.
l. 7. c. 24.
Theod. l.
5. c. 17.
Ambros.
lib. 5. epi.
28.
August.
de ciuita-
te Dei. li.
5. c. 26.*

copus Antiochensis excommunicauit vnicum eodem tempore Christianum Regem aut Imperatorem *Numerianum* (vt quidam aiunt, vt alii vero *Philippum*) eo quod regis cuiusdam filium sibi in fœderis mutuo percussis obsidē datum interemisset. Qua iusticia offensus Imperator (sicut mali interdum Principes solent) Episcopum suum interfici statim mandauit; quem propterea D. Chrysoströmus cæteriq; patres tanquam illustrissimum illius ætatis martyrem prædicant, quod singulari sua constantia atq; in Deum fiducia, Episcopis omnibus gloriosum præbuisset exemplum, quemadmodum sese erga Principes suos gerere debebant, & ne Ecclesiasticę disciplinę virga contra eos, cum opus esset, vti pertimescerēt; quæcunq; tandem supplicia ipsi idcirco essent petferēda. Post optimi verò pastoris necem hoc modo a crudeli imperatore perpetrata, Romanus Pontifex *Fabianus*, quod summus esset Ecclesię Christianę pastor, vel (vt aliis placet) *Fabius* Babylę martyris in Episcopatu successor, repetita excommunicatione, aliisq; remediis adhibitis, ad penitentiam tandem Imperatorem induxit.

Sanctus quoq; *Ambrosius* Mediolanensis Episcopus, Imperatorem *Theodosium seniore* excommunicauit, & ad penitentiam inter Laicos publicę agendam compulit; præcepitq; vt purpuram & ornamenta Imperialia deponeret, vt relinqueret solium quod intra cancellos vnà cum Sacerdotibus in interiori templi adyto habebat, & foris inter Laicos in posterum commoraretur. & tandem postquam mensibus octo penitentiam egisset, hoc ad extremum illi iniunxit, vt legem sanciret qua omnes tollerentur occasiones eius criminis perpetrandi quod Imperator prius admiserat, & propter quod Imperatorem ipse excommunicauerat.

Longè nimirum alia tunc erant tempora, nostrisq; multo fœliciora. Mirabilis erat Episcoporum con-
stantia

stantia, & pro Dei causa zelus incredibilis, singularis etiam eminebat in Principibus Christianis humilitas atq; obedientia. Nullus tum erat adulator adeo impudens, nullus tam perfictæ frontis hæreticus, qui de isto Principum Pontificatu Ecclesiastico somniaret, aut qui eos ab Ecclesiæ Christi Pastorumq; suorum correctione, nescio quo priuilegio, eximeret: cum nihil in historijs omnium ætatum frequentius occurrat, quàm Christianos Principes hanc sibi impositam disciplinam Ecclesiasticam humiliter subijsse. Sic enim *Anastasius* Imperator a *Simmacho* Papa excommunicatus est, *Lotharius* item ac *Michael* Imperatores a *Nicolao* primo, alijq; Reges ac Principes a suarum prouinciarum Episcopis, vt ex omnium Nationum historijs constat. Nos ex multis pauca, sed ea illustriora & antiquiora exempla repetemus.

Innocentius primus *Arcadium* Imperatorem, eiusq; coniugem *Eudoxiam*, excommunicationis sententia extra Ecclesiam Christianorū proiecit; eò quod Episcopo suo *S. Ioanni Chrystostamo* resisterent eumq; persecuerentur. Neq; verò tum temporis Imperator, aut pro Imperatore quisquam cauillatus est (quomodo nunc hæretici nostri summa cum impudentia & ignorantia garriūt) Romani Pontificis iurisdictionem suæ Prouinciæ Occidentalis certis limitibus esse circumscriptam, nec ad Oriëtem se porrigere; esse *Antichristum* si quis sibi tam vniuersalem potestatem arroget: vel seipsum esse caput Ecclesiæ, & tum non esse sibi præscribendum quemadmodum Ecclesiam regat; vel si nõ sit, velle se Pastores suæ Græcicæ Ecclesiæ audire & ad eorum voluntatem se conformare. Quid *Rome* cum *Constantinopoli*? quid Episcopo Italiæ cum Imperatore Orientis? Sed hæc mendica & mendax theologia nondum illis temporibus cuiquam Christiano- tum innotuerat. ideoq; & Imperator, omnesq; totius orientis Episcopi, longè alio modo Põtificis Romani

Ætas impudens.

Varij Imperatores & Principes ab Episcopis excommunicati.

Nicepho. l. 13. c. 34.

Georgius Patriarcha in vita Chrystostomi.

Iustitia Britan. pa. 446

sententiam exceperūt. Nos eam breuiter describemus quoniam & plena Maiestatis est, & argumento quodiam tractamus, valde accommodata.

Sententia *Vox sanguinis fratris mei Ioannis* (inquit Innocentius pa-
excōmuni- *pa ante annos circiter mille ducentos) clamat ad Deum*
cat. lat. a ab *cōtra te* (O Imperator) *sicut quondam Abel iussi contra patri-*
Imocent. *cidam Cain, & is modis omnibus vindicabitur. Eiecisti e thro-*
Papa cōtra *no suo, re non iudicata, magnum totius orbis doctorem, & vni-*
Imperatore *cum eo Christum persequutus es. Neq; Ecclesia tantum Cōstan-*
Arcadiū. *tinopolitana, sed orbis sub sole totus magnam iacturam fecit,*
viro tam diuino amisso, persuasione vnus Dalila fabulā hanc
& spectaculum exhibentis. Verū excipiet illa & presen-
Impera- *tem hic penam, & futurum sempiternum supplicium, &c.*
trix. *Ista prafatus, alijsq; paucis atrocitate sceleris illius*
explicata, ita deinceps ad Censuram ipsam accedit.
Itaq; ego minimus & peccator, cui thronus magni Apostoli
Petri creditus est; segrego & reijcio te & illam a perceptiōne
immaculatum mysteriorum Christi Dei nostri. Episcopum
etiam omnem, aut Clericum ordinis sancte Dei Ecclesie, qui ad-
ministrare aut exhibere ea vobis ausus fuerit ab ea hora qua
presentes vinculi mei legeritis literas, dignitate sua excidisse
decerno. Quod si vt homines potentes qucuq; ad id vi adde-
geritis, & Canones vobis a Seruatore p sanctos Apostolos tra-
ditos transgressi fueritis, scitote &c. Sic sanctus iste Ponti-
Aug. epi. *fex, quem beatus Augustinus multis in epistolis & li-*
90. 92. 95 *bris valde prædicat, cum Imperatore egit, cumq; see-*
de pecca. *lerata illa Imperatrice Eudoxia, quæ maritum ad tam*
originali. *crudele facinus instigauerat; & tandem ad peniten-*
1. ca. 9. *tiam vtrosq; perduxit.*

cōtra Iu- *Et intra hos quidem terminos constituerunt Epif-*
lia. li. 1. ca. *copi, quamdiu ea fuit in Christianis Regibus pietas, &*
4. *erga Deum reuerentia, vt verbis & Censuris admoniti*
Quādo, & *seipsos emendarent. Fuiſſet enim magnæ imprudentiæ*
quibus de *acerbiora medicamenta illis vulneribus adhibere, quæ*
causis spiri- *leuioribus fomentis poterant curari. Verū cum pau-*
tuales pa- *latim Principes quidā iusto Dei iudicio, propter pec-*
stres reſpo- *cata*
ndali gladio
reſaperūt.

eata populi ad tam nefariam religionis Christianæ cō-
 temptionem laberentur (quod ferè fit vbi hæresis &
 Apostasia paulo altius aut diuturnius radices egerit)
 vt ad eos corrigēdos excommunicationis pœna, vtpote
 tantum spiritualis, & aliæ Ecclesiasticæ Censuræ non
 satis valerent; tunc non Episcopi modò, sed etiam alij
 viri sanctissimi ipsorū Principum subditi, ab alijs Re-
 gibus armorum subsidium ad eos in ordinem cogēdos
 flagitarunt. Quod item & in alijs probarunt, & vt fie-
 ret pro sua virili iuuarunt ipsi Pontifices Romani an-
 tiquissimi, illis temporibus quibus Protestantes, Pon-
 tifices fuisse optimos integerrimosq; cōfiteatur. Quod
 idcirco fecerunt, vt quibus corrigēdis virga spiritualis
 non sufficeret, eos temporalis ad pœnitentiam reuoca-
 ret, aut certè Catholicos & innocentes subditos ab il-
 lorum iniusta vexatione defenderet.

NOTA hinc

Illud quidē Christianis omnibus exploratè tenen-
 dum est, nullum esse bellum iustius, nullum honorifi-
 centius, quàm illud quod pro Religione fit, siue domi-
 geratur, siue contra hostem externum suscipiatur. Re-
 ligionem dico, nō nouam, Lutheranam, Zuinglianam,
 Anabaptisticam, aut aliam aliquam nostra memoria
 ab hominibus ebriosis & luxuriosis inuentam; sed ve-
 ram, antiquam, Catholicam, Romanam, quæ sanctissi-
 mis Ecclesiæ Christi legibus, generali populorū Chri-
 stianorum consensu, & grauissimis temporum atq; æta-
 tum omnium Cōcilijs, verus Dei cultus & vnicus esse
 decernitur. cui omnes Respub. principes & populi, vel
 iuramento, vel voto, vel sacramentis rite susceptis, vel
 his etiam modis simul omnibus se ipsos sua sponte sum-
 miserunt. Pro hac (inquam) religione decertare, præ-
 clarum & gloriosum est, eo modo eoq; tempore, quo
 nobis consciētia, & leges sacræ, iuxta sacerdotum, sum-
 miq; inprimis Pastoris sententiam, bellum esse legiti-
 mum persuaserint. Longè autem secus est, cùm bella
 mouentur pro execrandis & antiquis in Ecclesia pri-

Bellum pro
 Catholica
 religione,
 licitum est
 & glorio-
 sum.

mitiua damnatis hæresibus, aduersus Reges & sacerdotes Christianos atq; Catholicos; quod nostra ætate fecerunt Lutherani, Anabaptistæ, & Calviniani, nulla nequè diuina nequè humana lege illorum rebellionib⁹ suffragate. Illa vero priora bella pro Christi Ecclesia, ad eum quem diximus modum suscepta, maximè sunt laudabilia; eò quòd nullum cogitari potest scelus siue in Regibus siue in subditis magis infandum & detestabile, quàm est in Christianis Christianæ fidei delictio, & ad nefarias absurdissimasquè hæreses delictio.

2. Paral.
15. v. 13.

Si quis non quaesierit Dominum Deum Israel (inquit Rex Asa ab Azaria propheta admonitus) moriatur a minimo usq; ad maximum, a viro usq; ad mulierem. omnisquè populus, multiquè etiam qui relicto schismate ad eum ex Israel confugerant, iurauerunt in omni corde suo se omne periculum subituros pro religione Deoq; patrũ suorum, Præstititq; eis dominus requiem per circuitum. Sed & Maacha mater Regis Asa ex angusto deposita est imperio propter apostasiam, eò quòd coleret libidinosum illud numen Priapi.

Deutero.
c. 13.

Hanc ob causam in Deuteronomio quoq; præceptum legimus, vt omnes interficerentur pseudoprophetæ, & quicunq; populum Dei a religione vera ad Deos alienos seducerent, eorumquè sectatores ad vnum e medio tollerentur, etiamsi nobis essent cõiunctissimè; siue frater filius matris nostræ, siue filius noster, siue vxor, siue etiam amicus quem diligimus vt animam nostram. Eodemq; loco præcipitur, si quæ vel amplissima ciuitas a vero Dei receptoq; cultu ad peregrinas religiones discedat, vt ferro ac flammis funditus deleatur, idq; ita, vt ad tam abominandi facinoris detestationem nunquam in posterum habitetur. Delebis (inquit Deus) eam & omnia qua in ea sunt usq; ad pecora. quicquid etiam supellectilis fuerit, congregabis in medio platearum & cum ciuitate succendes, ita vt vniuersa consumas Domino Deo tuo,

Ibid.

nec

nec adificetur amplius, sed sit tumultus sempiternus.

Quòd, si fortè quis adeo simplex sit, vt opinetur istis legibus solos priuatos teneri, non item Principes & Rectores populi; nouerit ille ab eodem Deo in libro Numerorum mandari, vt tollantur cuncti Principes populi, & Num. ca. 25.
 suspendantur contra solem in patibulis, eò quod sacrificijs Moabitarum sese contaminassent. Quo item loco iubetur, vt propter idem sacrilegium, occidat unusquisq; Principes ob idololatriam morte multati.
 proximum suum; ipseq; Phinices sacerdos Domini, quòd sua manu quendam ex ducibus interemisset, magnam gloriam, & sempiternum a Deo sacerdotij honorem promeruit. Quin & iussu Moysis Leuitæ interfecerunt Exod. 32.
 triginta tria hominum millia, neq; proximis nec amicis nec fratribus pepercerunt, quòd verum Deum deserentes Idololatriæ sordibus se polluissent; eaq; strages ita vehementer Deo probata est, vt qui eam perpetrarunt, Ibid. v. 29
 dicantur consecrassè manus suas Domino, unusquisq; in filio, & in fratre suo, vt detur eis benedictio. Illud autè in omnibus his exemplis sedulò notandum est, populum non sua voluntate & impetu ad has cædes prorupisse, sed a Prophetis & sacerdotibus commonefactos. Id quod omni posteritati sequutura exemplo est, ne aliàs priuato odio, fauore, superbia, aut alia quauis animi perturbatione in errores ruamus, & tum improbitatem nostram religionis velo obtegamus, quod hæreticis alijsq; seditiosis hominibus semper in more est positum. Quare illud in primis iterum atq; iterum consideretur, vt belli causa iusta sit; vt pro vera, antiqua, & Catholica fide suscipiatur contra prophanas nouitates; vt ab ijs deniq; approbetur, quibus a Christo commèdata est & Ecclesiæ suæ & animarum nostrarum curatio.

Quemadmodum in libro Numerorum videmus a Deo mandari Iosue populi totius duci fortissimo ac præstantissimo, vt ad verbum Eleazar sacerdotis ingrediatur & e- Num. 27.
 grediatur; hoc est, vt bellum indicat, vel pacem faciat,

1. Paral.
c. 13.

Bella pro
religione
contra schis-
maticos.

2. Paral.
c. 21.

4. Reg. c.
8.

iosue 22.

Euseb. l.
9. c. 6. 7.
Niceph. l.
7. ca. 28.

Naxian. de
laudibus
Basili.
Ambr. l. 5.
epist.

iuxta modum ab *Eleazaro* sacerdote constitutum. Talia fuere bella a Rege *Abia*, alijsq; iuda Regibus contra schismaticos Israelitas iustissime & felicissime gesta, qui reges, Ciuitates in talibus bellis captas, optimo iure deinceps possederunt. *Edom* quoq; & *Lobna* Ciuitates, a Rege *Ioram* defecisse legimus ad aduersarios eius. Cuius facti hanc iustissimam causam assignat scriptura sacra, *Dereliquerat enim Dominum Deum Patrum suorum, & excelsa fabricatus est; neq; voluit ad eam quam semel abiecerat religionem veram reuertere.* Fuit quoq; factum illud filiorum Israel admodum præclarum, & zelo ad Dei cultum retinendum flagrante, & exemplo ad omnem posteritatem memorabili, cum bellum inferre statuerent tribubus *Ryben* & *Gad* & dimidia tribui *Manasse* ea tantum de causa, quia schismaticum (ut ipsis videbatur) altare extra eum locum erexissent, quæ Deus solum cultui suo & sacrificijs immolandis præstituerat.

Iam verò postquam Christiana religio in orbe propagata est & confirmata, permulta bella summa cum laude & gloria gesta sunt contra Principes & Respub. fidem eam extirpare vel suppressere molientes. Sic olim *Armenij* Christiani, armis sese contra Imperatorem, *Maximum* legitime defenderunt, eiusq; exercitum magna cum clade & ignominia profligarunt. Sic variarum nationum Catholici, Episcopos suis in cathedris armorum præsidio conseruarunt aduersus infidelium impetus, maxime autem aduersus hæreticorum Imperatorum edicta, contra quos pro Ecclesijs protegendis & Ecclesiasticis bonis ab eorum sacrilega rapacitate vindicandis sæpenumero dimicauerunt. Sic *Antiocheni* ciues aduersus *Galerium* Imperatorem eiusq; satellites, constanter Ecclesiam suam armis tutati sunt. Eodemq; modo *Basilius* atq; *Ambrosius* gloriosos Episcopos, contra insanos hæreticorum furores Catholici protexerunt. Neq; verò hoc a populo tantummodo

modo factum est qui temerè & inconsultò multa interdum committit, & de quo sedando cum iam ad tumultuandū inclinaret rogat^o *D. Ambrosius*, eleganter respondit; in sua quidem potestate situm esse vt populum ad arma non concitet; concitatum verò vt mitiget illusq; furorem cohibeat, illud quidem in sua potestate non esse: verùm etiam Episcopi ipsi talium Prouinciarum quæ ab hæreticis Principibus opprimebantur, a Catholicis Regibus opem sine vlla seditionis aut læsæ Maiestatis nota implorarunt.

Beatus ille *Athanasius* qui optimè sciebat quātum Principi debebatur, & quando fas erat vel nefas ei resistere, aduersus *Constantium* Arrianum primum Imperatorem hæreticum a *Felici* Romano Pontifice condemnatum, ab ipso *Constantij* fratre *Constante* Occidentis Imperatore auxilium postulauit. *Constantius* verò Arrianus, fratris arma reformidans, *Athanasium* aliosq; Catholicos Episcopos suis Sedibus restituit. quanquam *Constante* vita functo, maiore quàm vnquā antea furore *Athanasium* est persecutus. Successor quoq; *S. Athanasij Petrus* Sæcti *Basilij* frater, ab Apostolica Sede opem (id quod afflictis Episcopis, alijsq; Catholicis tum temporis valde erat vtitatum) petijt & obtinuit. *Atticus* quoq; Episcopus *Constātinopolitānus* Persas Christianos a Rege suo infideli profugientes & auxilium suppliciter implorantes, nō solum ipse quibus potuit opibus subleuauit, sed etiam *Theodosium* ad eorum defensionem suscipiendam bellumq; propterea cum Persarum Rege gerendum permouit, cui & Christus ipse mirabiliter affuit, casis ex inopinato multis Persarum millibus, ipsoq; postea Rege Imperij gubernaculis priuato, adeo vt Catholici vitā deinceps tutam & quietam egerint.

Quid de magno illo *Leone* primo, Pontifice dicam, qui Imperatori eiusdem cognominis persuasit vt ad Catholicos ab iniurijs grauissimis liberandos, contra

Bella pro religione, sanctissimi episcopi probauerunt

Athanasius.

Theodo.

l. 2. c. 5. 13

Socr. l. 1.

c. 13.

Sozom.

l. 4. c. 7.

Damasc.

in Pontif.

Petrus Alex. adrius.

Socr. l. 4.

c. 17. 30.

Sozom. l.

6. c. 19.

Socrat. li.

2. c. 18.

Atticus

Constātinopolit.

Niceph. l.

14. c. 21.

Leo Magnus.

Euagr. l. 2. c. 8. Alexandria Tyrannum, atq; Eutichianos hæreticos arma fumeret, qui Protestantium nostrorum instar, Monasteria & templa funditus euertebant, aliaq; eius generis sacrilegia quamplurima perpetrabant. Leonis autem ad Imperatorem verba ita se habent. *Debes incunctanter aduertere, Regiam potestatem tibi non solum ad mundi Regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam &c. Quare si laudabile est aduersarum gentium arma contere-re, quanta erit gloria ab insanissimo tyranno, Alexandrinam Ecclesiam in cuius contritione omnium Christianorum est iniuria, liberare. Deniq; Gregorius Magnus Gennadium Exarchum Africæ ad bellum hæreticis inferendum hortatur, illudq; ei & apud Deum & apud homines magnâ gloriam pariturum ait. Omnesq; omniû ætatum Episcopi cum de hæresi ageretur, deq; iniurijs Ecclesiæ Christi illatis, quoniam has causas optime sciebant sub suam iurisdictionem cadere, nunquam destiterunt authoritatem suam interponere, excommunicando, hortando, Imperatores ad res per Legatos componendas permouendo, cum illud non valeret, eosdem Imperatores ad exercitum conscribendum, viq; & armis progrediendum, persuadendo: deniq; omnes modos a Deo concessos ad tranquillitatem Ecclesiæ procurandam experiendo. Quæ tamen omnia omnibus temporibus non sunt adhibenda, sed mature pro temporum & personarum discrimine dispensanda.*

Qui Principes & quando excommunicari possunt.

Optimo quidem iure poterant sancti olim Episcopi (quod & interdum fecerunt) Arrianos Imperatores excommunicare, subditosq; Catholicos denunciare liberos vt eorum vim vi repellerent, ac arma armis reprimerent. Verum hoc ab illis non semper factum videmus; quòd Christianorum tenues vires immensam Tyrannorum potentiam nulla comparatione exæquarent. nemini tamen dubium esse debet, quin *Constantium* illum ac *Valentem* Arrianos, & *Iulianum* Apostatam, aliosq; huiusmodi, Catholici Episcopi excommunicare potue-

potuerint, atq; ab eis Imperij fasces adimere, omnesq; subditorum cum illis pactiones de fidelitate & obedientia rescindere, si opibus satis magnis instructi fuissent Catholici ad illud factu conficiendum, quod iure picq; Christianis legibus poterant attentare.

Quin etiam adeo iustum & laudabile est religionis causam agere, & iniurias ab hominibus innocentissimis depellere, ut propterea Christiani, Ethnicis etiam Principibus (Ecclesiasticæ licet disciplinæ minimè subiectis) armata manu resistere possint; & potuerunt Christiani in primis illis persecutionibus cum Pagani Imperatores Ecclesiam tanta cum immanitate vastabant aduersus eos armis sese communire, quod tamen (ut pleriq; existimant) minimè licuisset, si Principes Ethnici Christianos non vexassent, nec fidei plantandæ & prædicando euangelio hostiliter sese opposuissent.

Quâquam in ea sententia D. Thomas esse videtur, ut Regem Ethnicum eo solo nomine omni sua in Christianos autoritate priuari posse existimet. Illud utcûq; fit, hoc certè cõstat, Reges illos qui Christi fidem Ecclesiæq; defensionem aliquando professi sunt, tum excommunicari posse, tum de imperio deponi, idq; sæpe numero antiquitus factu esse propter Hæresim, Apostasiam, vel alias iniurias Ecclesiæ Christi factas; ut aliquando etiam ob alia quedam atrocissima flagitia, que ad totius populi manifestam perniciem vel corruptionem videbantur tendere,

Vide D.
Tho. 2. 2.
q. 10. ar.
10.

Sed ut de religione potissimum, criminibusq; ad eã pertinentibus loquamur; Leo tertius a Gregorio 2. excommunicatus est, omniq; quod in Italia habebat imperio & ditione priuatus. Græci quoq; Imperatores quoniã religionem Christianam atq; Ecclesiam minùs curabant, summum Imperium amiserunt; quod Leo. 3. Græcis ademptum, transtulit ad Germanos. Postea Germani Imperatores multi ob iniurias intolerabiles Ecclesiæ Dei illatas, ob sacrilegia, & hæreses, sanctissima

Principes ob
schisma vel
neglectam
religionem,
excommuni-
cati & de-
positi.

Ecclesiæ disciplina Pontificumq; Romanorum diligentia, vel in ordinem coacti, vel dignitate sua sunt exuti; vel deniq; si Christi vicario præfractè restiterint, diuina post iusticia de eis eorumq; posteritate terribiliore vindictam sumpsit. Tales Imperatores ab historicis numerantur *Fredericus primus, Fredericus 2. Otto 5. Ludouicus 3. Ludouicus 4.* & (quem postremo loco nominamus quòd plura nobis de eo dicenda sunt) *Henricus 3. Imperator.* vel (vt alijs placet) *4. a Gregorio 7. excommunicatus:* què hominem famosi huius Libelli author cæterorū more hereticorum frequenter inculcat, eò quòd *Henricus* iste vnus inter reliquos maiorem obstinationem præ se tulerit (singulari licet Pontificis constantia aliquando ad pænitentiam subeundam, aliquando in summas angustias adductus est) adeo vt tandem collecto exercitu Pontificem inuaserit, eumq; Roma expulerit, & *Antipapa.* in illius locum *Antipapam* quendam suffecerit, qui haud aliter Christi vicario aduersatus est, quàm Christo Domino Antichristus extremis mūdi temporibus aduersabitur. Hic verò pseudopontifex nefarij Imperatoris viribus fretus, Sedem Apostolicam occupauit còtra verum Pontificem *Gregorium 7.* quem Libelli author vulgari hereticorum more, *Gregorij* nomine non dignatur, sed *Hildebrandum* potiùs vocat. quemadmodum hæretici in Germania cùm post fædus Smalcaldicum Imperatorem bello lacerarent, eum non *Carolus Imperatorem,* sed *Carolus Gandauensem* appellandum statuerunt.

*Hereticorū
malitia.*

*Contentio
inter Gre-
gorium 7.
& Henri-
cum 3. Im-
peratorem.*

Quoniam vero optimus hic sanctissimusq; Pontifex contra vires Imperatoris se tueri non potuit (quem quidem Imperatorem historiæ illius ætatis omnes hominem fuisse valde flagitiosum, sacrilegum, simoniacum, hæreticum, omnibusq; scelerum maculis notatissimum testantur) quoties de illo Protestantes nostri loquuntur, mirabiles triumphos canunt; quos & Libelli author hoc loco imitatur. Verùm pari ratione &
Hero-

Herodiani *Ioanni Baptista* insultare potuissent, cuius salutare consilium tam vehementer Regi displicuit, vt propterea excellentissimo Prophetæ caput amputauerit. quemadmodum idem post *D. Ioannem*, multis prophetis & Episcopis accidit; qui propter sententiam Ecclesiæ, hoc est ipsius Christi, Principibus liberè denunciata, presens vitæ capitisq; periculum frequenter adiuerunt. Quo rerum euentu quisquis causæ alicuius bonitatem diiudicare voluerit, nã ille præclaram religionem fabricabit, & egregius *Britannicæ* fortassis *iusticiæ* patronus censëbitur; nulla enim alia in orbe Christiano iusticia talibus argumentis seipsam poterit tueri. Sic enim & *Pilati* contra *Christum*, & *Neronis* contra *Petrum* & *Paulum*, omniumq; cruentissimorum tyrannorum contra sanctos Dei martyres, actiones iustę atq; laudabiles erunt. *Gregorius* (inquit iste) in exilium tandem ab Imperatore missus est. præclarum sanè facinus, & dignum quod ab istis Euangelicis præconibus celebratur. Sed & *Ioannes* Euangelista a *Domitiano*, & *S. Athanasius* a *Constantio* in exilium eiectus est. *Chrysoströmus* vero ab *Arcadio* & *Eudoxia*; & *Ioannes*, *Martinus*, *Silueriusq;* martyres & Pontifices Romani, a sui temporis Imperatoribus idem passi sunt quod *Gregorius* 7. & in exilio fæliciter vitam cum morte mutarunt. Ecquis tamen præter istum *iusticiæ Britannicæ* prædicatorem, hos sanctissimos Episcopos reos iniusticiæ faciet, & persecutorum iniusticiam eorum innocentie anteponet?

Contra verò Pontificem istum *Gregorium* (quem ad *Gregori* 7. *vir bonus.* uersarij præcipuè oderunt, vt credere par est, quod primus heresim Berengarianam publicè damnauit & disputatione publica refutauit) licet nonnulli Imperatoris adulescentes & Apostolicæ sedis hostes, Libellos famosos (vt nunc hæreticis in more est) disseminarunt, & splendorem nominis eius varijs calumnijs maculare conati sunt, fuit tamen sine quæstione, vir excellen-

tis tum doctrinæ tum pietatis; & quicquid passus est, propter iusticiam solam est passus: nihilq; contra Imperatorem fecit, nisi sanctè, honorificè, & quod Pastorale eius officium maximè requirebat. Cuius rei testes optimos quosq; illorum temporum aut proximè sequentium historicos, nisi breuitati studeremus facillimum esset producere. Vnius tamen *Baptista Ful-*

Testimonium
Ducis Genuensis de
Gregorio. 7.
Pontifice.
lib. 3. c.
ultimo.
factorum
memora.

gosi Ducis aliquando Genuensis, viri Principis & doctissimi testimonium apponemus. Qui ante annos centum de hoc Pontifice ita mentionem facit, vt cum tantquam illustre exemplum fortitudinis & constantiæ posteritati commendet. Constantissimus habitus est (inquit iste) Gregorius 7. Pontifex; qui quod Henricum 3. Imperatorem propter aperta nimis Simonia crimina pro pastorali officio reprehendebat, grauib; ab eo iniurijs affectus est. Itaq; iniuriarum magnitudine compulsus, Henricum Gregorius vt hereticum imperij honore priuauit. Cum autem Henricus solui Ecclesiastica censura, non emendatione vita sed armis quereret, alium creare Pontificem enixus, capta vrbe obsidere Gregorium cepit. Quæ mala cum Gregorius pateretur, nunquam tamen iniusto proposito dimoueri potuit. Sic ille de Pontifice simul atq; Imperatore. Crimina vero horrenda propter quæ Pontifex vsq; eò prouectus est vt Imperatorio eum Diademate indignum decerneret, ita recenset Trithe-

Vide Vfpurgen. l.
1. Annal.
Tribem. in
Chronica.

Scelera
Henrici 3.

mius. Henricus Episcopatus & Abbatis vendit & c. etenim Constantiensem, Bambergensem, Moguntinensem, & plures alios pro pecunia; Ratisbonensem, Augustensem, & Strasburgensem, pro gladio; Abbatiam Fuldensensem, pro adulterio; Monasteriensem verò Episcopatum (quod dicere & audire nefas est) pro Sodomitica immunditia vendidit. Cælum & terra testes sunt hæc esse vera. Pro quibus nefandis malis ab Apostolica sede excommunicatus, nec Regnum nec potestatem aliquam super nos qui Catholici sumus poterit exercere. Quæ infanda Imperatoris illius scelera, in omnibus historicis grauioribus adeo sunt vulgata & trita, vt Calvinus ipse causam hanc agens, Henricum Imperatorem ab isto impe-

imperito scriptore tantopere laudatum, asserat fuisse Caluin. Instit. l. 4. ca. 11. Sect. 13.
 hominem lenem & temerariũ, nullius consilij, magna audacia, & vita dissoluta, propter insolentiorẽ administrandi rationẽ plerisq; principũ exosum; & qui episcopatus totius Germania haberet in aula sua partim vanales, partim prædæ expositos.

Verũm vt ad alia progrediamur; idem hic Gregorius 7. eadem animi constantia Boleslauum secundum Poloniae Regem excommunicauit, Regniq; iure priuauit propter sancti Stanislai Episcopi eadem ab eo ad sacrosanctum altare immani sacrilegio factam. Quam sententiam etsi viribus suis fretus ad tempus contemneret, tandem tamen a suis ipsius subditis derelictus, deinde ab ijs oppugnatus, in fugam se coniecit; & ad extremum, mortem ipse sibi consciuit.

Propter hæresim etiam Georgius Bohemiae Rex primũ excommunicatus, deinde a Rege Hungariae Regno expulsus est. Ioannem quoq; Alibretum Navarrae Regem, quod Ludouicum duodecimum a Iulio 2. Pontifice excommunicatum, armis opibusq; suis iuuisset, bello adortus Ferdinandus Aragoniae Rex cognomẽto Catholicus, longẽ maiorem Regni partem ei ademit. Quin etiam ob maximas iniurias quibus Ecclesiã affecit, Episcopos Religiososq; pro sua libidine vexando atq; prædando, & Ecclesiarum bona in suum fiscum auertendo, Ioannes Angliae Rex cum suis omnibus anathemate confixus est; & post diurnam seditionem cum Deo & Sede Apostolica concertationem ed redactus, vt sua bona spontaneaq; voluntate, ac communi Posteriorum temporum Reges excommunicati.
Angliae Reges.
Ioannis regis submissu sedi Apostolica.
 consilio Baronum suorum (hæc sunt ipsius verba, solennibus codicillis excepta & consignata) conferret & liberẽ concederet Deo & sanctis Apostolis eius Petro & Paulo, & sancta Romana Ecclesia matri suæ, ac Domino Papa Innocentio eiusq; Catholicis successoribus, totum Regnum Angliae, & totum Regnum Hyberniae, cum omni iure & pertinetijs suis: & quod amodo illa ab eo & Ecclesia Romana tanquam secundarius reciperet & teneret. In signum cuius obligationis & con-

Lib. 1. de
repub. c.
9. Vide
Stoum,
Fox, &
Grafton.
ī historia
Ioannis
Regis. Itē
Hollin-
thead pa.
576.

cessionis de specialibus redditibus predictorum Regnorum factū etē promittebat se in singulos annos persolaturū 1000 marcas, hoc est 700. pro Anglia & 300. pro Hybernia. Huius pactionis vel submissionis authenticum instrumentum vidisse se Ioannes Bodinus ait. Exemplaria verò, in communibus patriæ nostræ historicis hodierno die supersunt.

Iisdem ferè de causis, maximè vero quòd de sanctissimi Episcopi *Thomæ Cantuariensis* nece in vehemètem suspicionem venerat *Henricus 2.* ab *Alexandro 3.* Pontifice & ad meliorem frugem, & ad salutarem penitentiam perductus est. Exemplaria huius generis plurima, non in Anglia modo, verum etiā toto passim Christiano orbe vulgata, facillimum esset percensere. Ex quibus videmus, primò, quæ fuerit etatibus omnibus hac in re Catholicæ Ecclesiæ consuetudo. Tum, certā ex his deducimus conclusionem, Catholicos viros nec esse proditores, nec tenere *Assertiones falsas & proditorias*, qui interrogati respondent, & credunt, Principem quamvis alioqui legitimum, propter hæresim aut aliquam magnam impietatem populis perniciosam, excommunicari posse, abdicari Regno, a subditis deserui, armisq; etiam coerceri, cū grauißimum Ecclesiæ Catholicæ iudicium ita esse factu necessarium definiuerit. Quod item optimè Maiores nostri ostenderunt in eo quem proximè nominauimus Ioanne Rege, qui post Interdictum, cū ad recuperandum ius suum hæreditarium, Galliam cū exercitu esset inuasurus, Principes & proceres Regni responderunt, se nullum ei opem lauros, nec extra Angliam pedē discessuros, nisi prius sententia Pontificis reuocaretur, & Rex ipse eo interdicto manifestè solueretur.

Vbi sup.
pa. 581.

Excommunicatio a Gregor. I. lata ī Reges ac Principes.

Vnicum hoc loco *Gregorij Magni*, Pontificis illius nominis Primi sententiam adijciam, quem aduersarij confitentur & doctrinæ & sanctitatis laudibus inprimis floruisse. Hic cum multis sæculis *Gregorium 7.* antecesserit,

ferit, nosterque Apostolus iure habeatur, ideoque & pro Apostolica sua authoritate maiorē à nobis aliisq; Christianis fidem iure possit vendicare; quæstionem hanc quam nunc tractamus, iam olim factō suo terminavit. In eo enim priuilegio quod Sancti *Medardi* in Galliis monasterio cōcessit, ita decernit. *Si quis Regum, Antistitum, Iudicum, vel quarumcunquē personarum secularium, huius Apostolica authoritatis & nostra præceptionis decreta violauerit, cuiuscunquē dignitatis vel sublimitatis sit, honore suo priuetur.*

Gregor.
Epistol. li.
11. in fine.

Hæc fuit D. Gregorij potestas, hæc authoritas, hæc Christianorum fides, ex quo Anglia ad fidem cōuersa est. Neq; verò ob huiusmodi fidem quisquam in ius aliquando vocatus, multò minus de perduellione accusatus est, vsque ad hanc nostram miserabilem aetatem. tantum abest vt hæc sententia antiquis regni legibus ab *Edouardo 3.* latis, læsæ maiestatis crimen esse censeatur. quantumuis noui isti Solones, vel potius Dracones, suis parlamentaribus legibus, & Confessiones, & Rosaria, & quid nō, cū voluerint statuunt esse crimina capitalia, & maiestatem tum diuinam tum humanam lædentia.

Ab ætate verò D. Gregorij aut circiter, ad nostra vsque tempora, Christiani Reges omnes, præsertim verò Hispaniæ, Galliæ, Poloniæ, Angliæ, solennibus conceptisque verbis sanctissimè iurant, cū ad populum regendum assumuntur, seruaturos se Catholicam fidem. Angliæ vero Rex disertis etiam verbis addit, se defensurum priuilegia & libertates, Ecclesiæ & Clero concessas à Rege *Edouardo Confessore*, aliisque Regibus Antecessoribus suis. Hac sub conditione & fidei & libertatis, populus noster Anglicanus Regibus se submittit, & *Cantuariensis Archiepiscopus* Regem inungit. Hac conditione *Archiepiscopus* gladium ei porrigit, & diadema ei imponit, & annulo dato eius fidē Reipub. deuincit, & sceptrum ei in manus tradit, & summam ei

Iuramentū regum Angliæ quō coronantur.

Vide Hol-
linsh. in
historia
Richard.
1. pag.
476.

potestatem concedit; & ad extremum cum alloquens, *Sta* (inquit) & *retine a modo locum, fidem & iusiurandum tuum*; & denique horribili comminatione *precipit ex parte omnipotentis Dei, hunc locum ne suscipiat, nisi fideliter constituerit ea plene observare quæ illic tam solenni iuramento promisit*. Quæ omnia non iocosè fiunt & ironicè, quasi Rex cum volet, ea possit abiicere; sed seriò, religiosè, & coram diuina Maiestate: vt sciat Rex Christianus se ab Ecclesia recipere gladium, sceptrumque, & quam habet in Christianos potestatem, & pro Ecclesia gladium illum distringendum esse; vt *stet & retineat hunc locum, hanc sponsonem*; quam si fregerit, ipse regno suo subruendo quod huic fundamento inædificatum est, manum primus admouet, & subditum postea recedentem, ab omni perduellionis nota liberat.

In vita S. Thomæ. Hoc iuramentum Sanctus Thomas Cantuariensis, & præsens Henrico 2. Regi suo in memoriam sæpenter reuocauit, & etiam absens epistola ad eum scripta; vbi inter alia sic loquitur. *Memores sitis confessionis quæ fecistis & posuistis super altare apud West monasterium de seruanda Ecclesia libertate, quando consecrati fuistis & vincti in Regem à prædecessore nostro Theobaldo.*

Imperatores Greci, qua conditione sunt admisi.

Zonaras Tom. 3. & Cuspinianus 1 Anastasio, & Michaële & Ioan. Zymil.

Et Patriarchæ Constantinopolitani ab iis qui in Imperatores essent deligendi (maximè, cum vigerent hæreses) scriptum publicum tanquam instrumentum authenticum exigebant, quo promittebant sese fidem & decreta sanctorum Cõciliorum seruaturos. Sic Euphemius patriarcha, vir sanctus & religiosus cū coronaret Anastasium, literas ab eo exegit quibus profiteretur rectam fidem, sequè nihil immutaturum de Ecclesiasticis decretis. quas literas cum post imperator fraude surripuisset, & deinceps in hæreses varias laberetur, fulmine cælitus missus est interemptus. Eodem modo Michael Imperator à Nicephoro Patriarcha coronatus est, facta prius illi literis manu sua subscriptis promissione, nihil eorum quæ in ecclesia seruabatur, mutatum iri. Aliique Episcopi cum alios in Oriente

Oriente Imperatores creatent, similibus diplomatis de religione Catholica incorruptè continuanda diligenter præcauerunt. Scribitq; Zonaras, Patriarcham Constantinopolitanum, *Isaaco Commeno* Imperatori liberè palamq; dixisse, quemadmodum per suas manus Imperium acceperat, ita nisi illud rectè ac pro dignitate administraret, fore vt idem Imperium sua auctoritate amitteret. Et ne singula exempla minutè censeamur, eadem est conditio & status Christianorum Regum omnium, qui cum ab infidelitate ad fidem cōuertuntur, & per Baptismi sacramentum in Ecclesiam ingrediuntur, filij Ecclesiæ fiunt non Patres; oues non pastores; & ita sua scepra Christo submitunt, vnàq; seipos Ecclesiæ subijciunt, vt si deinceps Catholicam Christi & Ecclesiæ fidem deserant, Ecclesiæ correctioni necessariò sint obnoxij.

His ergo conditionibus solis Reges ab Episcopis diuina auctoritate in Ecclesiæ communionem recipiuntur; his conditionibus vnguntur & coronantur. Quæ fidei & iurisurandi vincula si ipsi primò peruerint, Deoq; & Dei populo fidem datam fregerint, vicissim populo non solum permittitur, sed etiam ab eo requiritur, idq; officium eius postulat, vt iubente Christi vicario, supremo nimirum populorum omnium in terris pastore, ipse quoq; fidem antea talibus Principibus datam non seruet: cum clarissimum sit, hèresim & infidelitatem tanquam pestem quandam serpere ad Reipub. atq; animarum perniciem, neq; intra certam aliquam regionem contineri, sed emanare ad Ecclesiæ Catholicæ religionisq; in alijs quoq; prouincijs maximum detrimētum, ad quas tuendas Reges a Deo potissimum eriguntur. Estq; tam pestilens & Ecclesiæ exitiosa Regis a fide defectio, vt si nullā fuisset relicta potestas Apostatas Principes reprimendi, nequaquam salutis nostræ, Ecclesiæq; & sacrarum legum conseruationi satis a Deo Opt. Max. prouisum videretur. Et

Quas ob causas subditi principibus negare possint obedientiã.

Principis exemplum vnde periculosum.

fuiſſet certè multò ſalutarius Eccleſiæ, nunquam Reges in gremium ſuum recepiſſe, quàm hanc eis infinitam licentiam reliquiſſe, vt cum vellent poſſent recedere, & quos vellent poſſent corrumpere, & tyrannicis legib⁹ ſubiectos ad quamcunq; religionem ab aulicis & adulatoribus inuentam compellere, nec tamen Eccleſiæ fas eſſet hanc impietatem vlla diſciplina coercere. Quis enim non videt, quemadmodum vna qualiſſimum animorum conſpiratione, integræ terrarum orbis Pro- uinciæ a Chriſto deſciuerunt ad *Paganismum* cum *Iuliano Apoſtata*; ad *Arrianismum* cum *Valente*; & apud nos in Anglia, ad inchoatum *Zuinglianismum* cum *Henrico 8.*, & ad perfectum *Zuinglianismum* cum *Edouardo 6.* nec dubium eſt quin Turcarum agreſtem infidelitatē amplecterentur, ſi potentior aliquis Princeps eò inclinarēt, & exemplo ſuo ad talem infidelitatem populo antecederet.

Quòd ſi fides noſtra atq; æterna ſalus ad cuiuſq; ſecularis Principis voluntatem ita ſuſpenderetur, nullum vt ſuper eſſet maximis hiſ periculis remediū; ſi neceſſariò & ſimpliciter obediendum eſſet Principi quamcunq; ſit hæreſi ſordidiſſima turpificatus; tum certè Reſpub. Chriſti, Eccleſia teſtamenti noui, quauis *Paganorum* Republica longe eſſet deterior & infelicitior. Illi enim nunquam Rempub. aliquam ita ſtolidè formarunt, vt non habuerint rationes certas & expeditas deiiciendi a ſuis ceruicibus ſeruile iugum tyrannorum, quorum intolerabilis erat inſolentia, & adminiſtratio perſpicuè pernicioſa ſocietati hominum & communi bono, pro quibus omnes ubiq; Reges vel ab hominibus ſunt electi, vel a Deo conſtituti.

*Chriſto quàm
Principi
magis obli-
gamur.*

Longè quidem maius eſt & firmitus vinculum quo Chriſto atq; Eccleſiæ aſtringimur, quàm quo humanae vlli creaturæ obligamur. quamobrem ſi inferioris obſequium impediatur cultum quem ſuperiori, adeoq; & ſupremo omnium Domino debemus, quis non videt
dandam

etandam nobis esse operam, vt legitimè ac ordinatè ab inferiori illa obediencia deoneremur? Mulieri, si cum marito infideli aut hæretico, sine Creatoris contumelia nõ possit viuere, permissum est ab eo discedere, & vicissim viro fideli a muliere infideli; & hoc loco coniugalem beneuolentiam nec alter iure potest requirere, nec alter tenetur præstare. quin & mancipio, cuius alio in genere magis necessarium est officium, & arctior obligatio erga Dominũ, quàm alicuius subiecti erga Principem, licet antiquis Imperatorum legibus Dominum planè deserere in hæreses ruentem. Quin etiam ipso (vt aiunt) facto ex mancipio in hominem liberum euadit. Parentes deniq; si hæretici fiant, potestatem in suos ipsorum liberos amittunt, quam alioqui & a natura & a legibus habent longè maximam.

*Religio
matrimonia-
le vincu-
culũ soluit.*
Li. 4. De-
cret. tit.
de di-
uort. ca. 7.
Theodos.
l. Mani-
cheos. c.
de hære-
ticis.
Cap. fin.
extra de
hæret.

Quamobrem non est quod quispiam admiretur, si Christiana theologia hoc certò exploratèq; teneat, Regem propter hæresim, ius suum atq; autoritatem in populum Christianum omnino deperdere. Nulla enim Respub. nullum Regnum potest esse Christianum, nisi Christo & Ecclesiæ legib; obtemperet. Regnum verò licet huic vel illi Regi non obtemperet, Regnum Christianum esse propterea nequaquam desinit, cum nemo vir singularis necessari; sit ad ei; salutè, quemadmodum contra vnus aliquis Rex hæreticus religioni aduersarius, & potest conficere & sæpenumero conficit eius interitum & dissipationem.

*Propter hæ-
resim Prin-
ceps autho-
ritatem
amittit.*

Atq; hæc (vti speramus) satisfacere possunt æquis Lectoribus, vt ne improbent moderatissima fratrum nostrorum respõsa ad quæstiones de principibus propter hæresim excommunicandis vel deponendis. De quo plura deinceps, prout occasio dabitur; quãdoquidem istius improbi Libelli author importunitate sua eò nos perpellit: quemadmodum & Magistratus ciuilibus captiosis cruentisq; suis interrogatis quosdam ex nostris fratribus coegit ante mortem liberiùs sensus

suos explicare, quàm aliàs voluissent. quanquam tunc etiam infra modum longè constiterunt, & tantum per pauca quædam attigerunt, cum multò plura & apertiora dicere, diuini verbi & sanctarum literarum permitteret autoritas.



REBVSPVB. ESSE COMMODVM,
ET REGVM SCEPTRIS FIRMANDIS AD-
modum utile, vt que inter ipsos populosq; suos controuersia de
Religione alijsq; rebus grauissimis oboriuntur, propter quas Re-
ges sua dignitate priuandi videntur; a supremo to-
tius Ecclesie Pastore potius decidantur, vt est Catholi-
corum doctrina & iudicium; quàm populari sedi-
tione ac temeraria quorundam fantasia, vt est
hæreticorum voluntas & consuetudo.

CAPVT. VI.

Seditiosa
aduersarij
fraus.



EDITIOSE admodum Libelli hu-
ius famosi author viros Principes
orbisq; Monarchas subinde cõpel-
lat, monetq; quàm ancipiti in statu
ac seruili viuât, dum Romanis Pon-
tificibus fas est Principes pro suo ar-
bitratu erigere atq; deijcere, illisq;
resistendi facultatem populo concedere. Ac oratio et
videri fortasse possit iucunda & plausibilis, si ad eos
Reges fieret qui nec homines curarent nec Deum ve-
rerentur; qui nullis honestis modis, sed tantum efferata
crudelitate & nefarijs fraudibus statum suum sustine-
rent

rent; qui sui tantum temporis, nullam autem posteritatis haberent rationem, quin potius (vti de antiquis quibusdam belluinæ immanitatis hominibus fertur) illud optarent, vt ipsis mortuis, terrarum omnium deflagratio consequeretur. Caterum cum eos Principes alloquatur, quorum sapientia terrarum orbis regitur; quorum sceptrâ, diademata, gladij q̄; ipsi pro Christo & eius sponsa Ecclesia geruntur; quorum gloriosi maiores Apostolicæ Sedis benedictione & perpetuata cum summis eiusdem Pontificibus beneuolentia & consensu, creati primum, & post confirmati fuerunt; ipsi q̄; illorum posterii maiorum vestigijs insistentes etiam nunc feliciter regnant (atq̄; vt regnent diutissime, supplices Deum precamur) hos Principes cum alloquatur, non nisi molestam videri & fastidiosam necesse est hanc quam tanto opere cõtexit narrationem.

Multæ fuerunt illecebræ, multa inuitamenta, quibus nostra memoria Principes ad defectionem a fide Catholica sunt irritati. Ex quibus principale fortassis erat, exemplum finitimorum Principum in hac impietate ipsis præeuntium; nominatim *Henrici 8.* eiusq̄; *filij*, & *filia*, qui non modò se ab Apostolicæ Sedis unitate disiunxerunt, verum etiam infandis legibus Apostolicam & Papalem omnem potestatem in suum diadema incluserunt: templaq̄; monasteria, sacella, & religiosorum domos disturbando, eorum fundos & possessiones, auferendo; simulq̄; Ecclesiarum bona, calices, cruces, aurum & argentum omne conuassando & in suum fiscum redigendo, infinitas opes collegerunt (quod fuit istius Anglicani Pontificatus exordium) præter alia plurima, quibus homines scelerati ad nouandam religionem poterant commoueri. Neq̄; tamē hæc omnia, vel Imperatorem, vel alterutrum ex magnis Europæ Monarchis, vel alium quemcunq̄; Regem sobrium & prudentem inducere potuerunt, vt Ecclesiæ Catholicæ summisq̄; eius pastoribus nun-

Primaria causa religionis temporibus nostris mutanda.

tium remitteret. Intellexere nimirum ex veterum monumentis, omnibusq; post Christum natum probatis historicis, quotquot olim Reges aut Principes Christi vicario directè sese opposuerunt, aut cum eo in fide & Ecclesiastica vnitatem communicare recusarunt, certam vel in seipsis vel in posteris, Dei vindictam sensitse; eorumq; Regna tandem ad Turcarum aliorumue infidelium tyrannorum miserimam seruitutem fuisse deuoluta.

Abfit enim vt paucorum annorum fucata prosperitate secundoq; rerum euentu sapientes orbis moderatores quicquam commoueantur; (quamuis Libelli author vt incautos decipiat, Anglicani Regni felicitatem post hanc ab Ecclesia Apostasiam mirabiliter extollat) quin potius pro sua sapientia magis in longitudinem prospicient, & quem in nobis finem hæc facta nequissima sortientur, & qualia futura sunt iusta Dei iudicia, patienter expectabunt. Nec modò attendent ad vltimam vsq; Henrici 8 (qui peccati radix fuit) progeniem, verùm etiam ad nouam aliam postea successfuluram, si tamen vsq; eò Deus suam erga nos vindictam distulerit; quod nos quidem profusis lachrimis die nocteq; ab eo postulamus, vt tam posteros nostros, quam præsentem etiam Principem, patriæq; statum sua benignitate complectatur; vt iram suam iustissimam ab ipsis simul ac nobis auertat; quò alij Principes populiq; fideles, nostræ ad Ecclesiam Catholicam conuersionis exemplo potius ædificentur, quàm seuerissima in nos Dei vltione in posterum sapere doceantur.

Pontificis
Romani in
reges au-
thoritas.
pa. 36. &
deinceps.

Enimuerò quæ Libelli author inculcat sollicitè, *uultum alicuius Reipub. statum securum esse posse, si pro sua libidine Pontifex Romanus Reges possit deponere, hoc nihil est aliud quàm crepitaculum puerile, vix fatuis terrendis idoneum. Norunt enim viri omnes prudentes, qui vel præsentia tempora considerant, vel præterita recordantur, Romanum Pontificem nullam huiusmodi authori-*

thoritatem sibi vindicare, nullam exercere. Doctiq; omnes theologi fatentur, nullam illi iurisdictionem esse proximam & directam in Principes sæculares, iura Regum, aut Magistratus ciuiles. Ideoq; de illorum Regnis aut actionibus quicquam statuere non potest, nec illorum leges abrogare, vel immutare Regnorum iura, quemadmodum in Episcoporum, prælatorum, & sacerdotum officijs & ministerijs Ecclesiasticis, & vbi videtur facit, & optimo iure facere potest; cum in eos directam habeat plenamq; iurisdictionem. Principum verò actiones & leges non potest ad suum tribunal reuocare, nisi quatenus cum summus sit Christi vicarius ac minister, animas omnium, ipsorū etiam Principum sibi habet commissas, ideoq; inuigilare debet & speculari vtrū eorū regimen iniuriosum sit Christo & detrimentosum religioni veræ; vtrū ipsorum Regū, populiue salutem impediat (quemadmodum de schismate, hæresi, Apostasia, Idolatria certum est, alijsq; crassissimis in regno gubernando erroribus) de quibus, ab eo tanquam ipsorum pastore admonendi sunt sæpenumero, & cum lenitate. hoc si non sufficit, postea sunt excommunicandi; eam censuram si aspernantur, tum demum velut *Ethnici & Publicani sunt habendi*, planeq; indigni qui in populum Dei potestatem vllam obtineant. Math. 18.

Hoc autem non est *Principes pro sua libidine deponere*; Qui Reges sibi a Pontificijs censuris metuant. neq; vlli Christiano Principi maturè rem perpendenti iustam præbet occasionem, vt malè de censuris Pontificijs existimet. Soli hæretici, aut qui Christum a se repellere eiusq; fidem respuere cogitant, non sine causa Ecclesiasticam hanc disciplinam Deiq; vindictam pertimescunt; quam euadere non poterunt, quamuis humanis viribus a pastoris sui quem Christus eis præfecit correctione, ad tempus sese subdixerint. Tantum verò abest vt Catholici pijq; Reges diuinam hac in re ordinationem, perpetuamq; Sedis Apostolicæ praxim

*Pontificis
summa po-
restas, veri-
bus utilis-
ma.*

ac consuetudinem auerferentur, vt contrà ad Regnorum suorum stabilitatem suâq; in Regno posteritatis perpetuitatem nihil esse vtilius nihil fructuosius censeat, quàm se suosq; moderata quadam summi Pastoris reuerentia teneri, in ijs quæ ad fidem moresq; Christianos spectant. Estq; hoc Principibus, præsertim adolescentibus in ætate florenti, sancti cuiusdam retinaculi instar, q̄ toto vitæ decursu eos a varijs flagitijs coerceat, & vt Regnum modestè moderatèq; gerant admoneat, quò simul ipsi populusq; diuturna pace ac tranquillitate fruatur. Quòd si effrenata rerum omnium licentia illis tribueretur, facilè in calamitates innumeras possent incidere, & a subditis deseriri; immo ab eis dignitate omni, siue Ecclesiastica censura accedat siue non accedat, dedecorosè spoliari. Nec vllus est (vt arbitramur) Christianus Princeps qui vel seipsum vel liberos posterosq; suos diutius imperio potiri desiderat, quàm in fide Catholica atq; in Ecclesiæ Sedisq; Apostolicæ communionē perseuerauerit. nemo est qui sibi in Regno aliquem vel sanguine coniunctissimum surrogaret, si probabiliter in hæresim cum lapsurum crederet; quin cum prorsus exhæredaret, suaq; potius manu vitam eriperet, quàm Apostolicæ Sedis de eo censuram vel timeret vel attenderet.

Quamobrem, licet ijs quos suorum scelerum conscientia pungit, grauis admodum & permolesta sit hæc Apostolica auctoritas in Regibus castigandis; ea tamen pios ac legitimos Principes nequaquam sollicitat, cum præsertim pro sua prudentia satis intelligant & experientia aduertant, Principes tam bonos quàm malos, omnium maximè varijs fortunæ casibus esse expositos, & mille modis posse suis Regnis excidere; aliquando populari seditione, aliquando nobilium quibus maximè fidunt cõspiratione, sæpe domesticis bellicis competitorum, sæpe externis incursionibus hostium; quibus incommòdis summa Rom. Pont. auctoritas maximo

maximo leuamento est: dum nascentes de iure titulo-
rum controuersias componit, bellorumq; occasiones
amputat, & studiosissimè ad fœdera, ad îducias, ad paci-
ficationem, pro rerum temporumq; discrimine quib⁹
potest rationibus suadet. Vnde multa sæpe & magna
ad omnes Reges & Respub. Christianas, rebus eorum
afflictissimis manarunt commoda. Quemadmodum
constat ex historicis, Anglorum, Gallorum, & Scoto-
rum varia bella, nostrosq; domi ciuiles tumultus re-
sententibus, vbi Pótificis Romani operâ, acerbissimas
tempestates repentina serenitas sæpenumero conse-
quuta est: cum vtraq; pars Pontif. Romani tanquam
supremi Pastoris & honorarij Christianorum Princi-
pum arbitri sententiæ æquissimæ illarum causarû trãs-
actionem permetteret, quas alioqui nec leges, nec ar-
ma, sine lamentabili Christianorum strage potuissent
decidere. Quin etiam Principes multi imbecilliores,
cum a potentioribus iniustè opprimerentur, ab hac
potestate Apostolica subsidium frequenter impetra-
runt; legitimiq; Reges a seditiosis subditis in miras an-
gustias adducti, ab eadem firmis auxilijs opibusq; sunt
communiti.

Horum omnium exempla varia in historijs passim
occurrunt, nostræ præsertim nationis, in quibus videre
licet, cum intestino *Baronum* (quos vocamus) hoc est
Principum & Nobilium virorum contra Reges suos
bello Anglia flagraret, multos a Pontifice Romano *Anglia.*
legatos missos qui monerent eos vt ab armis desiste-
rent, & concordiæ rationes inirent. Quod cum non
fieret, eos excommunicabat; vnde factum est vt multi
Reges suam potentiam retinuerint, quos aliàs verifi-
mile est populari furore de gradu suo fuisse deturban-
dos. Neq; desunt aliarum gentium exempla plurima,
idq; (ne antiquiora repetamus) nostra hac memoria,
qua duobus præpotentibus Europæ Monarchis opem *Francia.*
bonam attulit, partim militaria præsidia largè suppedi- *Flandria.*

*Commoda
que a su-
premi Pon-
tif. autori-
tate ad om-
nia Regna
promanant.*

tando, partim spirituales gratias illis impartiendo, qui fortiter fideliterq; comprimendis Rebellibus, & confirmandis Regibus operam suam nauarent.

*Pontificalis
authori-
tas Princi-
pibus nō est
inimica.*

Non est sanē Apostolicus ille Episcopus, hostis alicuius Principis aut Principatus: quos nouit a Deo fundatos esse, quemadmodum & ipsius summa potestas ab eodem fonte manauit. Non est inimicus, sed fautor cōmunis, & amantissimus pater omnium Christianorū, inprimis vero Principum. Nō studet eos e suis Regnis expellere, non subditos seditiosē ab eorum obedientia auertere, non eorum intendit spolia & calamitates; ne tum quidem, quando cum infinito animi dolore compellitur (quod rarissimè accidit) pro populo subiecto contra Principem sententiam dicere. Nihil aliud suis omnibus dictis factisq; molitur, quàm vt necessaria disciplina eos errantes ad salutis viam reducat.

Iudicent autem viri omnes prudentes quacunq; ex natione, maiorane Principum sceptris pericula imminuant a legitimis animarum suarum pastoribus, qui diuino spiritu, maturoq; consilio, ac certo ordine, iustaq; autoritate de rebus iudicant; an ab hæreticis & seditiosis hominibus, qui ad res suas aggrediendas, corrupta conscientia, aut potius furore atq; amentia præcipitantur.

Protestantes, doctrina, scriptisq; ac factis suis palā ostendunt, Principes ob tyrānidem falsamue religionem posse dignitate spoliari. Nos itē cum Catholicis omnibus docemus, ob hæresim, aliaq; maxima flagitia posse Principes excommunicari, alijsq; deinceps censuris coerceri. Et tamen immensum est inter utrosq; discrimen: cū Protestantes ad Ministrorum nutum, & subditorum cupiditatem, Principes e suis solijs uelint expellere, eorumq; & mores & religionem, iudicij sui priuata lance librare; quod Catholici tanquam interminatum bellorum & seditionum chaos abominantur. Hoc ergo uelim mihi respondeat egregius Li-
belli

belli huius famosi artifex, qui tam amicè Principes de periculo communefacit, siquidem Pontifex in Reges tantum habeat authoritatis; an non Christiani Principes quos ipsorum ministri prædicant Regnis suis priuari posse, in periculo infinitè maiori versentur, cum huiusmodi potestas ad istos perditos Ministros & faces seditionum deriuatur; nec id modò, sed etiã simul transfertur ad populum inconsideratum & seditiosum, odio Principum plerunq; ardentem, & hac tempestate, varijs etiam hæresibus inquinatum: adeo vt loco vnus charissimi patris innumeros habeant tyrannos sibi impositos, quorum Euangelij primum caput est vt Regum capitibus insidientur.

*Questio
æquissima
Libelli au-
thori propo-
sita.*

Nec enim profecto Romanus Pontifex Scotis in hoc primo euangelij sui flore potestatem fecit vt bello legitimam suam Reginam inuaderent, vt eam in carcerem conijcerent, vt terrore mortis eam ad diademam suum Spurio & Proditori post orbem conditum ingratisimo tradendum compellerent. non eos Pontifex Romanus animauit, vt Regem suum excellenti indole adolescentem, tanquam captiuum custodia arctiori continerent, & nouis subinde rebellionibus toties eum lacefferent, quamuis nec illis propter religionem cur ipsum oppugnarent, nec Romano Pontifici (si causæ æquitatem excipias) aliqua fuerit ratio cur eum defenderet. Nunquid Rom. Pont. tres potentissimos ac Christianissimos Galliæ Reges, eum qui nunc regnat, duosq; ante eum clarissimos eius fratres in magnum persæpe Regni amittendi discrimen adduxit, multasq; ac magnas Regni ciuitates atq; prouincias eis detraxit, immo dum impuberi adhuc essent ætate, Regno penitus omni expoliare conatus est? Moris certè est Rom. Pontif. innocentes protegere, non opprimere, nec teneris eorum annis ad priuatum emolumētum malitiosè abuti. Et quidem tam multa sunt tamq; graua quæ Regibus impendent a seditiosis subditis

*Rebelliones
Protestanti-
in Scotia cõ-
tra Reginã
&*

Regem.

*In Gallia,
contra tres
reges.*

Quam periculosa Regibus subditorum rebellio.

discrimina, vt in nostra etiam Anglia, Patrem fili^o, nepotem auunculus, maritum vxor, atq; vt plurimum nequior ac flagitiosior innocentem probumq; Regno eiecerit. Quamobrem mirari satis non possumus scriptoris huius stuporem & tarditatem, qui tamen in publicis rebus adeo lynceus & oculatus cupit videri, alijsq; etiam Regibus suam venditat perspicacitatem, nullum vt videat periculum Regibus imminere nisi ab authoritate Pontificis Romani; quæ (si verum fateri volumus) singulari Dei prouidentia tum Regibus tum subditis optimum est munimentum, & tanquam firmum propugnaculum, quò ingruentibus turbis vtriq; se recipiant: cum Apostolica huius authoritatis reuerentia innumerabiles subditos a rebellione deterreat, multosq; Reges alioquin per vim eiiciēdos, in suis Regnis conferuet.

Hæreticorum sordibus & seruilis animus.

Protestantes nec vno quidem exemplo ostendere possunt, Regem vllum a Christo nato, Pontificis iudicio exauthoratum, qui non fuerit vel manifestè hæreticus, vel certè vir admodum sceleratus. contra verò seditiosi homines, præsertim hæretici, iniustissimè non nisi bonos sanctosq; Principes e Regnis suis exterminant. Istorum tamen furiosæ amentiaë politicus iste cupit Reges sese seruiliter & abiectè substernere, potius quàm Christi Regno sacerdotioq; honorificè se subiungere, aut in vnitae Ecclesiastica cum ijs conspirare quos Christus & Spiritus sanctus in Ecclesia præpositos constituerunt ad fideles in salutis via dirigendos: qui etiam terrenam hæc pacem & trāquillitatem pro viribus suis semper procurant; quod & ipsis pastoribus maximo est ornamento, & Principibus populisq; maximo est præsidio. Quemadmodum contra nefarij homines qui inter principes & pastores discordias seminant, magis detestandi sunt, magisq; cum natura pugnant, quàm si animam inducerent, vt a corpore capitali odio diffideret, Vt enim in homine, persona tota probè

probè regitur & statum suum optimè tuetur, cum caro non præceps suo fertur impetu, sed se præbet obtemperantem spiritui: non aliter ciuilibus Respub. & ad diurnitatem, & ad securitatem est optimè composita, quando cum Repub. spirituali maximè conspirat, eiq; se moderandam tradit. quæ etiamsi potissimum de spiritualibus laboret, promouet tamen quibuscunq; potest honestis rationibus etiam temporalem Principum & subditorum fælicitatem, quæ ipsis quoq; Ecclesiasticis non minùs quàm reliquis est necessaria, quamq; semper isti maximo labore & contentione contra pacis & otij publicæq; trāquillitatis perturbatores propagare student.

Quamobrem vt Ecclesiæ Dei, præfertim *Sedi Apostolicæ* summi honores, ad honorem *Christi* eiusq; *Apostolorum Principis Petri*, a Christianis omnium nationum Regibus tributi sunt; ita omnium ætatum Pontifices, Regum Christianorum gloriam augere semper pro sua virili elaborarunt; non modò diuinis bonis, quæ tamen eorum prima est & præcipua cura, verùm etiam terrenis opibus & honorib⁹. id quod Christiani omnes populi varijs experimentis didicerunt.

Non erit (opinor) opus Respub. Regesue Catholicos hoc in loco commemorare, qui talia beneficia non dissimulant, & quascunq; Ciuitates vel Prouincias a Sede Apostolica sibi adiudicatas possident, optimo se iure possidere non dubitant. Neq; hic ipse Rhetoricus Libelli author qui prædicat nihil esse periculosius quàm vt Reges in huiusmodi negotijs a Papæ voluntate & arbitrio pendeant, dicere tamen audeat, eas Regnorum partes iniuriosè malaq; conscientia teneri, quas Pontificali sententia tenent. Neq; verò, quanquam plurimum sibi placeat, eam tamen habet artificiosæ orationis vim & ornatum, vt aliquem Regem inducat vel ad vnicum pagum sic acquisitum antiquis dominis restituendum. Sed vt Catholicos Reges mittamus; varijs

Apta similitudo.

*Ditiones
authoritate
Pontificali
possesse.*

Principes & Respub. Protestanticae multa Sedis Apostolicae beneficia in se collocata, multos honores, multa summae dignitatis insignia, imo Regiones & Regna ab eadem Sede accepisse se fateantur necesse est, nisi suam velint non tantum ingratitude, sed etiam insipientiam toti mundo patefacere.

*Imperatoria
Maie-
stas a Pon-
tificis.*

Quid enim? An non Imperatoria maiestas omni dignitati & splendori humano antecellit? An verò vel ipsi *Protestantes Germani* negare possunt hanc amplitudinem a *Romano Pontif.* ad ipsos esse traductam? Nam quòd nonnulli eam populi Rom. electioni tribuendam cauillantur, falsissimum est, & ab omni historicorum fide, ipsaq; ratione alienum. Nunquid vero negare audent penes Pontif. Rom. fuisse, hanc Imperij a Græcis transferendi potestatem? An verò affirmabunt eum qui nunc Imperio præest, omnesq; ipsius antecessores ad *Carolum* vsq; *Magnum*, nullo iure, nulla æquitate, sed vi tantum & oppressione alienum Imperium tenuisse? Atqui hoc illis necesse est dicere, si omnem Pontifici Romano de Regnis Imperijsq; disponendi authoritatem ademerint. Equidem Protestantem neminem qui quidem mentis sit compos, ita dicturum existimo, Germanum præsertim, cuius nationi ea res tam singulari est decori & ornamento. Quamobrem non est profectò cur de insigni hac spiritali authoritate Germanorum natio cõqueratur, quæ ab illa hanc excellentem supremæ Maiestatis altitudinem est consequuta, qua maior & sublimior in rebus humanis non potest desiderari.

*Ordo prin-
cipum Ele-
ctorum a
Pontifice.*

*Magdeb.
cent. 10.
c. 10.*

Deinde ordo Imperatores eligendi, & (quam magnam esse dignitatem omnes fatentur) *Potestas Electoralis* certis Principibus Germaniæ a *Gregorio 5. Pontif.* concessa fuit. Qui Germanus cum esset, suaq; Patriæ eximio aliquo honore ornandæ admodum studiosus (vt *Magdeburgenses* ipsi testantur) illud in eorum gratiam effecit, vt Regis Romanorum electio (qui postquam

quam esset a Rom. Pont. coronatus, *Imperator Augustus* vocaretur) Germanicæ nationis esset propria.

Ex quo facillimum est hæreticis satisfacere (si quidem ratione illis satisfieri poterit) qui superioribus annis ita vehementer stomachati sunt, quòd in priuando *Coloniensi Electore* auctoritatem suam *Pontif. Rom.* interponeret. Quid hoc prodigij est, inquit isti? Electorem Imperialem, a Pontif. Rom. deponi? Prodigium certè, perinde ac si mōtes parturirent, aut cælum ipsum rueret; hominibus præsertim ignaris, qui nec natare nec legere sciūt. Homini vero aliqua ratione imbuto, quomodo videri poterit absurdum, si Pontif. Romanus indignissimum Episcopum, eumq; Apostatam, Episcopatu suo, & (quod ex eo sequitur) Electorali dignitate priuet, qui primò nationi Germanicæ, atq; illi *Sedi Coloniensi*, Electorem atq; Electoralem dignitatem contulit. Proferant nimirum suas rationes, cur Rom. Pontif. quem ipsi non inficiantur satis magnæ fuisse auctoritatis vt dignitatem Electoralem in Germania, & in illa nominatim Sede constitueret, iam non satis retineat auctoritatis vt vnum miserum & impium Electorem ex eadem Sede remoueat.

Illud etiã respondeat si potest Libelli author qui clamat indignum esse facinus quòd erga quosdam Imperatores Pontif. Rom. Ecclesiasticis Cæsuris vsus aliquando fit; Respondeat (inquam) quis in Germaniam primus sublimem illam dignitatem inuexit? Et vtrùm is qui illud iure fecerit, eo post iure caruerit ad alium substituendum, cum locum illum teneret homo perditus, & ea maiestate indignissimus? Illud deniq; respondeat, vtrum nobilis illa Germanorum natio non plura receperit etiã temporalia cōmoda & emolumenta, quàm incōmoda & detrimēta ab hac Pontificali in Reges atq; Imperatores potestate, quam Seditiosus iste Gnato tam fastuosè respuit & aspernatur?

Veniamus ad illud quod ipse Libelli author, nosq;

Absurda hæreticorū cauillatio contra Pontificē, quòd Coloniensē priuaret episcopatu.

Pontificis auctoritas in Principes Electores.

Imperatorem.

*Anglia Se-
di Aposto-
lica pluri-
mum debet.*

2. Tim. 3.

I. Stous.
anno.
1171. in
Hérico 2.
Item Ho-
llinsh.
anno eo-
dem. pa.
420. &
Polidor.
Virgilius
li. 13. hist.
Angliæ.
Hybernia
Regibus
Angliæ a
Pontifice
donata.

Angli optimè nouim⁹, quod patriam nostram attingit
proprius, & exteris quoq; nationibus illius de qua nunc
differimus rei veritatem luce clarius demonstrat. Si
enim quod ipsis commodum est & salutare nosset
Angli, & vt olim, acceptorum beneficiorum gratiam
memoriam præferrent (iam enim belluina hæc hæ-
resis eos ingratos, & affectionis humana expertes, planeq;
efferratos reddidit, vt de huiusmodi sectarijs D. Paulus
ait) agnoscerent profecto ac palam prædicarent, plu-
rimùm se Apostolicæ Sedis esse deuinctos; non modò
propter fidem ipsam Christianam, quæ primùm Bri-
tones prisca huius Regionis incolæ sunt imbuti, nec mo-
dò quia post Angli eiusdem Sedis Apostolicæ studio,
sub Gregorio primo ad eandem fidem sunt conuersi, idq;
indulgentia memorabili, cum illos ad nefaria schisma-
ta relabentes materna nihilominus charitatè Ecclesia
rursus complexa est, & veteri Christianæ religionis
vnitati restituit; nec modò ob multas honorificas præ-
rogatiuas Principibus Prælatiq; nostris collatas, a-
deo vt hac in re (quod bona cum omnium Regum ac
Rerumpub. venia dixerò) nulli Ecclesiæ aut Reipub.
totius orbis Christiani concedamus; non (inquam)
propter hos tantum spirituales honores Apostolicæ
Sedi plurimum sese obligatos cõfiterentur; verùm
etiam propter temporalia beneficia ab eadem Sede
Regibus nostris humanissimè tributa. Siquidem Hy-
berniam liberalitate Adriani 4. vel (vt quidam volunt)
Alexandri. 3. donatam Henrico 2. ante annos circiter
quadringentos Reges nostri obtinuerunt; neq; vllum
obtendere poterunt ius aliud præter hanc donatio-
nem Sedis Apostolicæ. Et tamen ius hoc firmum ra-
tumq; etiam hodierno die Protestates nostri æstimat.
& Henricus 8. Angliæ Rex cum ab Ecclesia miserè di-
scederet, & ex mēbro caput se Ecclesiæ in suo Regno
constitueret, hoc solo iure & concessione subnixus, ad
maiora deinde progressus est, proq; noua Pontificatū
quam

quam ipse sibi assumpserat autoritate, ex *Hyberniæ Domino* (sic enim in primo Pontificis diplomate vocabatur) *Hyberniæ* se *Regem* effecit & vocavit; quam amplio rem appellationem arbitramur postea fuisse a Pontif. Roman. Reginae Mariae cōcessam & confirmatam. Adeo semper Regum nostrorū, & nominis splendore & largiore ditone amplificandorum studiosa fuit Sedes Apostolica. Quas omnes dignitates atq; commoda Pontificali licet benignitate tantum, aut certe potissimum accepta, nemo Regum Angliæ cuiuscunq; fuit religionis, hactenus reiecit vnquam, aut vllis conscientiae scrupulis impeditus est, quò minùs semel sic acquisita, perpetuò deinceps seruanda statueret; quanquam ingratis hominibus molestum est beneficicia huiuscemodi agnoscere.

Neq; tantum Regna hoc modo comparata sine vllis conscientiae angoribus Christiani Principes retinent, verum etiam alios honorum titulos Maioribus suis quibuscunq; de causis donatos, vt videre est in maximis quibusq; Christiani orbis Monarchis, quibus propter heroicis virtutes, & insignia in Ecclesiam Catholicam merita, & præclarum aduersus hæreticos aliosq; infideles zelum, Romanus Pontifex gloriosissima honorum attributa assignauit. Sic in *Hispania* Reges vocantur *Catholici*; in *Gallia*, *Christianissimi*; aliiq; alijs id genus nominibus. In Anglia nostri se scribunt *Defensores fidei*; quod certè nomen antecedentibus illis non minùs est illustre, quodq; concessum fuisse *Henrico 8.* Angliæ Regi a *Leone 10.* ipsi Protestantes norūt, quia Catholicam Romanamq; fidē a dito libro valde bono (cuius adhuc autographum, ipsius Regis manu descriptum extat) aduersus impurum illum hæresiarum Lutherum defenderat. Quamuis autem huius appellationis causa iam planè inuersa sit, eaq; Pontif. auctoritas in Anglia & a Patre qui primus honore illo affectus est, & deinceps a filio eius *Edouardo*, & nunc

Christiani Principes omnes a Pontif. Rom. honoris titulos libere accipiunt & retinent.

Defensores fidei.

a filia, ad quos honor ille hæreditario iure transijt gra-
uissimè oppugnetur: istorum tamen nullus nomen il-
lud deseruit, nec vnà cum Pontificatu Romano reie-
cit, nec in suorum titulorum enumeratione omittit,
quin potius magna suppliciorum acerbitate vindicat,
si quis eam Principi detrahere molitur: quod nos sanè
non improbamus. Est enim instar sempiterni cuiusdã
monumenti, quod in eorum auribus oculisq; memo-
riam renouat eius Ecclesiæ *fideiq;* quam tenentur *De-*
fendere: & quàm peruersè gladium dstringant contra
eius *fidei* professores, cuius ipsi quotidianis sermoni-
bus & scriptis se vocant *Defensores*.

*Peculiaris
beneficia a
Pontif. ac-
cepta.*

His etiam licet adjicere innumera eaq; amplissima
beneficia, quæ in nationem nostram *Gregorius 13.* san-
ctissimus Pontif. incredibili liberalitate profudit, in
qua omnes antecessores suos longo post se interuallo
reliquit, præter vnum *Gregorium primum* Apostolum
nostrum. Ad cuius diuinas virtutes eximiamq; in nos
charitatem exprimendam mirabili studio hic vnus pro-
ximè accedit, non modò in totius patriæ miserabiliter
iam ab hæreticis corruptæ salute procuranda, verum
etiam in maxima propeq; innumerabili hominum
omnis ætatis conditionis ac sexus multitudine piè sub-
leuanda, qui crudelissimæ persecutionis tempestate
iactati in varias Catholicorum prouincias se recipere,
patriamq; ipsam & quicquid erat charissimum dere-
linquere sunt coacti, vt eam nimirum fidem discant
quam maiores sui cum reliquo orbe Christiano tam
laudabiliter in vita & in morte sunt professi. Ob quæ
benefacta, felicissimum ipsius nomen non aliter quàm
Gregorij primi, immortalis memoria prosequentur An-
gli: fremant licet & rumpantur isti ingratiissimi hæreti-
ci, quorum infidelitati eum pestem & perniciem alla-
tuum nequaquam dubitamus.

Atq; de *Gregorio primo*, quàm singulari charitate sa-
lutem animarum nostrarum complexus sit, præter alia
hoc

hoc habemus egregium exemplum; quòd cum quottannis magnam pecuniæ vim ex Gallia reciperet, & pueros Anglos permultos ibi vanales esse more mancipiorum intelligeret, eosq; absq; Baptismi sacramento in miserrima corporis animiq; seruitute viuere; tantæ calamitatis misertus Pontifex, presertim verò quòd hanc nationem suis laboribus Christo nuper acquisiuerat; ad procuratorem suum qui Ecclesiæ Romanæ in Gallia patrimonio, & huiusmodi pecuniarijs rationibus præfuit, scripsit, ne communi permutatione pecuniam Gallicanam transmitteret Romam, sed illic potius in pios vsus expenderet; potissimum vt redimeret e seruitute pueros Anglicanos, eosq; in Italiam turmatim deduci curaret comitatos religiosis presbyteris qui eos moderarentur, & in fide instituerent, & statim baptisarent si qui in morbos periculosiores incidèrent. Sicq; non in Anglia tantum gentis nostræ salutimodis omnibus studiosè consuluit, missis ad Euangelium in illa insula prædicandum viris doctissimis vnà cum *D. Augustino* eorum ductore & Principe, nostroq; Apostolo; verum etiam in peregrinis quoq; nationibus maximos sumptus fecit ad sanctiorem iuuentutis nostræ educationem. Ita nimirum optimus hic Pontif. & clarissimus Doctor elaborauit vt patriam nostram a Paganismo ad fidem Christi traduceret: & Deo fauente quod voluit effecit; proptereaq; gratiam & gloriam immortalem cum in celo tum in terra est promeritus. Nec minora profecto sunt *Gregorij* 1 & 3 stadia in eadem gente ab hæresi ad Catholicam religionem reuocanda. Nam & in exteris prouincijs nostræ gentis plurimos suis sumptibus educandos curat in sancta disciplina eademq; fide quam ipsius antecessor *Gregori^{us} primus* maiores nostros docuerat; & plurimos idoneos viros Dei Zelo accensos ac spirituali potestate præditos, pacatè, humiliter, & more prorsus Apostolico in patriam remittit, vt populares suos ab hæreticis

*Gregorij
primi
vitas
Anglos.*

*Grego. 11.
s. epist.
19.*

*Gregorij
1 & 3*

deceptos ad veritatem informant, eosq; sacerdotali ministerio, Catholicæ Dei Ecclesiæ (extra quâ certissimū est eos in æternū perituros) reconcilient: non autem vt bella suscitent, aut seditionum semina spargant, quod nefarius huius libelli author non minū falsō quàm impudenter asserit.

Sacerdotalis in Anglia laboris fructus.

Quo in munere quia multo fructuosius sacerdotes versati sunt, Christo eorum conatibus foeliciter aspirante, ad maiorem fidei Catholicæ dilatationem, grauiusq; huius monstrosæ sectæ instar hydræ nouas quotidie hæreses parturientis, detrimentum, quàm ipsi Protestantes initio suspicabantur; idcirco iam callidè & veteratoriè sanctissimis tum summi Pastoris conatibus, tum etiam optimis bonorum sacerdotum officiis, nomina læsæ Maiestatis & doctrinæ proditoricæ contra statum suum obdlexerunt. Sollicitèq; aliorum Principum & populorum animis imprimere satagunt (eorum saltem qui non sunt versati in historiis Ecclesiasticis, nec considerant primos Saluatoris nostri Apostolos vel *Petrum Romæ*, vel *Paulum Cretæ & Corinthi*, aliosq; deinceps primitiuæ Ecclesiæ patres cum Pagani Reges longè latèq; dominarentur, nullo alio modo ciuitates & prouincias fidei Christi subiugasse, quàm quo fratres nostri ad Angliam eidem fidei recuperandam sanctè pieq; contendunt) conciones nostras, exhortationes, preces, sacrificia, absolutiones, recõciliationes, Rosariorum, imaginum sacrarum, ipsius etiam Christi crucis vsum, aliaq; huiusmodi, expressa esse seditionis & rebellionis signa; nec aliud quicquid cõtinere, quàm proditionē, & cõtra Reginā Regniq; statū manifestā coniurationem. Imò verò (quod est incredibile dictū) ita contra pietatē obduruerunt, & humanitatem omnem exuerunt, vt popularibus suis aliisq; etiam nationibus suggerere non vereantur, supremum nostrum Pastorem, quem optimum Governatorem Ecclesiæ hac turbulenta tempestate a Deo datum Christiani omnes

Mira Anglia in Roma. Pontif. malitia & ingratitude.

omnes suspiciunt & admirantur, hac tantum de causa *Seminaria* duo, aliaq; eruditionis sanctæq; disciplinæ subsidia Anglis instituisse, vt *Seminaria* essent bellorum, & flabella seditionum; ideoq; tam longè absunt a reddenda gratiarum actione (quam Anglia nostra si vnquam ad sanam mentem redierit, reddet vti speramus cumulatè) vt & ipsum Pontificem Pontificisq; munus ob hanc in primis rationem capitali persequatur odio; & in hoc libello calumniator iste illud beneficium, certum esse argumentum hostilis erga reginæ animi vaticinatur.

Cæterum væ peccatis nostris; & ô Angliam ter & amplius miserabilem, cuius ciuilis status cum hæresi tam arctè est vinctus & conglutinator, vt neq; Christi vicarius charitate maxima ac disciplina, neq; sacerdos Dei quibuscunq; vitæ ac mortis suæ officiis, vlla sanandæ hæresi possint adhibere remedia, quin mox Reipub. hostes & maiestatis læsæ rei censeantur. Quæ stolidissima malitia multò in Anglia nostra magis eminet, quàm in alia totius orbis Prouincia quacunq;, licet ea hæresibus non minùs quàm nostra sit inquinata. Est quidem Gregorii 13. hæc gloria propria & singularis, qua Antecessores suos aliosq; cuiusuis ætatis Episcopos longè superat, quòd tam suauiter, & tam Apostolica cum mansuetudine, innumerabiles adolentes in fide Catholica Christianisq; moribus curat educandos, ad suam ipsorum salutem, patriæq; in qua nati sunt beneficium, Catholicæq; fidei in præcipuis totius orbis prouinciis conseruationem. Infinitus prope modum est eorum numerus, in Oriente præsertim, ac Septentrione, & Meridie, qui non minùs quàm Angli, schisma, hæresim, erroresq; varios imbibèrunt; quibus omnibus generalis hic pastor & pater, incredibili cura ac sollicitudine ita prouidet, vt eorum tum animis tum corporibus opem quacunq; potest ratione afferat. Illius sapientia fit, vt hodierna die *Constantinopoli*

*Pia & zel
lo plena
Gregorij
13. actio-
nes pro reli-
gione.*

Societas Ie-
s v Consta-
tinopoli, &
hi alijs re-
moris anis
prouincijs;

& Alexandria versentur patres quidam ex Societate Iesv,
alijsq; in locis vbiq; salutis animarum spes aliqua
in Imperio Turcico affulget. Eademq; Societas in Mo-
scouiam penetrauit, aliasq; Prouincias Græcorum er-
roribus infectas. Idem Pontifex Seminaria Armenijs,
Græcis, Sclauonijs exædificauit. Collocauit in Suetia, Li-
thonia, Polonia, Bohemia, Transylvania, Societatis eiusdem
collegia & Seminaria. Quin & Scotis eadem pietate
modoq; auxiliatus est; præsertim vero nobilissimæ Ger-
manorum Prouinciæ a Lutherana peste multis in locis
vastatæ. Quid, quod ad Orientalem quoq; Indiam Pasto-
ralis eius sollicitudo se porrexit; vbi in Iaponia, supe-
riori antio magnis sumptibus præclarum collegium
fundauit, & omnibus rebus necessarijs abundanter in-
struxit. Hæc sunt Gregorianæ pietatis pro Ecclesia
Christi toto terrarum orbe excitata monumenta; dum
interim ipsius & sanctæ Ecclesiæ hostes miserrimi, vi-
tam suam consumunt turpiter, in iurgijs & rixis, & fu-
riosis contra veritatem contentionibus.

Collegium
Societatis in
Iaponia;

Aliæ na-
tiones licet
hæreticæ;
min. is sunt
quàm An-
glia Ingræ-
tæ.

Neq; verò vlla est sub sole natio cuiusq; tandem
sectæ addicta, quæ hæc adeo piè & religiosè facta, tam
improbè ac malitiosè interpretatur quàm nostra An-
glia; aut quæ cogitat istas prodiones, conspirationes,
& depopulationes, quas nostri dies noctesq; pertimes-
cunt, vel saltem pertimescere præ se ferunt. Germani
quidem (verbi gratia) etsi non omnes Catholici sunt,
sed permulti (dū ebrioso Martino alijsq; insanis secta-
rijs leuiter credunt) ab Ecclesia Catholica alienati; ta-
men & vrile & gloriosum suæ nationi existimant illud
tam celebre Germanorum in vrbe Romana collegiū.
Vt & nostri quondam Angli multum in eo gloriaban-
tur, quod nobilem ibi Scholam ab offa Rege ante an-
nos circiter mille extructam haberent, quæ post in Xe-
nodochium mutata est. Immo (vt in hoc hæreticorum
nostrorum impietatem tam domi quàm foris, Turcis
vel Paganis detestabiliorem Christiani omnes notent
& ex-

& exhorrescant) cū hoc ipso anno Constantinopolim appulisset *Patres Societatis*, & a Christianissimi Galliciarum Regis Legato æternis laudibus digno commēdati, ei⁹ potissimum opera a Turcico Imperatore & securitatem impetrassent, & commodum * habitādi locum dono accepissent; Angliæ Reginæ apud Turcas procurator contrarium suadere vehementer conatus est, & omnes nervos contendit, vt Imperator eos tanquam homines seditiosos & statui suo perniciosos quāprimū expelleret. Ita nulli in orbe populi vel *Græci*, vel *Armeni*, vel *Sclauonij*, vel *Suetij*, vel *Moscouita* vel etiā *Turca* & *Pagani* has de optimo Pontifice formidines cōcipiunt, quas nostrates Angli comminiscuntur; tantum abest vt ferro, vt carceribus, vt tormentis, vt omnibus suppliciorū exquisita varietate propterea in homines pios & innocentes sæuiant. Qualem tibi a Deo vltionem impendere necesse est infelix Anglia, quam hæc fera & agrestis hæresis adeo degenerē effecit, vt neq; honoris tui apud homines, neq; salutis apud Deum, rationem vllam habeas; vt leuiter contempnas & malitiosē condemnes munus hoc Pontificale, quo nulla vquam ætate quicquam tibi apud exteros honorificentius collatum est; vt eum qui hoc tibi donauit Christi vicarium non odio hostili, non Vatiniano, sed prorsus diabolico persequaris; vt Christi ipsius prædicationem in alijs nationibus impediās, vt in fide Catholica omnium temporū extirpanda hostis sis pertinacior, quàm ipsi Pagani qui Mahometi nomina dederunt, nec vquam Christianis sacris fuerunt instituti.

Atq; hic etiam hæretici nostri ignorantiam suam longè maximam produnt, dum *Seminarij* vocabulum risu & scommatis excipiunt; perinde ac si seipfos ab omni non solum communionē, sed etiam cognitionē orbis Christiani præcidissent, in quo vox hæc vulgari omnium sermone iam trita est: præsertim verò post pium illud Concilij Tridentini decretum, quo *Semina-*

Monsieur d'Hermuni.

Religioni Catholica Angli hostes infestiores quā

*Turca * PERAE.*

Nomen Seminarj.

Bulle. *ria* huiusmodi educandis viris Ecclesiasticis erigenda esse statuitur. Neq; minùs se ridiculos præbent, cum tanquam faceti sanniones in hoc Libello de *Bulle* nomine cauillantur, *Bulle*q; Pontificias cum ijs conferunt bullis, quæ repente in pluuiialibus aquis enascuntur & euanescunt. Ab huiusmodi nimirum Reuerendis theologis hoc nouo Euangelio dignissimis, Ecclesia Christi iam oppugnatur. Verùm de *Societate I E S V*, ac *Seminarijs*, mittèdisq; in Angliã Sacerdotibus, nõ est quòd hoc loco plura adijciam. Quicumq; enim sunt eius vocationis & ordinis, ætatem habent vt pro se ipsi respondeant. Estq; hoc in illa quam ædiderunt *Apologia* abundè pertractatum, cui libro aduersarij nõquam honestè & probabiliter sunt responsuri. Quare de his satis; nunc quæ sequuntur expediemus.

*Apologia
Seminario-
rum.*



DE POSTREMIS IN HYBERNIA
 BELLIS PROPTER RELIGIONEM SVSCE-
 ptis; & quomodo Papa iuste poterit uti gladio; & quod con-
 tentiones inter ipsum & alios Reges aliquando suborta,
 & obedientia ab istis negata, vel etiam vis illata ad
 defensionem suarum rerum temporalium, nihil iu-
 vent causam Protestantium, ut eius in rebus
 spiritualibus fidei & religionis censuras
 contemnant & auctoritatem
 aspernentur.

CAPVT. VII.



Quicquid autem aduersarius quic-
 quid a Pontifice suis illis Bullis,
 Excommunicationib⁹, Semina-
 rijs instituendis, alijsq; id genus
 spiritualibus officijs gestum est,
 contemni facile ac negligi po-
 tuisse: atq; ita fecisse Reginam
 Angliæ, quæ omnes Pontificis

contra ipsam conatus aspernata est, quamdiu is in Ca-
 thedra sua quietum se continuit. Sed cum iracundia in-
 census Cathedram reliquit, & contra *D. Bernardi* confi-
 siliū *Eugenio* datum (vt Libelli author prædicat) pro-
 verbo, ferrum arripuit; cumq; contra scripturas sacras
 gladium strinxit, quem in vaginam recondere Petro
 Christus præcepit, armisq; suis Hyberniã inuasit; aliud
 certè a Regina expectandum non erat (inquit iste vir
 bonus) quàm vt illatam sibi vim vi similiter repelle-
 ret, & periculum tam manifestum bello propulsaret.

*Iustitia
 Britannica.
 pa. 57.*

August.
contra ad-
uers. leg. &
prophet. li.
I. ca. 17.

Quod nobis sanè mirum non videtur, quandoqui-
dem spiritualem excōmunicationis virgam, omnesq;
Ecclesiasticas Censuras iam ante contempserat,
quæ summi Sacerdotis Ecclesiæq; propria sunt ar-
ma, & vt B. scribit Augustinus, grauiora certè magisq;
pertimescenda fidelibus, quàm si gladio ferirentur, si flam-
mis absumerentur, si feris subijcerentur, estq; hoc suppli-
cium adeo formidabile, vt etiam cum iniuste alicui in-
fertur, minimè sit negligendum. Quamobrem cum has
pœnas sperneret, quid mirum si bellicam impressionè
Pontificis aut alterius cuiuscunq; non multùm verere-
tur?

Iustitia
Britannica.

Atquè hoc tamen terrarum orbis iure admiretur, &
est certe obstupendum, quo modo exiguum illud Ro-
mani Pontificis in Hybernia supplementum tot sacer-
dotes innocentissimos aliosq; Catholicos ad mortem
damnare potuit, qui nec Hyberniam viderūt aliquan-
do, neq; rerum Hybernicarum, neq; Pontificij vel iu-
ris, vel voluntatis, in Anglia aut Hybernia fuerūt con-
scij. Producite enim si potestis vel vnum aliquod ver-
bulum, vel literam, vel idoneum testem, quo probetis
ex istis omnibus quos proximis his annis trucidastis,
vnum siue ex Societate, siue ex Seminarijs, siue omnino
sacerdotem aliquem, istarum rerum vel authorem, vel
suasorem, vel deniq; participem fuisse. Sic enim ali-
quam fortassis defensionis vmbra habeatis vestra
iusticia Britannica prætexendam. Vel illud (si liber) pro-
bate, Summum Pontificem sua de hoc negotio confi-
lia, quæcunq; tandem fuerint, cum illorum vel vno ali-
quo communicasse, & iusticiam vestram Britannicam
perfectam esse & numeris omnibus absolutam confi-
tebimur. Quid enim si Pius 5. Nicolaum Mortonum
de excommunicatione acturum, sedecim ab hinc an-
nis in Angliam misit; nunquid ex eo efficitur Sacerdo-
tes omnes aut Iesuitas qui sedecim annis post in Anglia
inueniuntur proditores patriæ esse censendos? Si

Pontificis
acta Ro-
mae, nō sunt
causa iusta
tur sacer-
dotes inter-
ficiantur in
Anglia.

D. Morto-
nis.

sande-

Sanderus vel priuato zelo motus, vel causa, sua opinio-
 ne, iustissima fretus, vel etiam a summo Pontifice mis-
 sus, bellis Hybernicis contra Protestantes pro fidei de-
 fensione interfuit, an vos propterea legibus vestris, aut
 iure vlllo diuino humanoue plurimos morti addicere
 potestis, qui nec virum illum nec actionem vel a limi-
 ne vnquam salutauerint? Fieri quidem potest vt Póti-
 fici non iniuriã succenscatis; neq; deerunt fortasse le-
 ges quibus vtrunq; Doctore afficiatis supplicio, quo-
 rum neuter vel ex *Societate* vel ex alterutro *Seminario*
 fuerat. Verum hanc ob causam Sacerdotes omnes atq;
 Catholicos tam domi quàm foris, læsæ Maiestatis ar-
 guere, nimis est a ratione alienum. Vnius autẽ ob cul-
 pam alterum crudeliter trucidare, turpissima est ini-
 quitas & iniustitia non ferenda.

Quòd verò ad summi Pontificis in Hybernia cau-
 sam attinet, eam nos quidem neq; volumus neq; de-
 bemus vel comprobare vel improbare: quippe qui
 nec propter prudentiam rerumq; vsum digni sumus
 quibuscum sua ille consilia communicet, nec tam præ-
 clare de nobis ipsis existimamus vt eius consilia & in-
 tentiones velimus perscrutari. Illud certè constat, te-
 nentes illas copias ad Hyberniã missas, vel potius suo
 ipsorum periculo illuc contendere permissas, Catho-
 licorum grauissimè afflictorum, ac Principum quorun-
 dam virorum importunis precibus in eas oras perue-
 nisse; quorum continuis querelis, & miseris notissi-
 mis, variisq; tum animæ tum corporis angustiis planè
 intolerandis ad miserationem fortasse commotus Pó-
 pffex, illud concessit in causa religionis (causa iudicio
 suo longè æquissima) aduersus eam quam a suo Ante-
 cessore legitimè meritoq; Regni iure priuatam esse
 censuit, & cum qua nullum aliquando fædus inierat,
 quod & alij Principes, & ipsa Regina potissimum, fi-
 nitimis sæpenumero faciunt (quibuscum tamen ami-
 citiæ vinculis & pacis fæderibus arctissimè sunt con-

D. Sanderus.

*Bellum Hy-
 bernicum.*

iuncti) in causis multo leuioribus; cum nimirum vel populi calamitas, vel lucri sperati probabilitas, vel sua Regniq; sui priuata commoditas eos ad bellum fouendum incitauerit.

Et mirari sanè quis posset homines istos tanto stomacho in summum Sacerdotem & Ecclesiæ Christi pastorem perbacchantes, eò quòd consenserit armis oppugnare principem si nulla fortassis ei ratione subiectam, at certè nulla ratione superiorem; cum sectarum suarum ministri & magistri apud Belgas & Scotos aliosq; populos, non modò subditis consulant ut aduersus legitimos suos Reges sacrifq; ceremoniis inuictos bellum gerant, sed ipsi etiam per se omnia contra eos hostilia moliuntur, immo in Scotia contra Principem eiusdem cum ipsis religionis & fidei.

Scotia Mini-
stri rebel-
lionum ca-
pita.

Quis enim ignorat Scotorum Ministros præcipuos fuisse operarios & architectos illius occultæ cõspirationis, & post apertæ rebellionis quæ nuper in Scotia erupit contra ipsum nobilissimum Regem & vniuersum patriæ statum. Annon in ciuitate *Sterlingi*, Ministri primùm consilio suo affuerunt, & in acie posita contra Regiam maiestatem steterunt cum Comitibus *Angustia & Marra*, aliisq; eiusdem factionis rebellibus? An non omnes eorum perniciosissimas aduersus patriam Regisq; ipsius caput, coniurationes, *Carnes Gourianus* palam confessus est, paulò priùs quàm eiusdem sceleris pœnas morte sua lueret? An non *Patricius Gallowains* in vrbe S. Ioannis, Minister; & *Andreas Pollardus* subdiaconus Glascuensis, *Jacobus Carnichel* minister Haddingtoniæ, *Andreas Haius* Rector Ecclesiæ Renfroensis, *Andreas Melisinus* theologiæ in Academia S. Andreæ professor, alijq; ministri primarij propter huius infandæ perduellionis communionem in Angliam confugerunt, vbi lautè accepti in summo otio & securitate viuunt?

Atq; ex eo tempore cum in publicis Regni Comitijs

tis nuper habitis, præfente Rege, ac tribus Regni ordinibus leges fancirentur, quibus tumultuosa Ministrorum autoritas coerceretur, ministriq; ipsi sui quisq; Episcopi iurisdictioni subiiciebantur (id quod & Dei verbo maxime conuenit, & non modo in Anglia ab ipsorum fratribus Sectariis vsu receptum est, verum etiam toto terrarum orbe, si vnica illam exlegem atq; seditiosam Geneuam excipias) huiusmodi leges cum omnium consensu probarentur, atq; in foro publico *Edinburgi*, quæ est Primaria Regni ciuitas, a speciali Regio promulgarentur, an non impudentissimi duo ciuitatis illius ministri *Robertus Pontus & Gualterus Bacanquellus* à *Iacobo Lawsonio* præcipuo Ciuitatis concionatore (vt paulò post res ipsa docuit) ad flammam seditionis accendendam irritati, authoritati Regiæ publicè restiterunt, & multa contra eum protestati sunt, eamq; protestationem in monumenta publica a *Georgio* ciuitatis notario referri voluerunt? Tresq; isti ministri an non post funestum hoc exemplum incredibilis arrogantia contra Regem ipsum in illustrissima totius Scotiæ ciuitate æditum, mox in Angliam sentinam omnium proditorum & sacrilegorum profugientes, illic a sui similibus perhumaniter sunt accepti, vt rursus nouas in patria seditionis tædas accenderet?

Rursus in prioribus Regni Comitibus quæ ante annos circiter duos habita sunt, an non Ministri summa cum impudentia perinsolenter efflagitarunt (spe magna alicuius rebellionis mox sequuturæ inflati) vt in Parlamentum ipsi admitterentur tanquam Episcopis pares vel etiam superiores? quos quidem Episcopos diuina lege affirmant Ministris nequaquam præstare? An nõ hic vnus est ex articulis illis præter quos ipsorum *Archiepiscopus S. Andrea* ita studiosè Ministros eos frangere & domare laborat? qui & in Angliam peregrinatus est, vt eius Ecclesiæ Sectarios de hac quaestione consuleret? An non alter illorum articulus est, ma-

Edinburgi 19. Maij. anno. 1584.

Intolerabilis ministrorum Scotiarum insolentia.

Schisma in Ecclesia Scotica, vtrum ministri sint pares episcopis.

*Papatus
Scoticus
Ministorū.*

nifestam esse hæresim, si quis Rex aut Princeps sese *Ca-*
put Ecclesie in suo Regno appellet; posseq; Regem a
suis Ministris excommunicari, imò & a Regali solio
deici? An non Archiepiscopum illi suum Glascuen-
sem, *Robertum Montgomerium* a Rege electum excom-
municarunt; totumq; biennium aut eò ampliùs per-
viam a Sede sua excluderunt, donec nouissimis his co-
mitiis, parlamenti authoritate absolutus est, suaq; di-
gnitati restitutus?

Multa quidem vos contra Pontificem Rom. pri-
mum licet principemq; vestra etiam confessione Chri-
stiani orbis Episcopum vociferamini, quòd suum ille
consensum præbuerit, vt vel Religionis, vel alia quauis
iustissima (vt illi videbatur) causa, quicquam aduersus
legitimum Principem vi atq; armis gereretur. Sed il-
lud velim expendatis, vestri Ministri quid essent moli-
turi, si parem cum Pótifice authoritatem potentiamq;
haberent, similemq; aduersus contrariæ religionis
principes iusticiæ exequenda speciem possent obtin-
dere, cum in certissima rebellionē, atq; in causa homi-
num scelestissimorum ita se gerant aduersus Regem
suum legitimum, eiusdem cum ipsis patriæ, sanguinis,
educationis, & religionis; quos ille nulla vnquam in-
iuria læsit, sed maximis beneficiis (si quis esset in eis
humanitatis sensus) ad omnem fidelitatem sibi præ-
standam arctissimè deuinxit.

*Anglia a-
liorū Prin-
cipū rebelli-
bus opem
submini-
strat.*

Quid verò? num Anglia vt nuper Scotis rebellibus,
ita etiam in Belgio & Gallia subditis aduersus legiti-
mos Principes nullam opem tulit? nullum adiumen-
tum subministrauit? An non infesta Anglorū signa in
veterum amicorum & fæderatorum manibus defixa
sunt? An non eorum vrbes hostiliter occuparunt? An
non seditiosos in omnibus circumcirca prouinciis, &
pecuniis, & armis, & comeatu, & militaribus copiis
iuuarunt? An non variis in Parlamenti, maximè verò
duobus, quorum alterum quinto huius Reginæ anno,

alte

alterum 13 coactum est, quæ etiam publice impressa Anno. 1563. & per manus omnium peruagantur, palam testati sunt 1571. in actis Par. anno. 5. c. 29. 30. & anno. 13. c. 23.

ordines Regni, se duo maxima subsidia pecuniaria idcirco fuisse largitos, vt compensarent aliqua ex parte *inestimabiles sumptus* (sic enim loquuntur) quos Regina copiosè effuderat ad Rebelles Gallos & Scotos (quos illic vocant fratres suos charissimos) contra legitimos Principes Regem Gallia & Reginam Scotiæ corroborandos? An non inter istos Machiaueli discipulos axioma est vsu iam tritum, finitimorum Regionū bellis ac tumultibus suam quietem pacemq; esse continuandam? Hoc cum ipsi, alijq; tam crebrò faciant, & a multis nõ admodum improbetur, modò faciat ad Reipub. statum vel conseruandum vel propagandum; adeone criminofum erit Pontifici Romano, si hoc ille semel tentauerit propter veram Christi religionẽ, quod sæculares Principes, & ipsi inprimis Angli continenter admittunt ob reculas ponderis infinitè minoris? Et quidem si quid nostra in hoc negotio coniectura valeat, eò fortasse Pontifex facilius inductus est vt Hybernis auxilium ferret, quòd peruetustum Apostolica Sedes in eam insulam ius sibi vendicet, idq; longè antequam pacta ea inter *Ioannem Regem & Pontificem Innocentium* confecta sunt. Quos titulos quocunq; modo *vide supra. pa. 141.* acquisitos, Principes temerè dimittere non solent. *Gregori⁹. 13.*

Quamquam de hoc Pontifice (cui Christus vitam perdiuturnam largiatur) illud certò affirmare possumus, eum sic affectum esse, vt vtramq; insulam Catholicam videre malit, quàm vniuersi orbis imperio potiri. Tam immane est illius erga nationem nostram odium, tam grauis & interminata malitia.

At *verbo* illi non ferro vtendum est (inquit Libelli *D. Bernardi sententia* author) vt *S. Bernardus Eugenium* monet. Recte. Sãcti igitur Bernardi arbitrio rem cõmittamus; & quò facilius *vtrum Pontifex possit vii gladio.* rum quæstionis veritas, tum etiã scriptoris huius fraus perspiciatur, integram *D. Bernardi sententiam* descri-

Bernard.
ad Eu-
gen. li. 4.
ca. 3.

bemus, additis etiam scripturis quibus ille veritatem hanc confirmat. Propter hoc (inquit D. Bernardus) *magis aggredere eos, sed verbo non ferro, quid tu denuo usurpare gladium tentas, quem iussus es ponere in vaginam? quem tamen qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum domini dicentis, Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipse, tuo forsitan nutu, etsi non tua manu euaginandus. Alioqui si nullo modo ad te pertineret & is, dicentibus Apostolis Ecce duo gladij hic, non respondisset dominus, satis est, sed nimis est. Vterq; ergo Ecclesia, & spiritualis scilicet gladius & materialis. Sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exercendus: ille Sacerdotis, is militis manu, sed sanè ad nutum Sacerdotis, & iussu Imperatoris. Haec enim D. Bernardus, eo ipso quem citat Aduersarius loco.*

Quemad-
modum
vterq; gla-
dius ad Pö-
tifficè perti-
neat.

Quare licet plerunq; non deceat Sacerdotes, qui pacis authores populis Principibusq; esse debent, bella gerere; vel suas saltem manus sanguine commaculare; neq; sine grauissima causa ad comprimendos reos armis militaribus vti: ex his tamen perspicuum est, & ad eorum defensionem bella posse suscipi, & ad eorum consilium & suasionem prorsus esse suscipienda.

Corporalis
castigatio
Apostolis
ac eorū suc-
cessoribus
minimè in-
terdicta.

Illud etiam addimus, quamuis Dominus illa de gladio in vaginam recondendo metaphora, Apostolos suos docuerit mansuetudinem Euangelicam; formamq; gregis regendi multò leniorem illis præscripsit quam qua Ethnici alijq; Principes suos subditos coercent; non tamen omni corporali castigatione Ecclesiæ suæ prorsus interdixit. Id quod ipsius B. Petri exemplo docemur, qui post hanc interdictionem, non verbo tantum corripuit, verum etiã corporali morte Ananiã ac Saphiram mulcetauit. Quod vt ille miraculo rectè facere potuit, non obstante Domini præcepto de gladio reponendo in vaginam: sic idem, non prohibet D. Petri successores quin illud ipsum ordinaria iustitia pererunt efficere. Hoc autem nos exemplo eo libentius vti

Aët. 5.

tur quòd ad eandem rem probádá a D. quoq; Bernardo vsurpetur, cum ait, *Qui locum Petri tenet, potest vno ictu extinguere Ananiam, vno Simonem Magum.* Ac præcedente epístola Eugenium alloquens ait, *Ad hoc enim constitutus es super Gentes & Regna, vt euellas & destruas & dissipes & plantes.* Qua quidem in re, vt in alijs etiam laudatissimis iusticiæ operibus exequendis, Pontifex non minùs quam alij Principes, importunè quædam moliri potest, nec habere semper omnia prosperè ad suam voluntatem fluentia, etiam cum causam habet æquissimam: vt in Machabeorum libris videmus bonos Dei Opt. Max. sacerdotes contra impias & prophanas Gentes depugnasse infeliciter. Tamen illud vniuersè asserere, quod vir iste contendit, *nullo modo licere Pontifici ad iusticiam aut religionem tuendam arma capere; & falsum est, & hæreticum est, & a nemine affirmari potest qui sanæ sit mentis & cerebri.*

Ber. epist.
238.

Machab.
li. 1. ca. 5.
9. &c.

Iusti. Brit.
Pa. 38.

Meo quidem iudicio, si Protestantibus nostris Pontificem de commotione Hybernica auxilijsq; subministratis accusandi animus est, idq; seriò meditantur; hæc illis ratio est ineunda, non vt impiè & Anabaptisticè affirmèt (quemadmodum iste imperitissimus Libelli author) omnino nefas esse Pótifici Romano bellum gerere; hoc enim luculentum est mendacium, in quo habebunt non solùm omnes in vniuerso mundo Catholicos, sed etiam plerosq; suos fratres hæreticos, imò ipsos Anglicanos sibi aduersantes: quin in eo potius consistant, vt ostendant Pontif. causam non fuisse rectam, Reginam iniurià fuisse excommunicatam, falsam esse *Pij Quinti* sententiam qui declarauit eam esse hæreticam, ideoq; subiectos a iuramento suo & obedientia solutos. Sed hæc nobis particularia capita pertractare fas non est; illud tantùm probare volumus, certas esse causas propter quas Pontifex possit excommunicare, & esse certas causas propter quas idem possit declarare Reges de iure Regio cecidisse; & causas

Vera ratio
Pontificios
in Hyber-
nia conatus
resutandi.

item varias occurrere, propter quas Religionem propugnaturus arma possit mouere, & hostibus eius bellum indicere.

Pontificis
belli contra
Turcam.

Stous an-
no. 1571.
& Hol-
linf. pa.
1860.

Et est quidem verisimile, nostros Protestantes nunquam hoc fuisse negaturos, nisi ipsorum tantummodo causa particularis ageretur. Neq; enim eos ægrè tulisse arbitror, quòd *Pius. 5.* idem ille qui Reginam excòmmunicabat, potentissimi contra Turcam fæderis Princeps & author fuerit; in eaq; clarissima victoria nauali, & signa sua habuerit explicata, & fortissimos præfectos vnà cum reliquis belli molem sustinentes. Quam victoriam ipsi Angli (vt in eorum communibus annalibus reperio) publicis lætitiæ signis, incensis pyris, instructis conuiujs, solenni etiam concione ad Crucem Paulinam habita, tanquam salutarem Reipub. Christianæ & sibi pergratam, vel serio vel simulate celebrabant. Et tamen non minore cum similitudine veri poterat aliquis Turcarum religionis Minister has easdem scripturas citasse contra Pontificem, quàm nunc Protestantes iisdem ad eum exarmandum vtuntur. Etenim si licet Pontifici vires a Deo sibi concessas contra Turcas ab eius iurisdictione prorsus alienos impendere, multò magis eas conferre poterit ad castigandos rebelles Ecclesiæ filios, quos ipsius iurisdictione propriè comprehendit; primò ratione animarum, tum quoq; ratione temporalium bonorum, quatenus hæc animarum salutari promouendæ inseruiunt.

Numer.
ca. 25.

Atq; hæc quidem omnia summo Pontifici verissimè conueniunt, si nihil in eo consideremus præter sacerdotalem & Apostolicam functionem, quemadmodum exemplo *Phinees* manifestum est; cuius sacerdotium in eo est fundatum & consecratum, quòd zelo plenus, hominis impij Deoq; inimici sanguine manus ipse suas cruentauit. Quòd si quis præterea illud obseruare voluerit, omnibus fere sæculis summos populi Dei sacerdotes, temporales etiam Principes extitisse, iudi-

Judicesq; non in spiritualibus modò, verùm etiam in
 ciuilibus negotijs; nihil supererit dubitationis, quin
 optima ratione eam potètiã suam ad iusticiæ defen-
 sionem poterint accommodare.

Sacerdotium Testamenti noui clarissimè præsigni-
 ficauit ille *altissimi Dei Sacerdos Melchisedech*, qui simul
 fuit Rex & sacerdos. Illudq; erat in naturæ lege rece-
 ptum, vt principalium familiarum primogeniti, ijdem
 Reges essent & sacerdotes summi; quemadmodum B.
 Hieronimus testatur. Hoc modo constat Noe, Abra-
 ham, Isaac, & Iacob, populum Dei suasq; familias in
 temporalibus atq; etiam in spiritualibus rebus guber-
 nasse. Et in lege veteri *Moyfes* ipse tum ciuilis iurisdic-
 tionis, tum sacerdotalis ministerij, principatum tene-
 bat. *Heli* quoq; sacerdos annos quadraginta utroq; of-
 ficio perfunctus est. Deniq; *Machabæi illi, Iudas. Iona-
 thus, Simeon* & alij, non modò fuerunt in templo Pon-
 tifices maximi, verùm etiam in ciuitate æquissimi iu-
 dices, & in bellis quoq; fortissimi duces. Ad eundem
 sanè modum Ecclesiæ Christi Pontifices, supremi in
 terra pastores nostri, diuina quidem prouidentia,
 primorumq; Regum ac Imperatorum Christiano-
 rum donatione, ac populi deinceps fidelis Principumq;
 zelo ac pietate, temporales suas ditiones &
 patrimonia iustissimè possident, ideoq; Principes sunt
 in primis legitimi, & iuxta eam quam habent autori-
 tatem, pro se proq; alijs bella gerere possunt, quando-
 cunq; ipsis expedire videbitur.

Et quamuis Ecclesiæ Dei Sedisq; Apostolicæ hos-
 tes aduersus hanc Pontificis potestatem còtinuò bac-
 chantur (quemadmodum reuera hostes sunt capitales
 omnis spiritualis atq; etiam secularis Principatus) il-
 lud tamè certissimum est, neminem esse in orbe Chri-
 stiano siue Regem, siue alium quemcunq;, qui aut pri-
 mò statum suum meliore iure acquisiuit, aut in eo ló-
 giorum annorum præscriptione fundatus est, aut qui tam

Gene. 14.
 Hebr. 7.
 Melchise-
 dech.
 Hieroni-
 m^o in qua-
 stio. He-
 braicis.
 Pontifices
 summi, quæ
 sepe sem-
 per Princi-
 pes tempo-
 rales.
 Moyfes.
 In lib. Le-
 uitici &
 Numerorū.
 Heli.
 In prima
 lib. Regū.
 Machabæi.
 In lib. Ma-
 chabæorum
 & Iose-
 ph. de
 Antiquit.
 Iudas. lib.
 12. 13. 14
 &c.
 Pontificis iu-
 risdictio tẽ-
 poral^e, ad-
 modum lę-
 gitima.

diu & tam manifestè eius quasi tutelam a Deo susceptam possit ostendere in tam varijs regnorū aliorū mutationibus; aut deniq; qui plura cōstantiæ ac perpetuitatis probabilia signa poterit cōmonstrare. de temporali Pontificis statu loquimur. Nam quoad spiritualem potestatem, eam ad extremum vsq; iudicij diem, *Hæreticis* (vt B. Augustini verbis utar) *frustra circumlatrantis* duraturam non dubitamus.

Aug. de
utilita.
credendi.
ca. 17.

1. Tim. 5.

A. 4.

A. 5.

August.
contra
epi. Par-
menia. li.
3. ca. 1.

Atq; vt humana ista temporalium rerum subsidia, utilissima plerunq; sunt; & ad Ecclesiæ tranquillam gubernationem, duplicemq; illum honorem sanctis animarum nostrarum Pastoribus debitum valde necessaria; ita liberalis talium bonorum a Christianis Principibus populisq; facta donatio, *B. Barnabæ*, aliorumq; similium exemplo mirificè commendatur: qui pietatis causa res suas vendiderunt, pretioq; ad Apostolorum pedes deposito, eas Ecclesiæ Dei consecraverunt. At verò profanos homines qui Ecclesiæ Christi istos honores & fortunas invident, easq; mallent diripere & prædari, conterreat horribile exemplum Ananix & Saphiræ qui ad vnum diui Petri verbulum, repentina morte ob simile sacrilegium conciderunt. Etenim si illi excommunicationem sunt promeriti (excommunicatos enim fuisse D. Augustinus censet) simulq; tam grauem etiam in corpore ultionē senserunt, quòd eorum quæ Deo & Ecclesiæ, verbo promiserant tantum, nondum autem facto & re ipsa contulerant, partem aliquam sibi reseruarunt, futuram aliquando rerum inopiam paulò fortasse sagaciùs tum demum præmeditantes: quantò illi grauiore excommunicatione & morte etiam sempiterna sunt digni, qui Ecclesiarū omnium matrem ac magistram suo patrimonio & hæreditarijs bonis spoliare moliuntur; ab eaq; sacrilegis manib⁹ eripere volunt, non partem aliquam eorū que ipsi dederunt qui nunquam vel pagum vnum ei sunt largiti, sed omnia quæcunq; religionis gratia, multis

annorum centenarijs, optimi Reges & Imperatores Christiani, summa cum alacritate ad honorem Christi & Principis Apostolorum Petri, ab ipso nascentis Ecclesie exordio donauerunt. Quod patrimonium, Apostolicorum presulum singulari prudentia ac charitate distributum, in maiorem cedit Ecclesie Dei, pauperumque eius vtilitatem, in ampliorem Christi gloriam, totius denique orbis Christiani vberius emolumentum, quam cuiusque secularis principis in vniuerso mundo: (quod tamen sine vllius iniuria, atque ad solius Dei honorem a me dictum sit) quanquam sunt Reges plerique, quorum immensas facultates, Pontifices quicumque habiti sunt opulentissimi, nulla ex parte æquarunt. Atque hoc mihi omnes æquos rerum æstimatores necessario concessuros scio, qui vel vnus Gregorij 13 sanctissimi Pontificis opera varijs in locis immortalitate digna secum perpenderint.

Qua de re aliquid erat hoc loco dicendum, eò quòd cum alij quidam Protestantes, tum noster iste aduersarius in primis, Apostolicam sedem non vereatur ream facere furti nescio cuius & peculatus, in comparando temporalem hunc statum, quem tot ætatum curriculo ad maximam Dei gloriam possidet. Qui si ingenuè agerent (quemadmodum ab alijs quibusdam factum videmus) illud potius Romanis Pontificibus vitio vertere debebant, quòd hæreditatem maiorum suorum, bona ex parte iam diu negligentia sua amisissent; cum certum sit supra annos mille, ante ætatem Gregorij Magni præter Romam & ciuitatis Romanæ ditionem, magnum fuisse patrimonium Sedis Apostolicæ in Sicilia, magnum in Africa, varios habuisse census & fundos in Sardinia, in Dalmatia, in Gallia, in alijs tum intra Italiam, tum etiam extra Italiam prouincijs, vnde ingens pecuniæ numerus annuatim conficiebatur. quæ iam omnia Pontificum vel facilitate vel lentitudine ad alios dominos transferunt. Et tamen calum-

*Patrimonium
Ecclesie
Romane.*

* *Nicolaus
Clemang.
de corrup.
Ecclesie
statu. ca. 4.*
a *Grego. l.
5. epi. 12.
23. b li. 1.
epi. 2. 68.
70. c li. 1.
epi. 73. d l.
1. epi. 59.
72. e li. 2.
epi. 22. fl.
5. epi. 10.
52.*
Vide *Eu-
seb. l. 4. c.
22. & Pau-
lû diaco-
nû in vita
Grego. 1.
l. 2. ca. 27.
55.*

*Adversarij
malitia &
ignorantia.*
Pa. 44.

niator iste vel ignorantia ductus, vel malitia occæcatus, subinde perstringit iniurias quas simulat Principibus Christianis Pontificis Romani *immensa & infinita tyrannide* (vt ait; in hoc genere factas) interdum Imperatoriæ Maiestati, maximisq; Christiani orbis Regibus, seditiosè admodum ac veteratoriè suggerit, vt potentiam eius circuncidant; aliquando eosdem Principes ex suo ipsius animo Epicureo Deum diuinaq; omnia securè contemnite dijudicans, nefariè laudat, perinde ac si Pontificis auctoritatem ad tempus, publicæ cuiusdam vtilitatis gratia tolerarent, vsq; tamen eò nihil vt suis ipsorum rationibus incòmodet; qui aliàs (vt iste vir bonus somniat) Pòtificias excommunicationes, censuras, canones atq; præcepta, nihilo pluris faciunt quàm Principes ipsi Protestantes, qui in suis ditionibus omnes Pontifici nò modò temporales commoditates, verùm etiam spirituales prerogatiuas eripuerunt.

De iurisdictione Pontificali a quibusdam Catholicis regibus imminuta.

Cuius Pontificiæ potestatis vel repressæ, vel circumscriptæ, vel prorsus contemptæ, quædam recenset exempla a varijs Catholicis Regibus & Rebus publicis ædita; vt Angli in hac turpissima defectione & excommunicationis Ecclesiasticæ contemptione, nihil nouum aut insolens admisisse videantur. quam excommunicationem Atheus iste solos homines ignaros curare ait, viros autem prudentes ac Principes nulla talium rerum religione teneri, quin eas & armis, & legibus, & edictis, cum libet sine omni scrupulo fortissimè refutent. Quod vt probet, commemorat perineptè & a proposito alienissimè aliquot Gallix Reges, qui *pragmaticis suis scitis & sanctionibus* multa summorum Pontificum priuilegia, multa emolumenta, multa que prætendebant iura restrinxerunt. Commemorat etiam Angliæ Reges, qui Pontificis auctoritatem valde represserunt *genere pæna, quæ siue peculatus siue bonorum diræptio dicitur, quod eam vim habet vt rectè sic appellari possit;*

Ibi. pa. 47

barbaro

barbaro autem nomine, *Pramunire* dicitur. Cuius vis in recenti exemplo Cardinalis *Thomæ Volsai* liquido elucescit. Et *Carolus* (inquit) quintus Imperator nobilissimus, nihil Ibi. pa. 46 Pontificias Bullas & execrationes formidauit, cum exercitus & signa sua conuexit Romam, eamq; fossa & vallo sepauit, & diripuit in extremo; Pontificem deniq; ipsum fecit captiuum, & maximam ei pecunie redemptionem imposuit. Filius quoq; *Caroli* rex *Philippus* nihili fecit Pontificiam auctoritatem, cum missis in Italiae fines exercitu, quem dux *Albanensis* eò deportabat, depopulatis agris, deformatis hortis & pomarijs, exustis circa urbem amenis & delicatis aedificijs, vastitatem quandam rebus omnibus afferret. Quin etiam *Henricus* 7. Angliæ rex Pontifici Romano in Pa. 47. controuersia quadam aluminea constanter resistit. Illiusq; neptis *Maria* Regina, quanquam Romanæ erat religioni valde addicta, cum tamen intelligeret Pontificem Romanum in consobrinum suum *Reginaldum Polum* Cardinalem paulo infensorem esse, ob eamq; causam ad minuendam *Poli* auctoritatem Petõum quendam fratrem obseruantem in Cardinalium collegium cooptasset, purpureumq; galerum ac cætera nouæ dignitatis insignia Roma dimiserat ut ad Petõum transportarentur; Regina de hoc apparatu facta certior, transmisit *Caletum* qui mandarent Romano nuncio ne in Regni fines accederet, neq; Angliam versus e *Caleto* moueret pedem. Deniq; *Cardinalis Polus* cum Regnam haberet causæ suæ patronam, nihil veritus est Pontificia mandata vel censuras; sed & suam ordinariam auctoritatem Legati retinuit, & fratrem illum Petõum in solita mendicitate coegit viuere. Hæc sunt omnia quæ scriptor iste congeffit, & in quibus valde triumphat, ut Pontificis ipsius ac Pontificalium censurarum contemptum legitimum esse persuadeat, quæ nos omnia ipsius etiam verbis descripsimus, ne quid vel verborum eius vel sententiarum grauitati detraheretur.

Quæ si paulo accuratiùs expendantur, fraudis ac mendacij plenissima esse omnes statim intelligent. Ac

Responsio ad superiora exempla. primò, illud sanè impium est atq; execrandum hominis Athei commentum, Imperatorem ipsum, Regesq; Christianos, reliquosq; Principes qui vel nostra ætate vel maiorum nostrorum memoria in orbe Christiano

Libelli author in Principes Christianos nimis contumeliosus.
Pa. 42.

dominati sunt, Pontificis iurisdictionem suis in prouincijs tolerasse, non tam ob religionem ac conscientiam, quàm humanam prudentiam, ad tempus nimirum ac quoad ipsi placeret, *quatenus* (vt iste loquitur) *vel pro sit sibi regnisq; suis, vel certè nihil obsit.* cum nemo vel hodierno die uiuat, vel vlla vnquam ætate vixerit in Ecclesiæ vnitatem Princeps Catholicus, quin supremam Põtificis in Christianos Reges populosq; omnes auctoritatem tanquam a Christo Domino fundatam, ex Scripturis sacris clarissimè deductã, veterum Conciliorum canonibus sanctissimis, Doctorumq; omnium testimonijs probatam, ipsis deniq; Imperatorum ac Prouinciarum Christianarum legibus luculenter confirmatam, ex animo agnouerit & professus sit. Estq; ista quidem certè dedecoris labes turpissima, qua nefarius Atheista optimos Principes aspergit, cum persuadere conatur, eos dum Pontifici obediunt, religionem, pietatem, ac sinceram conscientiam simulare, quando reuera ciuilia quædam commoda tantummodo respiciant. Eadem sanè fronte impius hic Machiavellianus affirmare posset religionem ipsam Christianam, propter ciuilia quædam commoda a Rebus publicis receptam, quatenus ea Principis vtilitati vel ciuilibus status emolumento inferuiat. Faxit vero Deus Opt. Max. ne hic sit scopus ad quem Protestantes nostri & Politici collineant. Valde enim suspiciosum est hanc esse illam *fidei sue analogiam* & stateram, qua omnes actiones examinant & metiuntur. Nullum profecto iam finem alium nouo hoc Ministrorum ordine a se creato vtuntur, vt valde est probabile, quàm vt rudem populum aliquantisper suspensum teneant, *Verbum Domini, Verbum Domini* identidem in clamando; interea dum ipsi

Analogia fidei Protestantica.

ipsi sceleratas molitiones suas ad optatos exitus perducant. Id quod de impio huius Libelli authore satis manifestum est, qui si Princeps esset (cuius autem similes hoc tempore, Principibus nimis sunt intimi & familiares) nec *Petro* nec *Paulo* nec ipsi quidem *Christo* iurisdictionem aliquam spiritualem aut temporalem in sua ditione permitteret; neq; excommunicari se vel Regno priuari ab illis magis quàm a Pontifice Romano pateretur; neq; verò cum illis quicquam haberet communionis, nisi quatenus politicæ rationes & ciuilia commoda requirerent.

Vnde & leges iam ab istis Lycurgis latas cernimus, quibus omnis in Anglia iurisditio vel temporalis vel spiritualis prorsus interdicitur homini cuiuscunq; extra Anglicani Regni limites nato. Quæ leges haud dubiè non minùs Christum eiusq; Apostolos (cùm in Anglia nati non fuerint) quàm ipsorum successores Episcopos Romanos excludunt. Qua quidem in re illud cum primis in aduersario nostro animaduertendum arbitror, quòd nullo prorsus discrimine spiritualem gubernationem a temporali distinguit: quin potius omnem Ecclesiasticam iurisdictionem penitus tollit atq; abrogat, cùm in pestilenti hoc Libello spiritualem illam, & Pontificalem quam sibi Regina vsurpat potestatem, nouo certè nomine atq; in aliorum hæreticorum scriptis ad hunc vsq; diem (vt opinor) inauditò, Regina *REGALIA* appellat. Quo verbo, Ecclesiæ Dei sacrâ hierarchiam omnè funditus exterminat, eamq; in potestatem Regalem prorsus includit. Quæ ratione & ipsi D. Petro spiritualem quam tempore Neronis habuit potestatem eripiunt, eamq; Neroni tanquam *Regalium* suorum portionem tradunt; cui eodem iure competeat, quo hodierno die Papalis, & Episcopalis, & omnis Ecclesiastica autoritas, Regine Angliæ tanquam suorum *Regalium* pars quædam conceditur. Quod item multò vehementiùs confirmant

Aduersarij
scopus Machiavellianus.

Vide supra ca. 1.
pa. 10.

REGALIA
LI A regina.

pa. 37.38

Regalia
Neronis.

testimonia quæ ex scripturis, imperitorum fortassis opinione probabiliter, sapientum autem iudicio stultissime scriptor iste profert; ex D. Paulo, *omnem animam sublimiorib⁹ potestatibus esse subditam.* ex D. Petro, *subiecti estote cuius humane traditioni* (sic enim citat) *propter Dominum, siue Regi ut qui superemineat* &c. quæ proprie & proximè Neronis Regalia confirmant, qui eo tempore Romano Imperio potiebatur: non minùs verò apud Neroni quam Reginæ ad stabiliendum hunc primatum conueniunt.

Nefaria
spiritualis
& temporalis
potestatis
confusio.

Quasi verò inter Regem & Sacerdotem nihil esset discriminis; nulla inter ciuilem Rempub. & Christi corpus mysticum differentia; quasi Christus hoc corpus suum, sponsam suam, spiritualem suam Rempub. vel Regibus atq; Imperatoribus Paganis regendam commisisset; qui non illo tantùm sæculo, sed aliquot etiam sequentibus, Christi Ecclesiam fidemq; crudelissimè persequebantur; (quorum tamen Regalia, vel authoritas Regia, non minùs fuit perfecta & absoluta, quàm Principis vllius Christiani) aut Christianis deinceps Regibus, qui cum Christi iugum suauissimum acciperent, & fide Catholica imbuerentur, non capita Ecclesiæ sed membra, & Episcoporum patrum suorum filij effecti sunt. Deniq; Politici isti perinde omnia miscunt atq; confundunt, ac si Christus dum in terris viueret, Ecclesiæ spirituales ministros nequaquã prefecisset, neq; postea Spiritus sanctus designasset *Apostolos, Prælatos, Pastores, & Doctores* qui eam ad extremum vsq; mundi interitum gubernarent.

Via ad
Antichri-
stianismum.
1. Pet. 2.

Quæ diabolica confusio, spiritualem omnem primatum sæculari Principi tribuens (quam quidem potestatem scriprura sacra *humanam creaturam* distinctionis gratia appellat) vel potius miranda metamorphosis, & absurdissima spiritualis potestatis in Regalia Principum conuersio, si longiùs serpere permittatur, ipsam Ecclesiæ Dei ac Religionis omnis naturam, & tanquã vitam

vitam atq; spiritũ corruptet & destruet; viamq; sternet Antichristo planissimam qua potestaté vtramq; non modo spiritualem, sed etiam temporalem aboleat, seq; ipsum extollat super omne quod dicitur Deus, aut colitur in celo & in terra.

Regalia
Antichristi.
2. Thess.
2.

Va igitur patriæ nostræ populiq; nostri peccatis, quibus offensus Deus permisit vt hoc detestabile exemplum spiritualem Ecclesiæ autoritatem & diuinum animarum nostrarum regimen in *Regalia* Principis transformandi apud nos primũ existeret. Meritoq; pudeat nefarium hunc Diagoram (si quid haberet frõtis) huius adeo scelestæ propositionis, qua ita defendit suum, aliàs puerilem, aliàs muliebrem Pontificatum, (dedecus, & infamiam, & turpitudinem sempiternam tum Principum tum nationis nostræ) vt simul contumelijs indignissimis vexet alios laudatissimos Reges, tanquam insignes hipocritas, qui Apostolicam autoritatem in suis Regionibus ita demum ferunt, quoad eam suo statui & commodis fructuosam esse perspiciant. Quam perimpudentem calumniam plenè copioseq; refellit & ipsorum Regum excellens erga Deum pietas, & quam in rebus fidei ac Religionis (circa quas illius primatus propriè versatur) Pontifici præstant obedientiam, & alia permulta religiosa officia, sinceræ eorum fidelitatis argumenta efficacia; vt quòd Romanam Sedem fidemq; aduersus sceleratos hæreticorum conatus quotidie tuentur; quòd eam fidem in vita & morte præferunt; quòd infinitos sumptus in eius hostibus reprimendis effundunt, imò sæpenumero vitam suam, diademata, & regna eam ob causam periclitantur; quòd sacrosancta Apostolicæ Sedis decreta accuratè obseruari faciunt, quantum perfluxos hominum hoc dissoluto sæculo mores, & effrenatam hæreticorum atq; Atheorum licentiam fieri potest; quòd in plerisq; Regnis, de sanctæ Ecclesiæ Sedisq; Apostolicæ inimicis iustam experunt vindi-

Quam fadè
improbus
iste scriptor
Catholicis
regibus con-
uiciatur.

ctam; deniq; quod perpetuam habent cum Pontifice animorum coniunctionem & consensum in ijs omnibus quæ ad religionem spectant; semperq; spirituales eius gratias, indulgentias, & benedictiones, eadem humilitate amplexantur, qua quiuis alius e media plebe Christianus.

Exemplis non est semper insistendum.

At verò pleriq; Principes (inquit Aduersarius) superius commemorati, Pontificum potentiam mirificè represserunt, & frænarunt authoritatem. Cui facile respondemus; in his quæstionibus non esse semper exemplis, sed legibus potiùs ac ratione nitendum. Posset enim contra quis objicere exempla quæ supra attingimus; *Ioannem* videlicet *Baptistam* ab *Herode*, *Babylam* martyrem a *Philippo*, fuisse interfectum; *D. Chrysostronium* in exilium ab *Arcadio* eiectum; vexatum immaniter a *Constantio*, *Athanasium*; *Diuumq; Thomam Cantuariensem* Angliæ Primatem ac Metropolitanû, *Henrici* Regis operâ trucidatum. permultos deniq; alios Principes Episcopis animarum suarû Pastoribus præfractè restitisse, cuius tamen obstinationis nonnullos postea vehementer pænituit; in quo numero ponendus est Rex noster *Henricus 2.* Absit autem vt horum exemplis officium Regum erga Pastores suos metiamur. Ita neq; nobis necesse est *Pragmaticas* omnes leges siue Gallicanas siue Anglicanas tanquam æquas probare, quas Princeps aliquis etiam Catholicus vel ædidit iam pridem, vel in posterum est æditurus, ad Pontificum iurisdictionem aliquo modo coercendam.

Generalis & clara responsio ad omnia exemplâ superius obiecta pa. 182. 183.

Neq; profecto ex altera parte necesse est vt leges eas prorsus improbemus. Non enim continebant materiam omnino spiritualem, sed potiùs temporalem aut certè mixtam. Si temporalem, cuiusmodi fuerunt prærogatiuæ multæ vel Principum diplomatis, vel antiqua consuetudine Sedi Apostolicæ religiosè olim concessæ; non est mirandum si postea re diligentius considerata, aut temporum mutata ratione, aut popu-
li

li etiam zelo imminuto, reuocatæ fuerint, prætextu fortasse quodam Ciuilibus Reipub. statum aut conseruandi aut amplificandi, cuius vtilitatibus magna illa priuilegia summo Pontifici alijsq; viris Ecclesiasticis concessa non nihil obesse videbantur. Sin verò leges eam habebant materiam subiectam quæ mixta erat, aut eius potius naturæ vt quicquid in illis continebatur illud iure sibi vindicare poterat Pontifex tanquam supremæ dignitati suæ adiunctum, & ad commodiorem tantum muneris obeundi rationem perutile; quia tamen nec huiusmodi leges ea detrahebant quæ necessariò vel diuino iure ad spiritualem illius functionem directè pertinebant, poterat pro sua prudentia Rom. Pontifex illas aut tolerare (tolerat autem multa quæ non probat) vitandi scandali, alteriusue animarum periculi declinandi causa; aut certè compositione cum principibus & Rebuspub. facta, non nihil Ecclesiasticæ pacis ac tranquillitatis gratia, de suo iure remittere. Quandoquidem huiusmodi commodorum quasi extrinsecæ & aduentitia iura, non ita cum afficiunt, quo modo salus populorum, tranquillitas Reipub. Christianæ, regnorum, & prouinciarum in eadem Christi fide & Ecclesiæ vnitæ conseruatio, in quibus vocationis ei primæ institutio, & tanquam natura & essentia versatur.

Omnes prouinciales leges de coercenda potestate Pontificis, prorsus nec approbandæ nec improbandæ.

Nulla est humanitus adueniens prærogatiua, quamuis longissimo tempore possessa fuerit admodum iustè, & a principio concessa admodum religiosè ad honorem Christi & eius officij quod vice Christi summus eius minister exercet; quin vel ipse legitimis de causis poterit eam sponte cedere, vel tyrånorum violentia & hominum carnalium ambitione eam inuitus amittere. Spiritualem verò auctoritatem in animas, in prouincias Christianas, in personas siue publicas siue priuatas, & quicquid Saluator noster largit⁹ est Apostolorum Principi (super quem Ecclesiam vniuersam

Pontifex de prærogatiua quacumq; humana cedere potest, nõ item de diuina.

Mar. 16.

Ioan. 21.

Luc. 22.

ædificauit, cuiq; primò, & deinceps eius successoribus clauces regni cælorum dedit, amplissima cum potestate ligandi, soluendi, puniendi, condonandi, pascendi, in fide confirmandi, decidendi res controuersas, &c.) nec ipse a se alienare potest, aut alteri cuiunq; tradere; neq; verò quæcunq; *Pragmatica* aut Prouinciales leges, aut etiam generales totius orbis hanc ab eo potestatem possunt eripere. Hanc eius iurisdictionem nullus aliquando rex Catholicus, nulla prouincia restringere conata est. Nec in Gallia, nec in Hispania, nec in patria nostra (quamdiu religione Catholica fruebatur) vlla inuenta sunt statuta, ad hanc eius auctoritatem merè spirituales tollendam, vel quoquo modo refrenandam.

*Contentio
inter spiritum
& carnem
quousq; sit
tolerabilis.*

Quemadmodum autem in humano corpore, vbi caro spiritui & spiritus resistit carni (vt Apostolus testatur, nosq; ipsi quotidie experimur) licet pars vtraq; suæ separatim vtilitati consulat, suiq; tanquam imperij limites propagare contēdat; ea tamē contentio vel tolerabilis est, vel certè nequaquam perniciofa, quamdiu caro quæ est inferior, non nimis amoris sui indulget, nec ita satiffacit desiderijs suis, vt interim animam opprimat, sed eius iustam rationem habet: ad eundem sanè modum in Repub. Christiana vbi status ciuilibus atq; Ecclesiasticus vnum quasi corpus efficiunt; non est valde reprehēdendum, si vterq; moderata quadam dimicatione ad limites suos in externa rerum politia tuendas nitatur; dum tamen interea ei quod est summum & præcipuū vtrinq; consulatur, nec alter alterius ruinam & euersionem obstinatè laboreat.

*Iniustissima
Anglorum
contra Ec-
clesiæ actio-
nes.*

Cæterum vbi corpus Politicum (vt in patria nostra miserima vsuuenit) incredibili audacia, cū Apostolica Sede & corpore Christi mystico bellum gerit, non de rebus medijs aut indifferentibus, quæ aliquo modo, quanquam minùs directè pertinent ad Ecclesiæ regimen spirituale, sed de ijs quæ necessariò & intimè vi-

ram

tam, & naturam eius, & spiritū ipsum continent; vbi aperta vi & sacrilegio, contra omnes leges diuinas & humanas, laici Christi vicario summum suum primatum & sacerdotium eripiunt, Christiq; Ecclesiam Catholicam omni iure & autoritate qua eam sponsus suus locupletauit despoliant, & ista transferunt vniuersa, ad Regalia Principis; eiusq; nutu Sacramenta tollunt, articulos fidei permutant, Sacerdotium abolent, totamq; Religionem penitus inuertunt; & pro fide, vero Dei cultu, & communionem Catholicam, fædissimam apostasiam, execrabile schisma, & miserabilem rerum sacrarum & prophanarum confusionem inducunt; hoc loco, in hoc genere, etiamsi aduersarius omnes Christianas leges prouinciales aut municipales scrutetur, etiamsi omnes Christianarum regionum per terrarū orbem excutiat angulos, nullam tamen Anglicanæ suæ Apostasiæ vel legem vel regionem inueniet suffragantem. quamuis non vereatur homo profanus perabsurdè & admodum ridiculè proferre in medium Concordatam Regum Galliæ vel Angliæ, aut aliarum gentium leges siue æquas siue iniquas, Ecclesiasticam vel Põtificalem autoritatē coercentes. Longissimè enim abest, vt hæc omnia sacrilegè Anglorum ab Ecclesia Catholica atq; Apostolica discessioni vel leuissimam defensionis vmbra prætendant.

Fieri quidem potest vt in *Anglia* etiam cum esset Catholica, ab hominibus suæ vel voluptatis vel priuati huius studiosis, multa contra Ecclesiæ commoda tentarentur. Fieri potest, vt Reges tum nostri tam aliarum etiam nationum, in suis contra Pontifices & Episcopos contentioibus, eos ad conditiones valde iniquas persæpe coegerint, atq; ita cum Ecclesiæ damno suæ libidini & ambitioni inseruierint. Neq; verò inficior, reges nonnullos ipsa potentia & Maiestate sua fretos, leges aliquas in suis regnis statuissè, etiam reclamante Apostolica sede. quæ licet propriè fidem aut religio-

Iniquæ leges etiam tēporibus Catholicis fieri potuerunt.

*Lex vulgò
dicta Prae-
munire.*

nem non impugnarét, Ecclesiæ tamen vtilitatem multum minuebant, & nimis opprimebāt libertatem. qualis erat lex illa Anglicana quam aduersarius admodum verè *Peculatum* dicit, *Barbaroq; nomine, Premunire* vocat ait. Contra quam varij Pontifices, præsertim verò *Gregorius. 11. & Martinus. 5.* plurimum contenderunt, & vt tolleretur cum *Edouardo 3. & Henrico 6.* seriò vehementerq; egerunt; quod vterq; se facturum recepit, et si neuter exoluit quod promisit. Vnde fit vt pristinam lex illa vim periniquam post obtinuerit (si tamè primi illius authores illud intenderint, quod posteri ex ea sunt expiscati) eò quòd, si accedat paulo durior aut violentior iurisconsultorū interpretatio, facile subministrat Principi occasionem pro suo arbitratu omnia Ecclesiasticorum bona a dominis auferendi, & suo fisco addicendi, ipsosq; carcerib⁹ perpetuis includendi, vniuersum deniq; ordinem Ecclesiasticum funditus destruèdi. Cuius rei horribile exemplum *Henricus octauus* initio huius schismatis ædidi, cum prætextu huius legis non soli Cardinali cui erat infensus, nec solis episcopis, aut certis Sacerdotibus (qui tamen nihil magis contra eum quàm Nobilitas & populus rotius regni deliquerat) sed Statui Ecclesiastico per Angliam vniuerso, manifestum fortunarum omnium, & libertatis etiam periculum creauit; cum eos immensa pecuniæ vi ad sese ex ea calamitate & seruitute redimendos compulit, adeo vt ex sola Cantuariensi prouincia plusquam trecenta aureorum milia exegerit; præter alias iniquissimas conditiones eis impositas quibus ad Ecclesiam Anglicanam tanquam a fundamentis excindendam, viam sibi strauit. Et tamen hoc tam tetrum exemplum, *hunc peculatum* (quemadmodum ipse dicit) & *honorum direptionem*, quæ eam vim habet vt rectè sic appellari possit (quo vno, nihil in hoc Libello verius scriptum est) hanc iniustissimam legem contra quam totus Anglicanæ Ecclesiæ nouus clerus multis

*Parlament.
Henric. 8.
amo. 22.
cap. 15.*

*Lex Prae-
munire, lex
peculatus.*

in libris inuehitur, & quam vocat *maximã Ecclesiã Anglicanã calamitatem*; qua & pseudoepiscopi & inferiores Ministri conqueruntur ita se deuinctos & implicatos, vt quæ manifestò vident in religione Anglicana *Verbo Dei* tanquam ex diametro pugnantia, ea tamen refellere non audeant, nec possint, nisi certum libertatis & honorum omnium discrimen velint incurere (ex quo videm⁹ eam esse hodierno die legis istius vim, vt reginæ voluntatem efficiat esse Ministris lydiũ lapidem & amussim ad quam veritates suas euangelicas examinant, & cum qua eorum *Verbum Dei* quadrare opus est, aut in Ecclesia Anglicana silentio æterno sepeliri) quam legem historici annotarunt a viris bonis semper fuisse improbatam, tanquam latissime patentem ad quoscunq; ex inopinato suis laqueis irretictos: hoc exemplum, hunc *Peculatum*, hanc iniquitatem, Libelli huius artifex (qua est impudentia) mirifice laudare, alijsq; Principibus Christianis imitandam proponere non erubescit.

Cæterum, vt ad legem ipsam reuertar; non quomodo nunc hominum fortassis peruersitate corrumpitur & ad Principum voluntatem inflectitur, sed quomodo primis temporibus lata est, illud quidem fateor nõ eam modo sed alias etiam iniustiores a Regibus & populis sanciri potuisse, easdemq; ob pacis & charitatis amorem a Romanis Pontificibus tolerari; qui a Magistro suo, sanctissimisq; Ecclesiæ primitiæ Episcopis edocti sunt, vnus animæ salutem omnibus totius orbis honoribus, priuilegijs, ac facultatibus antepone-
re. Et certè modò Deus rite vereq; colatur, siue causæ primò ad Romanam Curiam deferantur, siue non nisi post appellationes intercedentes eò traducantur; siue Pontifex, vel Princeps, vel Clerus, aut etiam populus Pastores suos eligat (qua ï re pro varietate locorum & temporum, magnam quoq; fuisse varietatem legim⁹) hæc omnia leniter Ecclesia ferre nouit, & conferre

Secunda Admonitio ad Patrum lamentum: pa. 10.

Ibi. pa. 6. & 24.

Polydor. Virgil. Anglic. hist. lib. 19. anno. 1369

omnia ad Christianam pietatem; modò vera fides, & Ecclesiasticæ iurisdictionis natura permaneat integra.

Authoritatis Ecclesiasticæ diminutione non fuisse vitio.
 Hic tamen illud prætermittere non debemus, poteritq; omnibus Ecclesiæ filijs magnum præbere solatium, & est quidem a viris prudentibus diligenter animaduertendum, quòd in plerisq; istis de Pontificis auctoritate limitanda, coercenda, minuenda, aut immutanda controuersijs, ita res postea ceciderunt, vt prudentissimi quiq; vehementer optarint nihil fuisse innouatum. Ad cuius clariorem demòstrationem, vt aliam mittam, illud vnicum velim vnusquisq; diligenter expendat; Episcoporum dico, Abbatum, & aliorum Prælatorum electiones; & consideret an non præclarius cum Ecclesia agebatur quãdo illæ per canonicam electionem, vel per summi Pontificis collationem fieret, quàm nunc post eam rationem mutatam agitur, aut verò agendum deinceps, sperare poterimus. Varia quidẽ initio ad has nouationes inducendas homines nõ malè pro singularum regionum commoditate argumenta prætexebant, quæ paucorum annorum experientia & ipse rerum euentus magna ex parte refutauit.

Verùm hoc viticunq; se habeat, ex eo Angli nostrates nullam exemplum, nullam rationem, nullam probabilitatem, nullam probabilitatis vmbraam captare possunt ad sua tragica & sanguinaria opera honestanda; hoc est, vt tèpla disturbent, vt monasteria euertant, vt homines religiosos partim exterminent partim interficiant, vt Sacerdotes Dei trucident, vt sacratos per vnuersum regnum Episcopos in ergastula conijciant, vt iurisdictionem & auctoritatem Apostolicam omnè contemnant, aspernentur, abrogent, blasphement; adeoq; in publicis litanijs impiam hanc precationem emittant, *A Pontifice Romano &c. Libera nos Domine;* pro eo quod totus orbis Christianus sanctissimè precatur, *Vt Dominum Apostolicum & omnes Ecclesiasticos ordines in sancta religione conseruare digneris.* Ecquis vero sibi per-

Barbara Protestatio Anglorum contra Sedem Apostolicam malitia.

suaterit

suaserit adeo istos vel omnem exuisse humanitatem, vel ad tam insignem impudentiam esse prouectos, vt hanc plusquam Turcicam impietatem, Catholicorum Regum ac Prouinciarum exemplo defendere nõ crubescerent?

An verò credibile est ipsos suspicari *controuersiam illam Alumineam* vt aduersarius vocat, inter *Henricum 7.* & eum qui tum viuebat *Pontificem Romanum*, eius generis fuisse, vt hoc exemplum animare debuerit presentem Reginam, aut ipsius Consiliarios, vt summo Dei sacerdoti hostiliter se opponerent, & eum de spiritali Primatu quasi in ius vocarent? imò vt sine iure, aut iuris simulatione, aut iuridicali adione quacunq; primatum illi per summum nefas eriperent, & cui volebant, vel cui fortitò contigerit, aliquando feminae, aliquando puero, fortassis etiam puellæ trimulae aut binulae in cunis vagienti attribueret? Quis credat istum *Iustitia Britannicæ* defensorem adeo esse truncum & stipitem, vt ista tam diuersa atq; disiuncta non possit distinguere. Aut si distincta esse nouerit (quod magis est verisimile) egregium sanè veteratorè, aut gnauiter impudentem esse oportet, qui bella quedam ob lites terrenas inter Romanos Pontifices & sæculares Principes aliquando suborta commemorat, vt ex ijs concludat, Reges Catholicos Pontificis auctoritatem flocci facere, Angliq; licere, arreptis armis illi resistere, atq; illius auctoritatem in rebus fidei ac religionis cõtemnere.

Iure Anglicano, Princeps etiãsi puella sit in cunis vagiens, est caput Ecclesie. Crassa aduersarij ignorantia;

Et eiusdem quidem generis sunt exempla reliqua; hoc est, nihil ad rhombum. Quid enim facit ad *Carolium Quintum* optimum & fortissimum imperatorem Pontificiæ excommunicationis spretæ reũ faciendum, quod ipso in vltiore Hispania agente, eius in Italia exercitus, *Borbonio* duce urbem Romanam inuasit, diripuit, multaq; immania in ipsum Pontificem, Cardinales, aliosq; omnes ibidem comprehensos flagitia perpe-

Vrbis Romanam Borbonio duce diripit.

trauit: cum nemo nesciat nobilissimum Imperatorem, et si eo tempore valde adolescentem, neq; consuluisse unquam ut talis direptio fieret, neq; approbasse factam; de qua apud Pontificem postea, aliosq; etiam Principes Christianos, magna cum humilitate se diligenter excusauit. Ipse vero *Bobonius* eius sacrilegæ oppugnationis author, diuino planè iudicio ad tantæ sceleris horrorem posteris demonstrandum, primus omnium (ut scribitur) & solus, in ipsis manibus suburbiorum interfectus est. Reliquus vero exercitus in eadem vrbe intra paucissimos menses, peste, fame, & inuitatis morbis, maiori ex parte miserabilem in modum extabuit. Alii omnes non longè post ab hostibus concisi perierunt, ut ex tam immenso exercitu (quod est a fidelibus historicis annotatum) vix vnus aliquis aut ignominiosam aut violentam mortem euaserit. Utinam qui horum sectantur exempla, exitus quoq; non dissimiles præcauerent.

De rege
Philippa
& Duce
Albano.

De *Catholici* verò Hispaniarum Regis qui nunc regnat, erga Apostolicam Sedem fide & obseruatiã (quecunq; tandem de rebus ciuilibus controuersia vel hætenus interuenerunt, vel deinceps interuenire poterunt) superuacaneum est cum friuolo hoc nugatore verba facere. Et istud vnicum documento esse potest, quàm aptè & ad rem accommodatè exempla sua seligat. *Albanus* enim *Dux* clarissimus, qui tum in exercitu Regis locum tenebat etiam cum ante urbem castra metatus esset, admodum religiosè se gessit, & pro sua ipsius pietate, & ex *Catholici* Regis mandato: nec vim vllam aut detrimentum ciuitati attulit, nisi quòd milites hortos quosdam circa mænia, pauculãsq; ad voluptatem extructas ædes ac vineta deformauerint: quæ nimirum noster hic orator mirum in modum deplorat; qui tamen pro zelo suo Euãgelico, quem etiam in toto hoc libello spirat, nihil magis exoptare videtur, quàm Ciuitatis illius cladem, ruinam, excidium, & extremam

tremam ab ipsis vsq; fundamentis euerfionem.

Sed tamen *hij Principes* (inquit iste) *Pontificias censuras plane contempserunt*, quando ius suum & legibus & armis tueri non dubitarunt. Atqui obseruandum est, non esse moris Romano Pótifici omnes eos statim excommunicare, quicumq; in ciuilibus negotijs, pro particularis alicuius Ecclesiæ aut Prouinciæ emoluméto, siue legibus, siue etiam armis ipsi resistút; quemadmodum de eo quem iam nominauimus *Carolo. 5.* certum est. Quamobrem vbi Censuræ nullæ a Pontifice contra reges feruntur, non est profecto cur Libelli author gloriatur *Pontificias censuras & anathemata a Regibus contēni.* Quemadmodum Pontifex principis saculares possint armis contendere. Neq; etiam cum tam clara ac manifesta iniuria Catholicæ Ecclesiæ Sediq; Apostolicæ inferatur, vt qui deliquerit eum meritò excommunicandum Pontifex existimet, excommunicatus autem causæ suæ æquitate (vt ipsi videtur) fretus in sententia permanet iusq; suū persequitur; ne tum quidem excommunicatus censuram hanc contemnit, vt imperitè aduersarius allucinetur. quin potius a Sacramétorū vsu abstinens eorumq; consuetudine a quibus leges ei interdiciunt, illud diligenter elaborat, cum ea qua par est humilitate, vt de causa Pontifex diligentius cognoscat, vtq; aliorum Principum & honorum virorum iudicio res tota componatur. Vel (vt vno verbo absoluiam) si in litibus istis terrenis & agrarijs, in quibus iustissima Principis cuiuscunq; causa esse potest, aut certè iustissima Principi alijq; viris doctis ac pijs videri; hinc si fateamur posse Principem ius suum armis defendere absq; metu censurarum Pontificalium, cum hoc nihil impediatur perfectam illius in rebus spiritualibus obedientiam; necquid ex hoc sequitur posse sacrilegos homines, hæreticos, apostatas, & obstinatos peccatores, Ecclesiæ Catholicæ iudicio pro sua libidine refragari, & illud contemnendo in sua impietate impudenter persistere? Quam est hic præposterus ratiocinator, qui ita absurdè

tulicem elephanti, & testudinem Pegaso componit; & ex antecedenti tam facili & tolerabili, cōclusionem adeo non solum difficilem & intolerandam, sed plane scelestam & sacrilegam deducit?

Responsio ad
exemplum
Mariae re-
ginae.

Quid enim si *Maria Anglia Regina* certior facta, Romanæ constitutum fuisse ut illustrissimo Cardinali Polo legati auctoritas adimeretur, eaq; ad alium quendam transferretur, hominem quidem pium, sed tamē ei muneris fungendo nequaquam idoneum; si Regina huius mutationis nuntium Romanum Angliæ ingressu prohibuerit, donec Pontifex de re tota plenius edoceret (quod statim eiusdem lectissimæ Principis operâ, magna cum diligentia & obseruantia factum est) hoc in continuo alijs omnibus manifestæ defectionis & apertissimæ rebellionis exemplum esse debet? Ut propterea seipsum a communione Ecclesiæ Catholice præscindat? ut auctoritatem Pontificis rejiciat? ut (quod monstrum est & contra naturam) eam ad feminam traducant, & in animas atq; conscientias suorum subditorum, Apostolicam ei auctoritatem attribuant? Quid hoc vno absurdius vel dici vel cogitari potest? Nequius minus peruersè exemplum illud vsurpatum est ab huius Regiæ Consiliarijs, tertio postquam ea regnare cepit anno. Cùm enim a Pio. 4. Pontifice Maximo legaretur in Angliam Nuncius Apostolicus, illud vnum ad gloriam Christi & Ecclesiæ tranquillitatem postulaturus, ut ex Anglicanæ Nationis & Religionis doctioribus, quidam ad Concilium Occumenicum Tridentinum mitterentur (quod idem fecerunt plerique omnes Christiani nominis Principes) ad quorum etiam ampliorē securitatem *saluum* (quem vocamus) *Conductum* ipse secum attulerat, quo omnis libertas eundi, redeundi, in Concilio arguendi, disputandi, & quæ volebant proponendi sine vlla formidine aut Ecclesiasticorum Canonum contra hæreticos & Apostatas præiudicio continebatur; Regiæ quidam Consiliarij de eo postulato de-

Ingressus in
Angliam ne-
gatus Apo-
stolico Nū-
cio qui ad
Concilium
Occume-
ni. Triden-
ti. citabat.

to deliberantes, hoc vnum *Reginae Mariae* factum tanquam
 Aiacis clypeum obiecerunt, ut Nuncium eum ab insula
 ingredienda excluderent; exemplo non improbando
 improbissimè abutentes, partim ad suam a reliquo Chri-
 stiano orbe & communione Catholicorum separatio-
 nem continuandam; partim etiam (& fortasse potissimum)
 ad obtegendum suorum Superintendentium metum,
 imbecillitatem, & ignorantiam; qui simulantes
 timorem incendij, sed reuera Catholicorum eruditio-
 nem suamque ignorationis infamiam timentes, cum sci-
 rent longè aliud esse domi coram imperita concione
 inaniter gloriari, aliud in doctissimo orbis terrarum
 theatro punctis argumentorum respondere & haereses
 suas defendere, omnem occultè mouerunt lapidem ne
 eo proficiscerentur: quamuis Regina ipsa, Nobilesque;
 permulti in hanc partem valde propenderent. Sed Su-
 perintendentium tandem importunitas vicit, decre-
 tumque; fuit nec audiendum quidem esse legatum Apo-
 stolicum, nec in insulam vlla ratione admittendum;
 hanc inhumanam impietatem (ut dixi) *Mariae Reginae* fa-
 cto longè dissimillimo in vulgus approbantes.

Atque illud idem deinceps ad hunc usque diem oppo-
 suerunt, eoque praetextu non modò antiquam omnem
Sedis Apostolicae erga nos auctoritatem ac iurisdictionem
 respuerunt, illiusque; *Sedis* Episcopum non minùs alie-
 num ac hospitem in Repub. nostra aestimauerunt, quam
 alium externum Principem qualemcumque; quem nul-
 la planè rerum nostrarum cura attingit (quanquam & ta-
 lium legatos ad fouendam societatem mutuam, siue
 bello siue pace, ipso Gentium iure libenter admittunt)
 verum etiam sensim ad extremam blasphemiam delapsi,
 eum *Diabolum* appellarunt & *Antichristum*, ipsoque; etiã
 Turca deteriorem; cuius legatos (ut lippis & tonsori-
 bus est notum) humaniter & peramicè excipiunt, cum
 interim legatis *Sedis Apostolicae* igni & aqua interdicant,
 ut nec pedem in ea terra possint ponere. Ex quo mani-

*Superintenden-
 dentes Angli-
 ae inue-
 runt ire ad
 Concilium
 Tridentinum.*

*Profectus
 haereticorum.*

festum euadit, in quàm infinitam miseriam Heresis nos præcipites agat; quàm immane odium rebellium filiorum animis ingeneret contra matrem, a qua ad suam ipsorum certam perniciem, turpiter impieq; defeccerunt. Atq; hæc (vt arbitror) sufficere poterunt æquilectori, vt intelligat quàm insulse & pueriliter Libelli huius author ad generalem Anglorum a Romana Ecclesia discessionem ac Censurarum Pontificalium contemptum excusandum, exempla nonnulla protulerit earum controuersiarum, quæ de rebus ad fidem ac Religionem minimè spectantibus, summo Pontifici cum Principibus quibusdam Catholicis aliquando intercesserunt.



QVOD PRINCIPIS AC REGNI AB
 ECCLESIA ET SEDE APOSTOLICA SEPA-
 ratio & a Catholica Religione defectio, sola sit causa peri-
 culorum omnium imminentium qua Politici viden-
 tur formidare: quodq; Catholicis ac Romano Pon-
 tifici ista immerito falsoq; tribuantur; qui
 etiam iniuria Regni vocantur hostes.

CAPVT. VIII.



IEROBOAM Rex quo suum in
 decem Tribus regnum constabi- *Impia regis*
 lret firmitus, operæ pretium se *Ieroboami*
 facturum putabat, si eas ab om- *solertia.*
 ni aliarum tribuum qua in Iu- *3. Reg.*
 daa remanserant, Deoq; in tem- *ca. 12.*
 plo Hierosolym. sacrificia iux-
 ta legis præscriptum offerebant,

societate & communionem prorsus discluderet. Hanc
 ob causam novos sibi suoque populo Deos excogi-
 tauit; nouas inuenit Dei colendi rationes; novos
 ex infima plebe & inordinatos Sacerdotes creauit;
 loca deniq; noua in quibus Deus coleretur insti-
 tuit. Timorem siquidem non improbabilem concepe-
 rat, si statis anni temporibus secundum legem Dei ad
 templum Hierosol. populus ascenderet Sacrificij im-
 molandi aliasq; legis ceremonias peragendi gratia,
 ibiq; cum altera parte populi & Sacerdotibus societa-
 tem contraheret, illisq; vt par erat, in rebus Religionis
 ac conscientia auscultaret; fore vt tandem ad Salomo-
 nis successores rediret, vel saltem multum ad eam re-

conciliationem moueretur. Illud etiam videtur rex ille suspicatus, si populum sibi in rebus tantum ciuilibus haberet obtemperantem, esse se non perfectum sed inchoatum, & (vt ita loquar) dimidiatum quendam Regem, non aliter quam Protestantes nostri (vt illi nequiter adulentur, cuius interitum moliuntur) de veteribus Angliæ & aliarum Prouinciarum Catholicis Regibus prædicare solent, eos non nisi dimidiatos Reges in suis regionibus fuisse, si eorum potestatem cum regali huius *Augustissima* Maiestate longè lateq; patente, & infra suum ambitum omnes causas non minus spirituales quam temporales, non minus diuinas quam humanas complectente comparemus.

Ita quidem *Ieroboam* secum ipse deliberabat; ita quod deliberauerat cōfecit. Nec dubiū est quin propterea a suis *Politicis* tanquam præstantis ingenij & magnæ prudentiæ Princeps vehementer fuerit commendatus. Verum quod ab eo prudentissimè factum videbatur atq; ad sui status confirmationem vtilissimè; illud breui post tempore ad totius familiæ ruinam populiq; perpetuam calamitatem cōuersum est. id quod & Dei Propheta prædixit, & euentus ipse paulò post comprobauit.

3. Reg.
ca. 12. 13.

*Humana
prudentia
quæ Christo
se opponit,
mera est
stoliditas.*

Siquidem politica filiorum huius seculi astutia, si cum vera piorum hominum sapientia conferatur, potissimum cum veræ virtuti & saluti animarum opponitur; semper manca est & imperfecta, tandemq; in meram fatuitatem desinit. Nunq̄ autem eius imbecillitas apparet euidentius, nec pestis quam suis sectatoribus affert magis est perspicua, quam vbi contra ipsius Dei sanctissimas leges dimicat, vbi diuini spiritus ac veritatis ipsius potentiam labefacere, & Christi sp̄sæ eiusq; regni ac Sacerdotij statum & firmitatem laborat conuellere. Sic enim *Babylonica* illa turris a *Gyganibus* ædificari cæpta, perfici non potuit. Sic consiliū *Achitophelis* dissipatum est; *Herodisq;* crudelissima fraus qua

Gene. 11.
2. Reg.
17.

Chri-

Christum in cubis occidere machinabatur ne regnum
 ipsi postea eriperet, auctori nihil profuit. & Iudeorum
 consultatio qua in Christi mortem sceleratissime con-
 spirarunt, ad statum patriamque suam a Romanorum in-
 cursione liberandam, consultoribus ad ultimam ipso-
 rum stragem & internecionem cessit. Experimento di-
 dicit Saulus quam sit *durum, contra stimulum calcitrare.* Act. 9.
 Exclamavit Iulianus Apostata, *vicisti Galilee,* (sic enim
 per contemptum homo nefarius Christum Dominum
 appellabat). Denique verissimum illud est a Sapiente di-
 ctum. *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium*
aduersus Dominum. & a Propheta, *Non est pax impijs, dicit*
Dominus. Theodo. Eccl. li. 3. ca. 20. Pro. 21. Esa. 57.

Ex quo efficitur illos denique Principes populosque
 vere esse utroque in saeculo & hoc mortali & altero im-
 mortali beatos, eorum tantum statum legitimum esse
 ac diuturnum, qui sua sceptrum Christi imperio submittere
 fideliter sunt edocti; suaque regna ac republicas cum sa-
 cerdotio sanctissimaque sponta illius coniungere, *per quae*
Reges regnant; & de cuius Ecclesia olim Propheta ceci-
 nit, idque verissimum esse omnium aetatum experientia
 ostendit, *Gens & Regnum quod non seruiert illi, peribit.* Hac
 qui non audierit, necesse est nobis ut sit *tanquam Ethnicus &*
Publicanus. Eam qui spernit, eiusque pastores contemnit,
 Christum ipsum spernit, Deum ipsum contemnit. Quicumque
 illius auctoritatem in rebus praesertim fidei ac Reli-
 gionis recusant, Regemque potius eligunt qui & corpo-
 ribus & animabus regendis praesit, illi profecto non
 tam Christi sacerdotes, quam Christum ipsum a se re-
 pellunt; contra Christum dico ipsum insurgunt, ne quic-
 quam in eos habeat imperij & auctoritatis. Denique
 quisquis quod Dei est reddit Caesari, ac saecularium
 Principum temporalem celsitatem Sacerdotum noui
 Testamenti potestati spirituali ordine praeposito ante-
 reponit, Dei profecto ordinationi resistit; & aliquan-
 do tandem re ipsa experietur (quibuscumque interim hu-
 Nulla ref. pub. felice & diuturna sine religione Catholica. Prouer. 8. Esa. 60. Mar. 18. Luc 10. Vide 1. Reg. ca. 8. & 10.

manis artibus, quacunq; prudentia & potentia suas partes ad tempus sustinuerit) temerè admodù atq; inconsideratè in hanc se arenam descendisse.

Inexpugnabilis petra Rom. Ecclesia.

Domus si quidem quam oppugnant, supra firmissimam & inexpugnabilem petram est ædificata, quam nullæ tempestates, Paganæ vel Hereticæ externæ vel domesticæ persecutiõnis, nulli vëtorum imbriumq; turbines, nullæ fluminum inundationes poterunt demoliri; imò aduersus quam *nec porta inferi praualebunt.*

Mat. 16.

Ac ne forte *Nemrothi* isti, nouiq; Gygantes Euangelici perperam dicta nostra interpretentur, seq; ipsos in insana hac contra Ciuitatem Dei dimicatione fallant, ex D. Augustino intelligant *Romana Ecclesia Sedem & successiõnem*, illam esse *Petram* quæ ita diuino præsidio cõmunitur, vt nullo modo possit expugnari. Sic enim

Aug. in psal. contra partē Donati.

scribit. *Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, & in ordine illo Patrum quis cui successerit videte. Ipsa est petra, quæ non vincunt superba inferorum porta.*

Luc. 20.

Electi ad hoc ædificium lapidis angularis ea est vis ac natura, vt *super quem ceciderit comminuat eum, & qui super eum ceciderit conquassetur*, quemadmodum Prophetarum Christi q; ipsius testimonio constat. Nec modò

Luc. 22.

Ephes. 4.

verum est nunq; *deficere fidem Petri*, perpetuâte nimirum eam iuxta promissum suum Christo Domino, sed & Apostolicum Ecclesiæ regimen Spiritu Sancto diri-

Rom. pontifices contra Rom. Imperatores praualebunt.

gente, ad finem vsq; sæculi permanere: quod iam olim Ethnicos Imperatores omnes patientia sua constantiaq; superauit. contra quos, Sacerdotij Christi in teris thronum, fideiq; ac Religionis tribunal summum, Deus ipse prouidentia sua collocauit, & omnipotente dextera cõtinuauit in ipsa Imperij arce, aliquot annorum centenarijs post Christi ascensionem. quamuis interim Imperatores Romani, omni & ingenio, & arte, & prudentia, & etiam crudelitate contenderent ad eam *Romana Sedis successiõnem* radicitus extirpandam. Quia & ea ætate, Monarche illi amplissimi, Romanos

Episco-

Episcopos licet miserrimos & afflictissimos magis formidabant, eosq; in Ciuitate Romana molestius ferebant, quam alium quemcunq; potentissimum imperij sui æmulum vel competitorem; vt de *Decio Imperatore ac Cornelio Pontifice* scripsit D. Cyprianus; qui quidem Pontifex, vt & cæteri illius antecessores, hac de causa martyrium passus est.

Cyprian.
Epist. 52.

Eadem etiam promissione sanctiq; spiritus præsidio fulta, hæc *Sedes* præfligauit veteres omnes hæreticos & hæresiarchas longissimo interuallo. Protestantibus istis, & aũthoritate, & potẽtia, & eruditione præcellentes; quorum etiam partes propugnabant non pauci certarum prouinciarum Reguli, sed Imperatores orbis terrarum, qui non minori atrocitate Episcopos, Sacerdotes, aliosq; per vniuersum Imperium Romanũ Catholicos persequebatur, q̃ Protestantes modò principes quidam in suis territorijs eosdem affligunt. Deniq; hæc *Sedes* omnes difficultates, omnes tempestates, omnes fluctus, scopulosq; domi & foris præteruicta, in hodiernum diem firmissimè stat (frustra committante, & sudante, & coniurante, & terras inferosq; commouente toto Apostatarum grege) omnibusq; virtutis & solidæ gloriæ ornamentis est florentissima. Nulla vnq̃ memoria eam Catholici Reges magis dilexerunt & honorarunt; nunq̃ eam obsequentes Ecclesiæ filij studiosius coluerunt; nunq̃ desertores & hostes eam vehementius timuerunt. Id quod inter alia multa obstinatus iste furor ostẽdit, quo nunc quidam in Anglia nostra miseranda correpti, non tam seipso fuso tot innocentium hominum sanguine saluos præstare putant, quam abiectissimè & seruili planè animo, de Romana Sede vindictam aliquam sumere, & odium suum inueteratum in eam aliqua ex parte saturare. quam illi Sedem diuinæ aduersus ipsos iustitiæ ministram quandoq; futuram, deserteq; fidei ac Religionis Catholicæ penas ab eis exacturam, non sine causa pertimescunt.

Romana
Sedes veteres omnes
hæreticos
& persequutores
denicit.

Insatiabilis
Anglorum
furor erga
Rom. Sedem
quam etiã
valde formidant.

Verentur enim ne fulmen illud Excommunicationis toties ab ipsis renouatum, quemadmodum in alijs provincijs nunq̄ euasit irritum, ita in Anglia, vim suam aliquando sit habiturum; quamuis paucorum annorum pace ac prosperitate elati adultores quidam, domi populo omnem securitatem polliceantur, paucisq; magistratis Sacerdotibus, in portu se nauigare clamitēt. Qui quidem si malis his remedium verum quærunt, cum omnia circumspexerint, nullum sine quæstione inuenient aliud, quo charissimam patriam ab interitu non spiritali modò verùm etiam temporali liberēt, quàm si humili penitentia ab Ecclesia Dei veniam supplices deprecentur.

Quamuis enim Ecclesiasticos omnes atq; Catholicos e mundo exterminare possent, aut si ipsum Pontificem suis in carceribus captiuum tenerent, vt de eo pro sua voluntate sententiam possent ferre; imò quamuis tot Romanos Pontifices possent e medio tollere quot occiderunt Sacerdotes, & quot illorum maiores, veteres intelligo fidei Christianæ hostes, interfecerūt Martyres; nunq̄ tamen victoria potiri, nunq̄ vlticem omnipotentis Dei manum possent effugere, qui sui numinis contemptum, hereses, schismata, & apostasias, tandem grauissimis supplicijs vindicat. Quemadmodum nos ipse in sacris literis apertè monet cum ait, *Ne dixeris peccavi, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim patiens est redditor. Reddit enim Deus, sed patienter admodum; & tum, vt scribit D. Augustinus, tarditatem supplicij grauitate compensat.*

Eccles. 5.

Deus patiens redditor.

Hereses quam fuerint & sint regnis omnibus calcantose.

Neminem latere arbitror in veterum monumentis vel mediocriter versatum, quantam toti Africæ vastitatem infelix Donatistarum secta attulerit. quomodo Arrianorum hæresis post tot tantosq; tumultus toto pene orbe concitatos, tandem in Mahometis perfidiam defierit. quemadmodum Orientalis Ecclesiæ a Petri Sede separatio, plurimas illius clarissimas olim provincias

tuncias in miserrimam corporis atq; animi seruitutem
 adduxerit. Nec minus euidens est in quas angustias &
 extrema pericula, nobilissimum *Gallia* regnum, *Germa-*
niaq; ac *Polonia* & *Belgij* respublicæ valde aliquando flo-
 rentes, imò & pleræq; omnes septentrionales Prouin-
 ciæ nobis finitimæ, pestilenti hæresis istius contagio,
 & scelerata sectatorum eius prodicione coniectæ sint.
 Quarum miseriarum attentæ consideratio ita nos affi-
 cit, vt sine lachrymis de *Anglia* nostræ infelicitate &
 terroribus qui eam circumstât; nec sine horrore maio-
 ri ad futuras eius calamitates animum intendere possi-
 mus, cum illud ex Regni nostri monumentis perspicuū
 sit, nullam esse nationē aliam quæ crebriores Reipub.
 totius mutationes subierit; neq; verò vnq̄ huiusmodi
 aliquam violentam mutationem accidisse, nisi quam
 notabilis aliqua Ecclesiæ Christi contemptio præces-
 serit. Id quod ex plurimis quæ passi sumus incommo-
 dis, & aliorum populorum in nostrum regnum incur-
 sionibus ac victorijs patet; atq; ex ijs etiam quæ *Gil-*
das ille *Sapientis*, ac *venerabilis Bedæ*, alijq; viri prudentes
 literarum monumentis commendarunt, quæ breuita-
 tis causa prætermitto.

Illud vnum memoriæ sempiternæ mandandum est;
 quādo *Angliæ* Reges cum Romanis Pontificibus mu-
 tuis amoris ac benevolentia honorisq; officijs con-
 iuncti vixerunt, Ciuilisq; magistratus cum spirituali
 Ecclesiæ Christi Republica suisq; Pastorib⁹, pace, cha-
 ritate, & Christiana animorum vnitate permansit col-
 ligatus; tum demum fælicem & victricem fuisse *An-*
gliam nostrā, & bonis omnibus cum spiritualibus tum
 etiam temporalibus, diuini numinis largitate copiose
 circumfluētē. Adeo vt vel sola eorum beneficiorum
 recordatio quæ ex tam salutari cum Ecclesia Christi
 conspiratione in nos manarunt, mirifica quadam vo-
 luptate animos nostros posset perfundere, nisi acerbis-
 simus præsentis calamitatis sensus in quam impia hac

Apostasia incidimus, & illud & alia omnia in luctum atq; dolorem non consolabilem conuerteret.

*Quæ cōmo-
da & ho-
nores An-
glia Catho-
lica religio
contulit.*

*Fructus
quos patria
nostra he-
resis attu-
lit.*

Hoc certè sine controuersia verum est, & a nemine negari potest. Quicquid Anglia ad gloriam rarum ac singulare possidet in ecclesijs, in ciuitatibus, in academijs, collegijs, scholis, monasterijs, bibliothecis; quæcunq; fuerunt ornamenta Reip. nostræ, quæ inter cætera Europæ regna nequaquã postremum obtinuit locum; ea simpliciter omnia, Catholica religio procreauit, Catholica religio peperit, Catholica religio perfecit & absoluit, potissimum vero illustres & sancti nostræ Nationis episcopi. Quemadmodum itè quicquid veræ pietatis, iustitiæ, religionis, fidei ac conscientiæ, pietatis ac timoris Dei, quicquid pacis, quicquid obedientiæ, quicquid veritatis & honestatis eluxit in vllò hominum genere, illud totum quantumcunq; fuit, nulli alij causæ attribuendum est, quàm piæ disciplinæ, potenti doctrinæ, multiplici gratiæ, & diuinis Ecclesiæ Catholicæ sacramentis. Sicuti ex aduerso, quorundam annorum experientia illud cōfirmavit, hanc bonorum operum, probitatis, & honestatis inopiam, hanc auaritiæ, libidinis, periurij, sacrilegij, & aliorum scelerum omnium abundantem & exuberantem copiam, a Protestanticę doctrinæ præconibus non solum inutilibus, sed etiam pestiferis & exitiosis profluere. Qui occupatis per vim ac fraudem optimorum Ecclesiæ prælatorum Sedibus (quæ nec ab ipsis, nec pro ipsis vnquam erant institutæ) miserabilem ruinam ac vastitatem Ecclesiastici status monumētis tota fortasse Europa pulcherrimis attulerunt: sublatoq; tremendi Sacrificij quotidiano vsu, & antiquata peccatorum confessione, castitate, fide, obediētia, humilitate, omni deniq; morum vitæq; honestate, mortiferum suæ ab Apostolica Sede defectionis & nefandi schismatis fructum satis superq; ostenderunt.

Hoc autem vt ad lectoris memoriam reuocemus, faci-

cit insolens & importuna aduersarij nostri iactatio, qui iterum atq; iterum ad nauseam vsq; inculcat felicitatem Reipub. Anglicanæ post hūc ab Ecclesia Catholica discessum, præsertim verò (inquit iste) *post Pontificias execrationes & fulmina, nunquam enim copiam omnium rerum ad nostram voluntatem affluentium fuisse vberiore.* Nihil homo miser totus in terrenis fordibus demersus, de populi sanctimonia, de religione, conscientia, fidelitate, bonitate loquitur: hanc enim virtutum comparationem si fecisset, omnes, ipsi etiam Protestantes testarentur, tam incredibiliter hanc ætatem a maiorum suorum integritate degenerasse, vt sine magno dolore commemorari non possit. Nunq̄ enim in Anglia, tanta omnium scelerum colluuius extitit; nunq̄ tanta iniustitia, nunq̄ tam iniquæ hominum bonorum oppressiones, latrocinia nunquam plura, libido nunq̄ effrenatior, luxuria nunq̄ profusior, superbia, infidelitas, periurium, simulatio & dissimulatio nullo vnquam tempore tam impunè & impudenter grassata sunt. Et tamen profanus iste Diagoras quasi præter caducam hanc & terrenam vitam de alia aliqua nihil profus resciret, varijs in locis sui insignis libelluli repetit suorum in hac vita prosperitatem, *Nunquam vixisse cives in ampliori & securiore pace, vel ad maiores numeros excreuisse, vel morbis oblanguisse minus, vel opibus & diuitijs firmiores fuisse; ipsum etiam terræ solum nunq̄ maiorem fructuum vim & copiam peperisse, quàm post hac immissa in Regnum Pontificia fulmina.* Non aliter quàm scelestissimus ille tyrannus Dionisius cum templa multa expilasset, & mox nauim conscendens secundo vento nauigaret, *videtis* (inquit) amici, quàm bona a Dijs nauigatio sacrilegis detur. Eodem profus modo vir iste gloriatur, Regnam Angliæ fuisse regnis suis, tot vsq̄ annis persfruentem, quot quatuor simul Pötifices Rom. vix compleuerunt, quintuplo autè superasse tempus Maria regina, idq; tam prospere, nihil vt videatur ad se posse ad tam diuinam felicitatem; sic ut maximi Christiani

Iustit. Bri.
pa. 54.

Principale
aduersarij
argumentū
pro religio-
ne Angli-
cana.
Ibid. pa.
54.

Cic. de
Nat. Deo-
rum,

Iustit. Bri.
pa. 50. &
43.

Oēs Christiana potestates adoret fortunā Regina Angliæ. reges nullam sibi iniuriam factam putēt, si fortuna eorum cum eiusdem felicitate comparentur; quidam etiam rectè secum actū existiment si inferiore etiam in gradu collocentur: nihil ut causetur sit, cur omnes potestates Christiana, non modò tuendum sibi tam expressum diuini iudicij in Regina nostra exemplum, sed & suspiciendum quodammodo & eximio quodam cultu venerandum sibi proponant.

Quas impuri hominis profanas cogitationes, & comparationes extra modum odiosas, absit ut Regina ipsi, vel prudentibus eius Consiliarijs tribuamus. Multò enim magis sine dubio prudentia valent, & consideratiùs istarum rerum fragilitatem ponderant, quàm ut paucorum annorum dominationem Regiam, aut alià quamcunq; terrestrem felicitatem tam pueriliter admirentur; quasi vel ipsa de se Regina propheticum illud vsurpare velit; *Sedeo Regina, & vidua non sum, & luctum non videbo*: vel sapientes eius Consiliarij hanc illius prosperitatem obstupescētes, illi applaudere, & (ut olim populus Herodi immensa superbia inflato) succlamare, *Voces Dei non hominis*. Cæterum absit a nobis longissimè, ut de istis tam barbarè existimemus. Neq; enim ignorant quæ mox in Herode, Dei iudicia sequuta sunt; neq; quod a Sapiente scriptum est, *Anse ruinam exaltatur spiritus*. Nec eos latet quanta sit rerum humanarū varietas & inconstantia; quàm repentini hominum felicissimorum in miserissimam cōditionem lapsus. Legerunt opinor de Polycrate Samiorū Rege, qui cūm extraordinaria quadam prosperitate frueretur, ab amicis quibusdam præsertim vero ab Ægypti rege admonitus est, ut sponte sua ipse sibi infortunium aliquod aut calamitatē accerferet, quia fieri vix poterat, quin illa tam diuturna felicitas miserabili tandem casu terminaretur; id quod euentus quoq; declarauit. Quod exemplum in simili fortunæ secundæ cursu s. Grego. Nazianzenus diligenti meditatione dignum esse prædicat; qui etiam aptissimè, *mundum hunc vniuersum per*

per circulum quēdam gubernari ait, iuxta illud scriptura sancta; Potentes de sedibus deponit, & insuspicabilem diademate ornat. Deniq; B. Augustini sententiam (vt opinor) non improbabit, qui Christiano homini nihil periculosius affirmavit, quā diuturnam in continua prosperitate vitam agere.

Idem orat.
3. adversus
Julianum.
Eccle. 11.

Quamobrem tota ista inanis & magnifica ostentatio non aliunde quā ab authoris huius petulanti vanitate proficiscitur, qui videtur eūdem habere animū; cum hominib⁹ infimis & Mysorum postremis; qui iuxta Prophetam beatos eos existimant, quorum promptuarum sunt plena eructantia ex hoc in illud, oves fetosae abundantes in egressibus suis, bouesq; crassi: cum non est ruina maceris, neq; transitus, neq; clamor in plateis eorum. At qui verē Christiani sunt, longē alia lance veram felicitatem ponderant, & cum eodem Propheta dicunt, *Beatus populus cuius Dominus Deus eius*, sine quo & cuius extra domum, (quae est Ecclesia) omnis humana felicitas nihil est aliud quā grauioris damnationis materia; eaq; si extraordinaria fuerit, magnum profecto sempiterni interitus argumentum.

Egregia
adversarij
vanitas.

Psal. 143.

Ibidem.

Neq; tamen velim quenquam hęc ita interpretari, quasi terrenam istam rerum abūdantiam & copiam, siue in priuatis hominibus, siue in publicis rebus, inter præclara Dei beneficia non annumerem: nec quasi ex altera parte arbitrer hanc secundam paucorum annorum fortunam, cum constanti gloria & longē diuturniore patrum nostrorum felicitate, vllō modo esse comparandam. Sed illud tantū volo, ex his fortuitis casibus, nullum vel certū vel etiam probabile argumentum diuini fauoris erga fortunatos posse deduci. cum ista mundana commoda bonis cum improbis, religiosis cum infidelibus, & Turcis cum Christianis sint cōmunia; imō frequentius prouidentia diuina in homines deteriores conferuntur. Sæpe enim in hac vita *Lazarus mala recipit, & diues epulo bona*. Sæpe tyranni trium-

Luc. 16.

Iere. 52.
1. Mac. 1.
2. Mac. 5.
Ibi. ca. 6.

phant de populo Dei & ciuitate sancta. Sæpe Antiochus diripit templum Dei, sanctum sanctorum; & manubias a veris Dei cultoribus ablatas amandat in regnū suum: quum interim fideles in hac afflictione, magnam Dei misericordiam cognoscant & prædicent. Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficij est inditium. Non enim sicut in alijs nationibus Dominus patienter expectat, ut eas cum iudicij dies aduenerit in plenitudine peccatorum puniat; ita & in nobis statuit &c. Et tamen hoc argumentum a rebus secundis sumptum, Libelli huius auctori valde theologicum visum est, quo plebi nihil ferè nisi præsentem hanc vitam & eius voluptates, commoda, & iucunditatem consideranti persuaderet, Deum ipsis mirabiliter fauere; eorumq; multiplices hæreses & teterrimam Apostasiam esse cultum illi gratissimum.

Examina-
tur, vitum
Anglia in
mundana
aliqua sit
prosperita-
te.

Cæterum vt insolentē hominis vanissimi gloriatio-
nem plenius reprimamus, respondemus simpliciter nõ
eam esse Angliæ nostræ felicitatem hoc tēpore, quam
iste nostratibus qui domi sunt rudioribus, & externis
hominibus nostrarum miseriarum ignaris ostentat.
Nam tametsi perpauci si cum alijs conferantur (ne-
quaquam certè tertius quisq; in toto Angliæ regno)
ita se ipsos conformarunt ad præsentem temporū con-
ditionem, vt compressis conscientie stimulis, negle-
ctaq; religionis cura, ad participandas quæ offeruntur
opes & voluptates sese accommodent; & innumerabi-
libus Catholicis honestissimisq; viris spoliãdis seiplos
locupletent, ideoq; statum hunc terrestrem quendam
Paradisum existiment, quando suas tantum sentiunt
utilitates, aliorum autem non sentiunt incommoda: nos
tamen qui exploratè cognoscimus, multò maiorem
regni partem cuiuscunq; generis & ordinis, afflictam
esse, vastatam, exinanitam bonis omnibus, & cum ipsis
posteritatem quoq; totam extremis miserijs percul-
sam & prostratam, vt ex eorum ruinis adit^o fiet alijs
ad hanc

ad hanc fælicitatem de qua vir iste tantopere triũphat; non possumus non apertissimè contestari totum Reipub. nostrę corpus, nunquàm generatim ullis temporibus calamitate horribiliori fuisse oppressum.

Primùm enim vt de ordine Ecclesiastico loquamur, qui & fuit semper, & nunc etiam est, vbicunq; locum suum tenet, & in omni certè Christiana Reipub. esse debet, honore & dignitate primus; quiq; in nostra patria, siue numerum spectes, siue eruditionem, siue prudentiam, siue aliquam quacunq; excellentiam, nulli profecto totius Europę Clero concedebat: hic ordo penitus est deiectus & obtritus. euersi bonis omnibus & honoribus Episcopi ceteriq; Prælati, alij cõtrusi in carceres, alij in exilium pulsi, ad vnum omnes fere arumnarum longitudine ac magnitudine consumpti. Isti igitur tot tantiq; viri, quibus & Deus, & natura, & natales etiam sui destinauerant aliquam partem huius adeo in immensum prædicatę fælicitatis, nullam eius particulam gustant; sed propter solã conscientiam & veritatis confessionem, quam veluti sacrum quoddam *depositum* a maioribus sibi commissum acceperunt, terrenam fælicitatem omnem perdiderunt; & vel iam olim vita defuncti sunt, vel tot annos calamitosos transegerunt, quot illi prosperos ac iucundos duxerunt, qui eorum occuparunt loca; verè *filij huius seculi qui nubunt & nubuntur*, carnales nimirum & inordinati Apostatę, Ministriq; abiectissimi, qui aliorum Sedes adepti, hanc fælicitatem non iniuriã commendant, qua fit vt veri Domini in miseria & mendicitate contabescant, dum latrones de eorum bonis iniustissimè partis luxuriantur. Qui tamen si aliquid in se honestatę indolis aut generosi spiritus haberent, secumq; perpenderent, quam carè tum Pseudoepiscopi episcopatus, tum reliqui inferiores sua (quæ vocantur) ecclesiastica beneficia compararent, quantum præterea de veteribus fundis & censibus decerpatur, quàm varijs

*Veteres
episcopi &
clerici Ca-
tholici,
quàm mi-
seri.*

1. Tim.
6. 20.

Luc. 20.

*Novi Su-
perintenden-
dentes.*

*Secunda
Admonitio
ad Parla-
mentum in
præf. &
p. 20. 23.
24. 32.
55.*

annuatim pensionib⁹, decimis, subsidijs, gratuitis muneribus, necessariò tamen perfoluendis exhauriantur; quàm seruiliter viuât obnoxij plerisq; Aulicis, & multis ex media vel infima sæpenuerò nobilitate; nunq̃ ita insolenter fortunas suas efferrent. nisi quòd hominib⁹ huiusmodi, *Omnis panis dulcis est*; & qui ad integras episcoporum possessiones, imò ad vnum tertium ius sibi nullum fuisse cognouerunt, laute & liberaliter se tractatos putant, si partem aliquam quibuscunq; modis potuerint inuadere.

Diuisio Anglorum quoad religionem.

Calamitas semi-Catholicorum, id est, qui mente sunt Catholici, hereticorum tamè congregationes addeunt.

Sed vt hos mittamus, & ad alteram Reipublice partem oculos conuertamus, omnesq; hominum secularium ordines per vniuersum regnum animo ac cogitatione lustremus, multis magnisq; argumentis ac coniecturis perspiciemus ita affectam esse Rempub. Anglicanã, vt ea si in tres partes distribuatur, vna fortasse varijs Protestantium generibus poterit assignari, due verò vt minimum ad Catholicam fidem voluntatis inclinatione propendent, atq; idcirco huius Anglicanæ felicitatis suauitatem nullam percipiunt. Ex quo Catholicorum numero etiam si permulti mundanis curis impliciti, vel legum terrore coacti, religionem suam dissimulant, & hæreticas Ecclesias frequentât, tamen quia varijs modis cognoscuntur eorum voluntates & intimi sensus, propterea apud Protestantes in magno sunt odio & diffidentia; & sine existimatione, sine dignitate, sine gratia, multis cum iniurijs viuunt ignominiosè; eorum facta curiosè obseruantur, cum quibus agunt, quid moliuntur; adeo vt isti in perpetua solitudine degant. Quoad conscientias vero multò sunt infeliciores, dum in nouæ huius fidei articulos absurdissimos, verbi gratia, Regiæ Regalia, Primatum Ecclesiasticum, & alia permulta iurare coguntur, quæ illi falsa, impia, & in religione Christi planè monstra esse firmisimè credunt; dum necessitate adducuntur vt corrupta illa Sacramenta accipiant, quæ eorum conscientia

tia vel maximè auersatur, quæq; venenata & verè mortifera esse norunt tum animabus suis, tum etiam amicorum charissimorum qui in illorum gratiam istud Sacramentis communicant; dum inuita conscientia perditissimos illos Ministros audire & conducere compelluntur, qui nihil aliud quotidie legunt, loquuntur, concionantur, quàm meras blasphemias in Christi Vicarium, Ecclesiam, Sacramèta, Sanctos, & quicquid omnino in cælo & terra est sacrosancti. Deniq; dum non solùm in hac anxietate lamètabili, propter legum acerbitatem viuunt, sed etiam (quod est omnium miseriarum caput) in hac conscientia carnificina extremum sæpenumero spiritum effundunt. Quare isti, vt perspicuum est, prorsus expertes sunt huius beatitatis de qua agitur; imò verò in maximis angoribus vitam ducunt, optantq; crebrò multis cum lachrymis (cuius ipsi auriti & oculati testes sumus) vt Regina medietae suorum honorum contenta, liberum eis sanctorum Ecclesiae Sacramentorum vsum quamuis occultum & clandestinum concederet. Neq; rarò timiditatem suã deplorant, vxorumq; & liberorum fortunam, quorum naturali charitate impediti, vt necessarium eis præstèt auxilium, inuiti quodammodo & reluctantes in tam pestilenti schismate viuunt.

De sinceris verò ac constantibus Catholicis quid dicam? quorum maxima est in vniuerso regno multitudo, mirificeq; in dies, Deo seruorum suorum laboribus cooperante augetur; qui quum probè intelligant non satis esse vt quis corde credat ad iustitiam, nisi etiam cum tempus est, ore confiteatur ad salutem; Christumq; audiunt dicentem, *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor eum coram Patre meo qui in cælis est. qui autem negauerit me coram hominibus, negabo ego eum coram Patre meo*, hij certè qui non minimam Regni Anglicani partem efficiunt, & in varia genera dispersiuntur, nonnullos summæ nobilitatis heroes; multos admodum

Coditio lamètabilis.

Verorum Catholicorum summa miseria.

Rom. 10.

Mat. 10.

honoratos, illustres, locupletes; reliquos optimos & honestissimos, omnibusq; illis apud quos versabantur charissimos; horum nec vnus aliquis istam aduersarij singularem fœlicitatem vel extremis (quod aiunt) labris degustauit. quin potius multos iam annos tantas miseras, damna, & detrimenta sunt perpeffi, vt ea nullius lingua, nullius oratio possit exprimere; nec nos fratresq; nostri vel minutissimam eorum partem, vllis adhuc literis, epistolis, picturis, & imaginibus sumus assequuti.

*Infinite
Catholico-
ris in An-
glia affli-
ctiões.*

Quod si Catholici omnes in Europa fratres nostri ea possent mente & intelligentia complecti, quæ sancti isti Confessores factis & opere quotidie experiuntur, nosq; ipsi persæpe oculis nostris intuemur, equidem non dubito quin pro nostro adeo miserabili statu vim quandam lachrymarum profunderent, assiduisq; precibus (quod & illos facere speram⁹) misericordiam diuinam nobis implorarent. Si carceres omnes teterrimos Catholicis hominibus refertos, si vincula, si compedes, si equuleos, si inusitata hominum cruciãdorum instrumẽta per vniuersum illud regnum in Catholicis excarnificandis occupata cernerent, si formam eos ad tribunalia adducendi inter homines perditissimos & maximè infames contemplarentur; si quàm multi fame, inedia, & pædore carceris sint consumpti, quàm multi palàm crudelissimè necati, quàm multi post bonorum publicationem ad perpetuos carceres damnati, quàm multi funditus exhausti vel miserè spoliati, dũ pro *singulis Missis auditis, centum marcas* Reginae persoluant; quàm multi viri aliquando nobiles, aut aliàs pecuniosi, ad extremam sint mendicitatem redacti, dum annuatim *ducentas sexaginta libras Anglicanas* Reginae pendunt, eò quòd *hæreticorum Ecclesias & conciones adire recusant*; quàm multi facultates omnes totamq; hæreditatem paternam amiserint, quia religionis causa Angliam deseruerunt & in alias regiones profugerunt; quàm

222. coronat. & paulo amplius.

866. coron.

quàm multi in varijs regni prouincijs, ijq; valde diuites & maximè erga pauperes benefici, suis ex ædibus, exploratorum, liëtorum, apparitorum improbitate eieëti; quàm multi in locis incognitis peregrinantur, compulsi sæpenumero in syluas, in montes, imò in paludes, vt insequentium hæreticorum furorem euadant; quàm multa amantissima coniugatorum paria alterutriuſq; fuga, exilio, aut captiuitate inuitissimè distrahantur, q̄ multæ perhonestæ familiæ hac ratione prorsus dissipentur, quãtam ad pauperiem redacti liberi, quantus numerus hac eadem necessitate extra patriam pulsus, vel ad incerta variorum bellorum pericula desperatè ruat, vel maturiùs de statu suo deliberàs, ad Seminaria, Academias, vel alia studiorum aut Religionis loca se conferat, ne tantas parètum, fratrum, familiæq; suæ ærumnas oculis contueatur (labyrinthum quendam ingressus sum lector, vel potius immensum pelagus, vnde me nunquàm expediam, si omnia velim enumerare genera mortis, tormètorum, afflictionum, quibus nostrates Catholici ij qui meliore sunt loco, domi in dies, imò & in horas conficiùtur) hæc si cuiusquam oratione possent particulatim & ad lectoris intelligentiam euidentè describi; faciem nobis inferni cuiusdam horroris repræsenterent, potius quàm diuinę illius felicitatis, cuius adeo crebra mentione vir iste lectorum aures obtundit. Inferioris verò conditionis homines, agricolæ atq; opifices (quo in genere Catholici sunt penè innumerabiles) cum pares nõ sint soluendo impiam illam mulctam quæ pro Missis auditis penditur, multò minùs numerare possint illam grauiorem menstruam summam, quæ a Catholicis Protestantium cõgregationes adire recusantibus exigitur; isti barbarè & crudeliter per publicas plateas flagellis conciduntur, quod & alijs in locis, & nuper in Ciuitate VVintnienſi, multis fortissimis Cõfessoribus factum est. Nonnullis aures candenti ferro perforantur, alijs penitus

*Ioã. VVest-
by vir ho-
nesto loco,
hybernum
fere diem
totum in
palude au-
rium tenuis-
sare, &
sape caput
immergere
coactus est,
vt se a per-
sequentiori-
bus occul-
taret.*

abscinduntur, alij alia tormenta inusitata inferuntur, Et in hunc modum pleriq; omnis ordinis ac sexus Catholici immaniter excruciantur.

At ordo ille, quem in partitione nostra fecimus tertium, *Protestantes* vix, nihil sub istis Rectoribus ad perfectam felicitatē deſyderāt. Ita quidem videri poſſet, & eſt fanè admodum credibile; ſed tamen vt veritas eluceſcat, & vera ratio Anglicanæ gubernationis melius percipiatur, paucis iſtorum conditionem attingemus. Iſti autem *Proteſtantes* cum ſint in duas ſectas fere æquales diuiſi (minores enim ſectulas permultas ex vtriſq; enatas præteriemus) quorum alij vulgari religione quam primum Regiæ Parliamentum ſtabiliuit contenti, nihil inquirunt vltius, ſed in ea fidem ſuam & ſpem (ſi quam habent) ſalutis æternæ collocant, vnde *Proteſtantes parlamentares* non iniuriâ dicuntur; alij verò eam religionem vt impuram & contaminatâ, & tanquàm Chymeram quandam aut Minotaurum, partim diuinam partim belluinam, ex multis articulis bonis & Euangelicis, pluribus autem impijs & Antichriſtianiſ cōflatâ abominantur, iſti *Proteſtantes* qui propter puritatem quam præ ſe ferunt vocantur *Puritani*, & melioris putantur eſſe conſcientiæ & maioris zeli, qua tandem beatitudine perfruuntur? Qui multis iam annis conteſtati ſunt, eam religionem ad quam amplectendam legibus deuinciuntur, continere errores aperte intolerabiles, & manifeſtam defectionem à Chriſto; qui a nouis iſtis *Magiſtratibus* non aliter quàm a *Pontificibus Romanis* uerbum Dei clamitant eſſe circunciſum & alligatum, vt nihil ex eo proferri poſſit quod iſtorum placitis aduerſatur; qui prædicant *Sacramenta* eſſe impiè corrupta & profanata, ſtatas in Eccleſia preces nihil continere niſi fedos abusus, varias ac impias battologias, mendacia aperta, ſtoliditates vel manibus tractabiles, aliaq; multa cum ſcripturis diuinis pugnantia; *Papæ Romani* nomen ſolum mutatum eſſe, cum authoritas eius tranſlata ſit ex Italia in Angliam, a Rom. Pōtifice

*Proteſtantiū
in Anglia
duæ ſectæ
notiores.*

*Nona Ang-
lorū reli-
gio, Prote-
ſtantibus
iſtis qualis
videatur.*

*Proteſtantiū
puriori de
ſuis miſerijs
querimonia.*

*Secunda
Admonitio
ad Parla-
mentum.
In præſa-
tione.
Ibi. pa. 7.*

*Pa. 42.
Pa. 14. 38.
39. 40. 41.*

tifice ad Cantuariensem Archiepiscopum, reliquos sub eo
 Pseudoepiscopos omnes, meras esse reliquias seminis Antichri- Pa. 34-35.
 stiani, eosq; bellum indicere Christo; omniq; verè Christiano ita
 de illis sentiendum esse, tanquam iuratis inimicis Ecclesiæ Chri-
 sti: qui propter has fædissimas religionis maculas, pa-
 lam denuntiant Reipub. Anglicanæ rectoribus tolera- Ibi. pa. 3.
 bilius fore Sodoma & Gomorrhæ in die iudicij quàm illis: ni- 4.
 hil aliud expectandum esse quam presentem Dei vindictam su-
 per uniuersam illam regionem, quanquam Politici isti Angliæ
 Machiaveliani contra Deum ipsum satis se putant esse muni- Pa. 8.
 tos; & quando cum Christo non sunt, perinde esse ac si contra
 ipsum essent, ideoq; iam siue partes tueantur Iudeorû, siue Tur-
 carum, siue hypocritarum Angliæ Protestantium nihil esse
 discriminis: qui propter sinceram veritatis confessio-
 nem queruntur multa fratrum suorum milia capitalibus
 actionibus inuolui, multis crudelibus ad extremam inopiam
 redigi, suffocari in carceribus, perire fame, grauissimas vexatio-
 nes sufferre, istamq; Reginam induci ad persequendos Euange-
 lij professores, non aliter quam pater eius Henricus 8. inductus
 est ad persequendos sui temporis Protestantes: hæc qui con-
 queruntur, & tam liberè contra Angliæ moderatores
 inuehuntur, varijsq; emissis Libellis hæc omnia iterum
 atq; iterum inculcarunt, nec isti opinor beati dicendi
 sunt, aut huius fælicitatis aliquo modo participes, qui
 diris legibus & supplicijs ab Euangelio Christi abstra-
 cti, ad religionem tam corruptam & inquinatam alli-
 gantur. Et tamen doctissimus iste scriptor cõmuni hæ-
 reticorum cuiuscunq; generis more, magnam suæ fæ-
 licitatis Anglicanæ causam in eo positam suspicatur,
 quia regina æternum æterni filij Dei Euangelium tutatur. Iustit. Bri-
 tannica.
 quia nimirum talibus Theologis, illud totum est æter-
 num æterni filij Dei Euangelium, quod pro tempore, mu-
 tabili & incertæ mortalis & caducij Principis volunta-
 ti est gratum; cuius exemplum nostra ætate, sola An-
 glia illustri experimento toti Europæ demonstrauit.
 His ergo & alijs mille modis qui a nobis recenseri

Iudæi, Tur-
 ca, & Pro-
 testantes
 Angliæ.

Ibi. pa. 10.
 26. 35. 37.
 43. 59.

Euangelii
 Anglica-
 num.

Iustit. Bri-
 tannica.
 pa. 51.

Ingens, longe maioris in Anglia partis, calamitas.

Pa. 23.

non possunt, cum Catholici qui & meliorem & maiorem etiam partem Anglicanae nationis efficiunt affligantur, idque propter nullam Principis Patriae iustam offensionem, sed propter solam Catholicam Maiorum suorum fidem (quemadmodum de praecipuis Ecclesiasticis Libelli author palam fatetur, atque etiam de per multis laicis, *in quos hactenus non esse propterea durius consultum ait*, perinde ac si libertatis, dignitatis, honoris & fortunarum omnium amissio, nulla esset *duritia*; nec *Catholici* modò, sed etiam *Protestantes* ij qui volunt conscientias suas huc atque illuc ad aliorum imperium versare, & eas simpliciter ad Principis voluntatem religionemque conformare, iisdem incommodis conflictentur; adeo ut istis quas dixi miseris infinita hominum multitudo obruatur: hanc nos *Rempub.* beatam dicemus? hunc statum felicem? omnia esse in Anglia tranquilla, florentia, & fortunata? ubi reuera perpauca aliorum spolijs locupletati regnant? ubi perpauca dico, si cum ingenti aliorum numero comparentur, facultates, officia, dignitates & opes totius regni inter se diuiserunt? Vbi isti, perinde ac si armatis exercitibus plenaque victoria regnum illud subiugassent, in eoque Monarchiam sibi constituissent, omnia per homines quosdam sibi gratia & familiaritate deuinctos administrat ad nobilissimorum & verissimorum regni Procerum damnum, direptionem, atque internecionem, an est quicquam adeo mentis inops, qui in hac *Babylonica* captiuitate *Rempub.* beatam ac felicem praedicet?

Quid iam appelletur Status Angliae.

Et tamen ista paucorum hominum conditio, qui maxima Regine lenitate, & Catholicae religionis in haeresim commutatione, fortunas suas in immensum auxerunt, Anglicani *Status* nomine apud *Protestantes* vocatur; eorumque abundantia, otium & securitas, illius *Status* & totius Regni felicitas censetur: cum vera regni cuiusque felicitas non minus in subditorum, quam in ipsius Regis prosperitate consistat; eaque demum *Respub.*

Vera regis felicitas.

pub. felix dicenda sit, in qua improbi homines, latrones, hæretici, homicidæ, aliæq; id genus pestes, miseri sunt atq; ærumnosi, pænafq; a legibus præscriptas sustinent; non autem vbi Dei Sacerdotes, veri q; Catholici, ad quos ab iniuria defendendos, & leges & Reges omnes sunt instituti, flagitiosissimorum hominum ludibrio ac libidini exponuntur, perpetuisq; iniurijs ac contumelijs vexantur. Quæ cum ita sint, cumq; pars Regni longe maior ac melior in hac intoleranda infælicitate iaceat, qua nulla vnquam post Christum natū extitit calamitosior, eaq; non temporali modò, verùm etiam (quæ longè est grauior) spirituali; neminem esse arbitror qui non facilè videat inanem esse profusq; ridiculam hanc aduersarij de Anglicana fælicitate ostentationem.

Sed vt *Politicum* hunc, aut si mauius *Atheum* apertiùs refellamus, qui sæculari fælicitate metitur omnia; & *Pontificium* illud *Anathema*, vel in Anglia fuisse irritū, vel etiam in benedictionem commutatum affirmat, ob prosperos variarum rerum successus qui postea sunt consequuti; seponam⁹ ea quæ hætenus ostendimus de immensa hominum multitudine in illis miserijs demersa, & alium orationis cursum ingrediamur. Pingamus ergo ad clariorem propositi nostri demonstrationem, vt olim *Octauiani, Antonij, & Lepidi* triumuiratus *Romani imperij* maiestatem totam absorbebat, sic nunc *Reipub. Anglicanæ* summam & vim omnem in certis Protestantibus esse positam, & eorum opes atq; potetiam totius esse Regni fælicitatem; hoc tamen posito & liberaliter concessio, confidenter isti adulatori assue-ramus, illudq; omni homini non nimium pertinaciter in susceptis opinionibus defixo cõfirmabimus, Remp. nostram post tempora *Gulielmi primi* quem *Conquestorem* vocamus, nunquam tam varijs & desperatis periculis fuisse inuolutam, nullamq; esse in orbe Christiana- no Prouinciam quæ nostra non sit multo fortunatio-
Vniuersalis
Anglia ca-
lamitas
quam hæ-
resis inue-
xit.

quanquam Politicus iste pro sua mirabili prudentia, auguratur earum nullam esse quæ non præclare secum actum existimaret, si felicitatis Anglicanæ partem aliquam posset adipisci.

Hoc quod dico, difficile est persuadere adolescentulo imperito, aut vulgari cuicumq; lectori, aut alicui ex infima populi fece, qui bestiarum more presentis vitæ delicias & qua ad tempus fruitur voluptariæ vitæ licentiam, rebus omnibus secundis aut aduersis vel in æternitatem duraturis quæ sibi aut suis accidere in posterum possunt, longè anteponit. At cordatis viris & prudentibus, ijs qui rerum publicarum gubernacula tractant, minimo certè negotio persuaderi potest; qui quamuis ignorent ipsi per se (quod quidem vt plurimum, & naturæ lumine, & præceptis politicis, & sacris literis didicerunt) facilè tamen adduci possunt vt credant Reipub. pacem, voluptatem, paucorumq; annorum malaciam ac tranquillitatem quæ in presentia obtineretur, si nefarijs & flagitiosis rationib⁹ vel ab initio fuerit procurata, vel postea stabilita, vel cum manifestis aut presentibus aut futuris periculis copulata, veræ prosperitatis nomen neq; publicæ neq; priuatæ mereri; sed esse potius certissimum prognosticum plagarum & miseriarum grauissimarum, quas Deus in nos vel in posteritatem nostram est immissurus.

*Fundamē-
tum securi-
tatis Reipub. Iusti-
tia.*

Nulla proculdubio Resp. sine iustitia, honestate, ac securitate, falix vocari potest. Si opes nostræ latrocinij, furtis, ac sacrilegij acquisitæ sint, ea possessio est iniustissima. Si pax nostra vicinorum nostrorum bellis ac tumultibus foueatur, iniqua est & inhonesta. Si felicitatis nostræ conseruandæ & perpetuandæ nulla ratio habeatur, illud quidem necesse est euenire, vt vel nos vel saltem posteri nostri non minori luctu & mæore conficiantur, quàm nos modò lætitia & iucunditate perfundimur.

Hæc autem de Iustitia, honestate, ac securitate quæ
dicimus

dicimus vt accuratiùs dijudicentur, cum multa & vetera & noua nobis suppetant; vetera omnia leui brachio præteriemus. nec perstringemus quàm plena fuerit æquitatis & iustitiæ prima illa Anglicanæ Reip. a sede Apostolica discessio, commutatio religionis, & Ecclesiastici ordinis totius, omniumq; Ecclesiarum expilatio: quod fuit primum istius felicitatis Anglicanæ fundamentum. Nec verò minutè consecretabimur artes impias & stratagemata turpissima, quibus isti ad illud quod exoriscant pertexendum vsi sunt, iisq; a veteri Regum nostrorum & patriæ consuetudine (quibus erat in more positum, honorificè vel aperto bello vel certo fædere & firma amicitia pacem suam constabilire) toto cælo differentibus. Ista (inquam) prætereantur, nec oratione nostra refricentur. Vnum hoc respondeant mihi velim Protestantes; vt *Scotorum* primum, deinde *Gallorum*, postea *Belgarum*, deniq; aliarum etiã prouinciarum subditos ad arma contra legitimos Principes suscipienda stimulant, vt Principes alios in summa pace per fraudem circumuentos iniquissimè captiuos detinerent, aliis ciuitates surriperèt, aliorum pecunias prædarentur, alios in manifestum vitæ discrimen conicerent, finitimis in regnis omnibus seditiones & bella intestina alerent aduersus Principes eos quibuscum fæderum vinculis sanctissimis astrictos se simulabant, vt cum insignioribus quibusq; nostræ ætatis *Heresiarchis ac perduellium antesignanis* Scotis, Gallis, Flandris, Germanis, quos a nobis nominari necesse non est, adeoq; eum ipso *Turcarum tyranno* intima amicitia consociarentur; vt deniq; circumiacentem orbem vniuersum mendaciis & periuriis, primum in fraudem impellerèt, & deinde piratica, prodicionibus, occultis insidiis & ædissimis modis spoliarent; quænam in hac politica potuit esse vel æquitas, vel honor, vel conscientia? Neq; certè prosperitas quæ huiusmodi nequissimis artificijs vel comparatur vel alitur, diuturna potest esse

Anglia quemadmodum se gesserit erga alias prouincias.

aut secunda; sed necessariò timoris, anxietatis, & periculorum plena est, quæ non modo in populũ, sed in ipsos etiam authores redundant. quanquàm fortassis infimæ fortis homines præsentibus commodis ac voluptatibus excæcati, miseras futuras non tam faciliè prævident quàm ipsi horum malorum architecti; qui cum per obliquos tramites, & Principem & populum in hos labyrinthos induxerint, stupore quodam perculsi, ita iam implicati in salebris hærent, vt nec diuinitus nec humanitus tam desperatis actionibus honestum exitum reperiant: cum nec Deum speret propitium quem tam grauitè offenderunt, cuius honorem, cultum & Sacramenta impiè sustulerunt; neq; Principem sciant vllum a quo fidelem opem poterint expectare, quando vicini omnes & singulos ipsi indignissimis iniurijs irritarunt; idq; tum, cum in maximis eorum angustiis, & honor Regalis, & ius fæderis, & religio Christiana illud flagitabat, vt eis auxilia largissime subministraret.

Quamuis autem plerisque; qui nec perspicaciter introspicere valent præsentia, nec sagaciter prouidere futura, istorum hominum consilia plena singularis cuiusdam prudentiæ visa sunt, & tum maiorum nostrorũ antiquitus, tum huius quoq; ætatis insigniũ in Rebus publicis moderatorum solertiæ multũ antecellere; ideoq; factum esse vt paucorum hominum diuina sapientia nostram gentem in altissima pace contineret, cum apud finitimos omnia bellorum incendiis conflagrarent; ita tamen Deus hæc eorum mirifica consilia stultitię & fatuitatis conuicit, eaq; sursum deorsum vertit, exitus planè contrarios & inopinatos illis tribuendo, omnes vt iure admirentur prouidentiam diuinam, quantum ea ab humanis cogitationibus differat; quantumq; sit interuallum inter sana hominum verè prudentium consilia, & vafra aliorum versutaq; ingenia ac præcipites actiones, qui in rebus gerendis ad priuatam & præsentem commoditatem omnia referunt, nul-

*Anglorum
fraudulenta
consilia dis-
sipata a
Deo.*

lulam

lam autem vel publicę salutis, vel posteritatis securę rationem sibi habendam existimant.

An non videmus sceleratas eorum molitiones in *In Scotia.*
regno Scotiæ diuinitus esse dissipatas, Deiq; ipsius sola bonitate rem totã eò esse deductam, vt a scopo quem illi sibi proponebant, nihil potuerit esse alienius, nihil magis contrarium? Annon idem illis accidit in *Regno In Gallia.*
Galliæ sub tribus fratribus inuicem sibi succedentibus? vbi post tot susceptos labores, tot profusos sumptus, tot strages æditas, nihil aliud quam oleum & operam perdiderunt? Quem verò exitum eorum conspiratio *In Flædria.*
 cum *rebellibus Belgis*, aut cum *Apostata Colonienfi*, alijsq; alibi eiusdem farinæ hominibus sit habitura, videre ipsi incipiūt, in eoq; perspicuè (si velint) vnã cum alijs omnibus vel mediocris iudicij, prouidam, iustam, & potentem Dei Opt. Max. dexteram poterunt suspicere. Hæc cum secum Protestantes nostri consideratius expendunt, videntq; omnes suos extraordinarios conatus finibus tam insperatis concludi, eoq; se reductos vt quò se vertant planè ignorent, neq; verò in incœpto cursu progredi possint sine totius Reip. ingenti periculo & certa ruina; iudicent obsecro viri prudentes, quãtis curis, quibus timoribus, quib⁹ cogitationum fluctibus eos iactari necesse est. quamuis anxietatem suam fractosq; animos vt occultent, vulgo plausibilia multa prædicent, de serenitate aeris, de frugum abundantia, & numero iumentorum, de Regiæ in imperio diuturnitate omnes sui temporis Pontifices & Principes superante.

*Occulti
 Protestantium
 Anglorum timores.*

Ceterum, si fontem quærimus ex quò manarunt illæ prius memoratæ infames & flagitiosæ machinationes, quas exceperunt istę extremæ formidines & miseria quæ vel ipsis inuitis erumpunt ad omnium cognitionem, neq; verò ab ipsis dissimulari possunt, licet hæc anilem de prosperitate rerum surdis canant fabulam; vera istorum omnium radix & caput fuit, discessio a

*Vera origo
 Anglicanæ
 calamitatis.*

Deo patrum suorum, & religionis Catholicæ in Calvinismum aut verius Atheismum commutatio, per quam tot iam annos Anglia nostra continenter perit. Hic est ille equus Troianus qui patriam nostram perdidit; quævis & istius Libelli author, & nonnulli alij scriptores Anglicani (infantibus aut bestiis nihilo prudentiores, qui virgis & fustibus quibus cæduntur irasci solent, ad causam autem vel authorem verberum non respiciunt) suarum miseriarum & terrorum causam omnem reuocant ad Excommunicationem Pontif. piaq; officia sacerdotum, quietè admodum ac pacatè populum in doctrina salutis instituentium.

Rationes quibus ostenditur imprudenter a Politicis mutatam fuisse religionem Catholicam.

Quantum verò hæc nefanda a Catholica fide & Christiani orbis communionem apostasia Deum offenderit, quamq; illud incòsideratè factum fuerit, etiam si nihil aliud præter eorum statum temporalem & Principis Reiq; publicæ tranquillitatem perpendatur, ipse Deus toti mundo luculenter ostendit, illis ipsis tam inexpiables fraudis authoribus viuis adhuc & videntibus. quanquam aliàs ea fuit sceleris concepti fæditas & magnitudo, vt etiam si omni prorsus conscientiæ ac religionis sensu destituti fuissent, vel communis tamè ratio & experientia eos potuisset edocere, ex tam venenato semine nihil salutare fore procreandum. Sed priuatæ (proh dolor) vtilitatis studium, & infinita ambitio (quibus stante religione Catholica, satisfieri non posse arbitrabantur) vel eorum intelligentiæ tenebras offuderunt eosq; in errorem hunc impulerunt, vt sæpenumero vsu venit; aut potius (quod item peruulgatum est) eadem causæ istos adeo transuersos egerunt, vt repugnante conscientia illud sequerentur, quod siue temporalem siue spiritualem vtilitatè respicias, Reipublicum futurum erat maximè perniciosum.

Omnis in Reipublicæ mutatione per-

Quis est enim adeo rationis atq; iudicij expertus, omniumq; rerum ignarus, vt non probè sciat magnas oēs mutationes Reipublicæ admodum esse periculosas? Si quis

quibus Parliamentaria vestra Statuta legesq; municipales mutare velit in leges Ciuiles, si consuetudines quibus Respub. vestra plerisq; in rebus dirigitur abolere & nouas introducere, si Monarchiam vestram in aliam Reipub. administrandę formã conuertere, quanto obsecro tumultus, quantam rerum omnium perturbationem excitari necesse est? At verò nulla mutatio adeo est periculosa quàm religionis, idq; religionis illius, quæ a primis nostris Apostolis fundata, recepta ab Ecclesiarum totius orbis Christiani matre, confirmata miraculis, comprobata Ecclesiæ Catholicæ legibus, Cõcilijs, Synodis, iudicijs, ac inueterata omnium temporum consuetudine, eum obtinuit apud omnes Christianos iustum honorem & venerationem, vt nulla vnquam post Christum natum religio aliã, habitata fuerit Deo grata, & sacrosancto eius verbo consentanea. Quodnam tandem consilium hoc vno potuit esse pestilentius? Neq; vero potuerunt Politici isti tam stupidi esse, vt non aduerterent subditos regni hanc inuouatam fidem molestissimè laturos, quorũ tam multi erant Catholici nuperrimè Ecclesiæ reconciliati, qui solenni missa legatione, voto ac iuramento Apostolicæ Sedi factõ sanctissimè receperant, nunquam se deinceps ad pristinũ Schismatis vomitum reuersuros. Nec latere eos potuit quantum eã res maròrem illis omnibus esset allatura, qui a veteri Ecclesiastico ordine toti patriæ admodum venerando aliquid habebant opis & subsidij, cum iam illi oculis suis aspicere cogentur, viros tam sanctos, liberales, ac beneficos, eiectos domibus, euersos bonis, inclusos carceribus: & in eorum locum surrogari venereos quosdam Superintendentes, & libidinosos Ministros, quos eo quidem tempore pauci admodum probabant, nunc autem dies ipse & experientia ostendit, esse eos verè regni totius fœcem & sentinam.

culosa, præsertim verò religionis.

*Religionis
Catholicæ
mutatio
Anus
molestissima.*

Non ignorabant, summum Pontificem altera iam

*Excommunicationis
periculum.*

vice tam contumeliosè desertum, a consueta Ecclesiastica disciplina virga, Excommunicatione videlicet, contra delinquentes non esse semper temperaturum, quin eam vel propria conscientia stimulus, vel officii ratio, vel Sedis Apostolica dignitas tandem aliquando extorqueret. Quam sententiam etsi illi falsa religione deprauati statuisent contemnere & potètia sua ad tempus propulsare, tamen non adeo erant improuidi, quin aduerterent varias inde domesticas seditiones probabiliter exorituras, quando talibus Censuris plurimæ domi subditorum conscientia percelleretur, & externus aliquis Princeps captata temporis opportunitate, eisdem Censuris ad suum emolumentum fortassis esset usus.

*Intestina
bella.*

Non satis probè subdlexerunt rationes suas, si non attendebant ex hac tam turpi & dedecorosa reiectione Pontificis, arcto religiosè amicitia fadere cum Catholicis omnibus ac potentissimis Principibus Christianis coniunctissimi, eorum quoq; animos a nobis alienari potuisse, ex eoq; magnam Patriæ nostræ malorum & periculorum segetem succrescere. Ipse sensus vel recordatio cruentissimorum bellorum quæ patrum nostrorū memoria in *Heluetia* & *Anglia* sub *Henrico 8.* & *Edouardo 6.* propter religionem gesta sunt, & anticipites talium præliorum euentus eos præmonere debuerāt eadem in posterum accidere potuisse, quemadmodum reuera acciderunt tum in *Anglia* tum in *Hybernia*; vbi cum regio tota ad Catholicam religionem admodum sit propensa, non erat laboriosum præsensisse, quam intolerabili cum conscientiarum tormento, & manifesto bellorum ciuiliū discrimine, ad nouam religionem amplectendam populus ille esset pertrahendus.

Subditi

*p̄pter ter-
rorum solū
obedientes.*

Certum est enim axioma, *Metum diuturnitatis malum esse custodem.* cumq; non minùs certum sit Principem nullum tam securè subiectum sibi populum gubernare

violentia & terrore, quàm amore & benevolentia, quomodo non venit illis in mentem, *Hyberniam* totam, magnamq; *Anglia* partem, nulla vnquam charitate, sed vi summa & tanquàm hostili imperio in obedientia esse continendam? Illud vero maioris est periculi, atq; a nouatoribus istis inprimis erat ponderandum, hanc quam ipsi inuexerant religionis varietatem, maximè quum simul accederet Excommunicationis sententia, multorum animos aliàs Principi addictissimos ita concutere & permouere potuisse, vt deinceps non ex conscientia libera, sed seruili potius necessitate obedirent. Non autem quæ seruili necessitate exprimitur, sed quæ a libera subditorum voluntate ducitur, ea demum obedientia vnicum est & stabile regis potestatis firmitermentum.

Considerare debuerunt, quàm multi primæ nobilitatis & dignitatis viri, propter conscientie libertatem aliasq; molestias a religionis mutatione profectas, solum versuri, relictaq; patria ad exterarum nationes erant migraturi; quorum animos vel religionis zelus, vel propriæ calamitatis magnitudo, ita posset aduersus exilij sui auctores ac bonorum sectores exasperare, ipso- rum vt absentia inimicorum paci magnum conflaret periculum. Quos isti reprimere non poterunt *fugiuos* eos appellando, aut alia iactando ex triuio arrepta, vulgaris contumeliæ nomina. Non enim hæc aut alia huiusmodi, nobilissimum Principem *Henricum 7.* Regine *Henrici 7.* istius auum terruerunt, quo minùs sanguinarium tyrannum *Richardum 3.* fortiter inuaderet, eumq; licet in Regem vnctus esset ac regni possessionem teneret, gloriosè tamen, & Regni possessione & vita etiam priuaret.

Illud etiam erat præmeditandum, varias ex hac nouitate fidei casq; implacabiles dissensiones orituras, non in populo tantùm, sed inter charissimos quoq; amicos maxima vel sanguinis vel affinitatis necessitu-

Fuga Nobilium.

Henrici 7.

Dissensiones ob religionem implacabiles.

tudine coniunctos. Nulla est enim contentio tam capitalis atq; internecina, quàm ea quæ propter differentiam fidei & cultus diuini excitatur. ruptaq; semel Ecclesiæ Christi vnitatem, quis non statim expectaret infinitatem quandam Sectarum Reipub. cum primis perniciosam, qua ipsi etiam Protestantes obruerentur? Cuius iam pridem experimentum miserum & exitum funestissimum vidissemus, nisi non tantum Magistratus, sed etiam *Puritani, Anabaptista, fratres* (qui vocantur) *Amoris, aliæq; sectæ* quibus Anglia redundat, nervos ingenij contendissent omnes, ad Catholicos frangendos, & eorum progressus quàm maxima diligentia impediendos.

Obiectio.

Verum gloriatur aduersarius, se suosq; his omnibus periculis egregie defunctos, multasq; victorias de hostibus tum externis tum domesticis retulisse, vt quæ gesta sunt omnia, & prudenter incepta, & fortunatè perfecta videantur. Cui respondeo; istorum res gestæ ad extremum si exitu felici terminentur, esse eos tantò fortunatiores. interea illud velim intelligant, non tam esse prudentis hominis pericula cum euenerint quoquo modo declinare (quum secundi euentus hominibus temerarijs, fortuito quandoq; obuenant, vt & nostro & veterum prouerbio celebratur) quàm pericula ne eueniât prospicere, eaq; còsultò præcauere omnia, ex quibus pericula necessariò consequantur.

Responsio.

Atheniensium incon-
sulta temeritas.

Sed in hoc religionis negotio, ipse etiam Deus eorum conatus mirabiliter irritos fecit & inanes. Nam cum omnem Catholicæ fidei memoriam & nomen penitus extinguere decreuissent, leges contra religionem varias easq; crudelissimas instituendo, quales nec apud Christianos nec apud Paganos vllè vnquam extiterunt, veteres episcopos oēs in carceres contrudendo, eosq; illic temporis longitudine consumendo, Ecclesiarum omnium pulpita, scholas, officia, dignitates, & reliqua regni commoda, suæ sectæ, sibiq; addictis & tanquam

con-

Hæreticorū
falsa spes
de abolenda
fide Catho-
lica.

consecratis hominibus assignando, aliasq; rationes adhibendo, quæcunq; humana vel crudelitate, vel ingenio, vel diligentia ad Catholicam religionem extirpandam poterant excogitari: iam nihilo minus in singulos annos & dies, Catholicorum non modò numerum, sed zelum etiam, constantiam, patientiam, eruditionem, sic accrescere sentiunt, ut clarissimè videant & confiteantur, *q; digitus Dei est hic*; & si in incepto progrediuntur, *erit nouissimus error peior priore.*

Exo. 8. 19.
Mat. 27.
64.

Hoc certè vnum eos ostendit ingenti terrore diuinitus immisso vehementer esse attonitos, quòd cum inmani quadam ferocitate quotidie fundat innocentium martyrum sanguinem, occulta tamen veritatis vi, communiq; hominum iudicio conuicti, ita stupent & exanimantur, ut Catholicos Catholicæ religionis causa occidere vel non audeant, vel saltem pudore impediti palam id agnoscere vereantur. Ideoq; (ut in hoc etiam Libello videmus) omnia ad *Reginam*, ad *Statum*, ad *Reipub.* pacem perturbatam auocare laborant, & talibus mendacijs orbi Christiano illudere. Ex quo manifestum est, eos in hac præclara quam iactant prosperitate, incredibili metu excruciarì, & omnia magna, mediocria, minima, pertimescere. Quorum etiam terror ex hoc apparet euidentius, quòd nec pauperrimus quispiam sacerdos ad Angliam appellit Missam celebraturus, quin illi statim credant certum ipsis interitum & vastitatem afferri. Nulla vsquam quauis in ora conspicitur nauis, nullus Princeps conscribit militem, vel quemcunq; bellicum apparatus instruit ob prouincias & regiones suas, quin nostri statim interpretantur ea destinari ad inuadendam Angliam. Nullum deniq; collegium ad subleuandos exules apud exterarum Nationes instituitur, nullum auxilium Catholicis Anglis siue in Aulis Principum, siue in castris præbetur, quin isti statim persuadent sibi omnia referri ad perniciem Status sui; & panica quadam formidine correpti,

*Protestatio
Anglorum
magna dissimulatio
& formido.*

Ioan. II.

exclamant cum Iudæis, quòd *venient Romani, & tollent locum & gentem nostram.*

Quamdiu patria nostra Ecclesiæ Catholicæ unitatem tenuit, cumq; finitimis principibus vel iusta bella vel honestam pacem habuit, ecquis huiusmodi timor de perpetuis hostium incursionibus animos nostros occupauit? Ecquid tam sollicitè & crebrò lustrabantur milites? disponebantur excubiæ? ad singulos Angliæ portus iuramenta aduersus Romanum Pontif. exigebantur? Num in proficiscentes peregrè, aut redeuntes domū tam scrupulosè inquirebatur? Deniq; num per vniuersum regnum tot grassabantur diurni in publicis vijs, tot nocturni in priuatis ædib⁹ exploratores? num tot vbiq; apparebant curæ, angores, sollicitudines? tot de subditorum fide suspiciones? perinde ac si Anglia iam tota nihil esset aliud quàm statua quædam castra, vbi milites in horas singulas & momenta, starèt in prociectu ad repentinās hostium irruptiones sustinendas. Hæcine verò est summa Angliæ felicitas? hæcine securitas illa de qua Politicus iste tam multa gloriatur, & cuius exiguam partem si vicinæ prouinciæ perciperent, admodum se beatas arbitrarentur? Mediocris sanè fortuna cum securitate, maximis etiam totius orbis voluptatibus tanta cum anxietate, longè est præstantior. Quantum autem ex signis externis colligere vel coniectura assequi possumus, nulla totius Europæ natio in tam ancipiti rerum suarum statu fluctuat & vacillat, quàm Anglia nostra. Væ ergo peccatis; vè hæresibus & Apostasijs nostris, solis tantorum malorum effectricibus.

Neq; tamen hæc a nobis ira dicuntur, quasi aliqua probabilitate anticipatam haberemus cognitionem eorum periculorum quæ tam vehementer isti metuere vidētur, aut quasi vllā eorū causam vel Sacerdotes vel Catholici præbere potuerint. Neq; certè vlla est causa alia, præter eam quam olim notauit Propheta dicens,

Deum

Deum non inuocauerunt, illic trepidauerunt timore ubi non erat timor. A Domino solo factū est, qui timorem hunc illis incussit, ac infælicitatis miseriamq; suæ sensum aliquem impressit, vt ita ad agendam impiæ defectio- nis penitentiam expergefaceret.

Sed hæc demum summa mihi calamitas esse vide- tur, quæ vniuersum Angliæ regnum, omnesq; genera- tim ordines & hominem vnumquemq; singulatim in- uoluit, a qua nec vnus aliquis se poterit eximere; incer- tum intelligo regni hæredem proximum, quod certis- sima atq; cruentissima bella tum externa tum ciuilia necessario pariturum est, in tanto præsertim competi- torum numero, tanta religionum varietate, tanta de- niq; ambitiosissimorum hominum turba; quorum nõ- nulli iam nunc eò sua referūt consilia, contrahunt ami- citias, coeunt factiones, muniūt se fæderibus, omnesq; cogitationes ad regnum adipiscendum dirigunt. Quo fit vt Patriæ nostræ quies, pax, & fælicitas, & quicquid homini est in hac vitâ iucundū & optabile, illud omne tenuissimo filo pendeat; ab vnus nimirum vita, quæ iam ætate multum est prouecta, & humanarum mise- riarum casibus vt cæteri omnes obnoxia, Deiq; omni- potentis manui semper subiecta, qui cum libuerit au- fert spiritum Principum, & terribilis est apud Reges terra.

Admodum periculosa Angliæ proximi hæ- redis igno- ratio.

Psal. 75.

13.

Enimuero vt ex rebus minutioribus ad ista longè ma- iora iustè ponderanda ducamur, quis est in Anglia vir nobilis, aut illustris, vel qualicumq; loco, modò petu- niosus & locuples, quem non miserrimum æstimare- mus, si aut nesciret aut negligeret quem esset relictu- rus bonorum suorum hæredem? si eum videremus suo vnus genio indulgere, suoq; tantum tempori consu- lere, posteritatem autem susq; deq; habere; & rerum suarum copia quasi pomo cõtentionis in medium pro- iecta, omnia fortunæ committere? Quantò autem hoc est miserius, quantò calamitosius, quantò naturæ ipsi magis aduersarium, nobile & amplissimum regnum in

19 eas adduci angustias, vt eundē salutis suæ ac vitæ Principis, extremum fore diem arbitretur. vt in eo regno nullus, pacis suę, tranquillitatis, ac facultatum vsuram diuturniorē vix sperare possit, q̄. quoad Regina vixerit; id est, ad decem fortasse, aut viginti, siue plures siue pauciores annos, vel quocunq̄; demum spatio placuerit diuinæ prouidentię Regiņæ vitam circumscribere. Hoc cū euidens sit argumentum & clarissima demonstratio infinitę regni nostri calamitatis, illud tamen ipsum non pudet fraudulentos aduersarios magnificē predicare, atq̄; ad singularem suę in Repub. gubernāda prudentię commendationem inuertere, illud subinde populo suggerentes, quā hoc modo fælices sint, quā studiosē continuis precibus pro Regiņæ incolumitate debeant insistere; cuius solius vita tantam illius beatitatem largitur: quod si ea moriatur, vna cum ea Anglię felicitas est moritura, & malorum Ilias regnum vniuersum oppressura.

Id quod nec ipsi quidem Consiliarij palam aperteq̄; profiteri dubitant; quemadmodum manifestē declarat oratio quam ex eorum numero quidam habuit, quum seruulus nescio quis temerē dispolso tormento nautam in regia nauī non procul ab ipsa Regina quæ tum forte aderat, vulnerauit. Qua in oratione clarissimus ille vir nihil aliud post Regiņę mortem expectandum esse affirmat, quā rerum omnium confusionem, persecutiones, strages, vltiones, bella, spolia, mulierum & virginum constuprationes, & quicquid est in orbe malorum & miseriarum, ac millies plura quā ipse sua poterat mente ac intelligentia præcipere. Neq̄; dubitat concludere, ea nos die *omnium fore mortalium longē infelicissimos*, cū Regina solius vita omnem nobis fælicitatem & terrestrem & cælestem conferat. Hæc nobis ille Cōsiliarius de communi nostra calamitate pronunciauit. Interim sic omnia reguntur & disponuntur, fælices vt nos ipsi existimare debeamus si quoad vixerit

Oratio D.
Christophori
Hattoni
apud Stoum
Eliæ ab.
annu. 21.

rit Regina, Respublica quoq; uiuat; cum eius autem funere efferatur etiam Respublica & Oceano malorū obruatur. Hæc est (proh dolor) illa Angliæ fælicitas quam isti tantoperè suspiciunt atq; admirantur, qui præsentem sed incertam paucorum annorum prosperitatem, nulla habita posteritatis ratione, rebus omnib⁹ anteponunt. Eam autem viri boni & prudentes non fælicitatem sed miseriarum omnium caput existimant; cum in publico corpore nihil sit laudabile, nihil magnoperè expetendum, nisi idem fuerit cum securitate ac diuturnitate coniunctum.

Quam miseriam nostram etsi valde grauem, illud tamè grauiorem reddit & magis memorabilem, quòd tot iam annis quibus nos Deus patienter expectauit, non modò nullum huic tanto malo remedium a Consularijs alijsq; prudentibus viris est adhibitum, verùm etiam (quod longè est miserabilius, & magis à communi ratione naturaq; abhorrens) ne adhibeatur, feruerrimis legibus & acerbissimis pænis est constitutū. Decernitur enim, ne quis aut verbo aut scripto affirmet alium quem quemcunq; esse legitimum hæredem & successorem Regine, præter naturalem Regine ipsius sobolem. Qui secus fecerit, reus esto panarum quæ lege Præmunire continentur; hoc est, ipse perpetuis carceribus, bona vero eius omnia regio fisco addicantur. Qua lege dum de præsentis statu fingunt se sollicitos, de posteritate in æternas vel perdiuturnas certè calamitates præcipitanda, nihil prorsus laborant. Et (quo nihil cogitari potest vel toti regno, vel ipsi Regine contumeliosius) haud obscure indicant, quamuis qui consanguinitatis legitimeq; successionis iure Regine proxim⁹ fuerit, nec nominari a quoquam hæres posset, nec ipse sibi proximi hæredis locum aut nomen asciscere, Naturali tamè Regine Soboli vtrumq; fas esse. Quæ profecto sententia grandi dedecore non caruisset, proximoq; hæredi iniuriam non ferendam intulisset, si Regis alicuius Soboli naturali hoc extraordi-

Vanissima Angliæ fælicitas quam Libelli auctor prædicat.

Successionis in Angliâ pessime consultum.

Parlamēt. Elizabethæ anno. 13. c.

narium beneficium contulisset. Verùm illud concedere *Naturali soboli Reginae*, in qua propter sexus verecundiam, fornicationis peccatum longè quàm in viro est foedius & flagitiosius, & quæ ex eo nascitur proles ad tale priuilegium percipiendum minùs habilis & idonea, hoc verò probrum est indignissimum, & planè inexplicabile. Neq; dubium est quin veteratorum quorundam fraude inuentum fuerit & Statuto affectum ad aliquam insignem maculam regio nomini aspergendam, contra totius Parlamenti sententiam; quod (vt nos quidem conijcimus) nunquàm de ea clausula speciatim deliberauit, quamuis extet inter cetera Statuta, peruulgata & typis impressa, vt in communib⁹ exemplaribus videmus.

Sed illud vtcunq; sit, nostram hoc infelicitatem toti terrarum orbi manifestam reddit, pristinamq; Regni gloriam apud omnes ita diminuit atq; obscurat (maximè cum hoc scientes, ac videntes, imò etiam cõsentientes admittant Reipub. moderatores) vt tantam miseriam nunquàm satis deplorare poterimus, neq; aliam illius causam excogitare, quàm iustissimum Dei iudicium, qui (vt Italis est in prouerbio) hominem pro peccato castigaturus, primò *cerebrum illi aufert*, ne imminentes pœnas prudentia possit auertere.

Atq; hoc flagellum Angliæ, quod manifestò ab impia Catholicæ Ecclesiæ sedisq; Apostolicæ reiectione prouenit, in *Henrico 8.* fundatum est, qui fuit nostris quidem temporibus *Radix Peccati* (vt de *Antiocho* scriptura sacra loquitur) cum Primatum Ecclesiæ supremamq; illius regendæ authoritatem, ipse sibi iniustissime arripere. Hæc enim prima regni nostri fuit calamitas, ex qua profluxit quicquid malorum deinceps perpeffi sumus. Quem regem Deus mox pœnis maximis cum temporalibus tum etiam spiritualibus afflixit. Vix enim tres anni intercesserunt, cum coniugem suam illius quæ nũc viuít Reginae matrem interfecit, mul-

*Tena lni
il ceruello.*

*Hèricus 8.
Anglicana
calamitatis
radix.
1. Macha.
1. v. 11.*

multiplicis adulterij & incestus condemnatam, cuius amore paulò antea tam miserè deperibat, vt in illius gratiam priorem còiugem lectissimã faminam (cum qua plusquam viginti annos laudabiliter vixerat, & cui in ipso repudij persequendi feruore, apud iudices hoc celebre testimonium publicè dabat, quòd *præter excellentem nobilitatem, eam semper præstiterat honestatem & obedientiam quam ipse poterat optare; alijsq; omnibus virtutibus adeo fuerat ornata, vt plures nec in femina conditionis longè inferioris poterant desyderari*) hanc coniugem repudiaret, & vnà Ecclesiam Christi, in qua ipse maiorisq; nongentos aut eò amplius annos permanserant; & simul optimorum, & doctissimorum, sibiq; charissimorum sanguine, se regnumq; suum crudeliter funestaret.

Deinde verò lege omni solutus, vxores pro libidine duxit, & viuis prioribus superduxit nouas; quas cum voluit repudiavit, mutauit, & deniq; occidit tum vxores tum amicos, & intimos familiares, incredibili profus atq; inaudita post homines natos animi impotentia. Deinceps propter discessionem ab Ecclesia & terribilissima sacrilegia, tali erat consciëntiæ cestro percitus, & tam ancipites eum sollicitudines huc illucq; distrahebãt, vt interdum progredi & Principibus Protestãtib; socium sese in Religione adiungere cogitarit; interdum vero regredi & se Pontif. Romano reconciliare. Quod etsi ter vt minimùm, post primum lapsum tẽtabat, ad grauiorem tamen illius vltionem, sine effectu Deus permisit euanescere. vnde factum est vt miris cõ-

Parlamēt.
Henrici
8. anno.
28. ca. 7.
Paul^o Io-
uius hist.
lib. 35.
Stous
Henrici
8. anno.
21. pa.
961. 962.
Inequality
permutatio
vel vxorum
vel religio-
num.
Rossensis
Mortis.

Gravia Hē-
rici 8. pec-
cata & sa-
crilegia.

Ex 376.
adibus qua-
rum singu-
larū annui
redditus
erant infra
200. libras
Anglica-
nas, omnes
simul vix

conficiebāt
libras

32000. ex-
trusi sunt
religiosi
plusquam

10000.
Stous Hen-
rici 8.
anno. 28.

Testamētū
Henrici 8.
corruptum.

Religio
antiqua to-
to regno
abrogata.

Henrici 8.
progenies
ob peccata
Patris luit
panas.

disturbauit, vti quidam temporis illius vir doctissimus hoc epigrammate annotauit.

Milia dena vnus templorum sustulit annus.

Quam timeo in penas vix satis vnus erit.

Et iste Rex qui sine vlla diuini numinis reuerentia ac timore tot millia testamentorum a sanctissimis viris factorum resciderat, a desq; ad Dei honorem, animarum salutem, & Reipub. vtilitatem extractas diruerat, ipse eandem mensuram ab alijs retulit. Vix enim extremum spiritum effuderat, quum ipsius testamentū rescissum est & mutatum, aliudq; eius loco suppositū. eaq; Romana religio quam & viu^o semper propugnauit, & legum seueritate, & illo nuper assumpto Ecclesiastico primatu, & acerbissimis supplicijs eorum qui delinquebant, constabiliuit, quamq; religionem moriens ijs diligentissimè commendauit quibus filij curā commisit, hæc ipsa religio toto mox regno est abrogata; & in eius locum Zuinglianismus tanquam ad insigniorem regis mortui contumeliam substitutus, quem ille toto vitæ suæ tempore odio immortaliter persequebatur.

Cumq; tres egregios liberos superstites reliquisset *Edouardum, Mariam, & Elizabetham*; *Edouardum* magnæ spei adolescentem iam matrimonio idoneum e vita Deus sustulit. Eum sequuta est *Maria* soror natu maior, quæ post longam virginitatem, eadem solo liberorum desiderio publicæq; vtilitatis gratia nupsit: & ea tamē absq; liberis, breui post tempore ad superos migravit. Vltimo loco supererat *Elizabetha* quæ nūc regnat, quam propter iuuentutis florem, & varia argumenta eò permouentia, omnes arbitrabantur se fuisse statim tradituram in matrimonium alicui Principi vel externo vel domestico, maximè cum potentissimi in orbe Christiano reges eam ambirent, ipsaq; ad illud vitæ genus videretur satis propensa, & multos sæpenumero amoris potiūdi magna spe cōpleret. Verūm hoc quoq;

ne succederet, in patris pœnâ Deus impediuit, ac paulatim in hanc quam patimur orbitatem delabi regnum passus est, vt contra omnium hominum expectationem tota Regis illius pulcherrima progenies sine fructu defloresceret; & cum ille posteritatem immoderate concupisceret, ex eo trunco furculus tam breui tempore nullus relinqueretur.

Quibus publicis difficultatibus tenuis admodum est *Libelli au-*
& iniucunda consolatio, quam adhibet parasitus hic *thor inep-*
noster, plenam certe impudētis adulationis, quam ipsi *tissime Re-*
etiam Reginæ molestissimam esse nequaquam dubita- *gina Virgi-*
mus: *Virginem* nimirum *Reginam* esse prædicat, & hoc *nitatem in-*
Virginitatis nomen libenter vsurpat; cum neq; Prote- *culcat.*
stantes Virginitati meritum aut laudem magnam tri- *pa. 39.*
buant, cui matrimonium generaliter & in omnibus
exaquant, in quibusdam etiam anteponunt; & nos Ca-
tholici in his ingentibus periculis, vbi rerum publica-
rum salus & tranquillitas vertitur, fatemur sacratas &
Deo dicatas virgines ab eo excellentiori vitæ genere
abductas fuisse, & Ecclesiastica dispensatione in ma-
trimonium collocatas. Atq; vtinam (si tamen Deo
Opt. Max. ita visum fuisset, & a Reginæ voluntate nõ
abhorruisset) ad regni securitatem, huius Virginitatis
loco, liberos haberemus ex ea in legitimo & honora-
bili matrimonio susceptos, quod vitæ genus non caret
pia quadam continentia, eaq; (vt nunc sese res habet)
fortassis hac sua Virginitate, & maioris apud Deum
meriti, nec minoris apud homines gloria.

Verum sunt hæc omnia manifesta diuinæ erga nos
patriamq; nostram iracundiæ signa, quæ eo etiam vi-
detur magis ingrauescere, quòd deficiente iam illustri
hac *Henrici 8.* progenie, nec illud quidem ferunt non-
nulli, vt ad eiusdem sanguinis regij stirpem proximam
decurram; nobilissimi illius regis *Henrici 7.* huius Re-
ginæ aui nepotes intelligo; cuius Regis fortunatus &
insigni victoria clarissimus in regnũ aduentus, & quod

sequutum est faustum matrimonium, multiplexq; soboles ex eo procreata, omnes de iure regni dissensiones & bella ciuilia longè funestissima restinxit, dualq; illas regales familias *Lancastresem* & *Eboracensem* feliciter arctissima societate deuinxit. hanc (inquam) legalem, & omnium nationum iure probatâ successionem nonnulli interuertere moliuntur, & nefaria quorûdam Puritanorum aliorumq; hominum ambitionosorum calliditate seducti, cumq; factione & *Lancastrensi* simul & *Eboracensi*, totiq; generaliter *Henrici 7.* familiæ aduersaria se consociâtes, pristinas illas seditionum ciuiliû flammâs rursus accendere omniaq; cæde & sanguine permiscere nituntur, ex quo sperant se regium diademâ cui voluerint capiti imposituros. Sicq; iustissimo Dei iudicio in duo simul incommoda longè maxima incurret patria nostra, alterum quod Deum ipsum & religionem Catholicam improbè reijciet; alterû quod per summum scelus, verum, proximum, & legitimum regni hæredem, in eoq; *Henrici 7.* posteritatem omnè suo iure spoliabit. Hunc verò timorem conceptum minuire possent qui Reipub. nostræ clauû tenent, si nunc tandem post tot annos hæc impendentia mala præoccupare aut possent aut vellent, certum regni hæredem declarando. Cæterum in hoc etiam futurum Angliæ nostræ vulnus videtur mortiferum & insanabile, nisi Deus omnipotens supra humanas vires rebus tam desperatis opem inexpectatam attulerit. Tale enim in hac materia præiudiciû factum est, vt non dico certum regni hæredem declarare, sed neq; de vllò declarando deliberationem inire nostrates se posse existiment, propter Statutum cuius proximè menciónem fecimus, sine præsentî rerum omniû discrimine. Id quod procrastinare & de die in diem ducere malunt, ad suum vsq; & Regiæ interitum, quàm statim sibi tãtam miseriam accersere. Deus Opt. Max. omnia bene fortunet, eaq; conuertat ad quàm amplissimam nominis sui gloriam,

gloriam, quæcunq; demum confusio nobis propterea aduenerit.

Illud tamen admirari satis & lamentari non possumus, quòd cum duòrum nobilissimorum *Angliæ & Scotia* regnorum in vnã Monarchiam coniunctionem, cruentissimis sæpe bellis & vtriusq; nationis plurimo sanguine quæsiuerimus, eam autem nunc Dei bonitas & naturæ ordo tam expedita & suaui ratione & vtriq; populo maximè equabili offerat, matrem nobis sequentem largiendo & filium; illam insigni prudentia, ac patientiâ, egregiaq; animi in rebus aduersis constantia ac fortitudine, & pari vtriusq; gentis amore ac beneuolentia præditam, hunc verò quoad omnes naturæ dotes quæ in Principe requiruntur, nemini prorsus suæ ætatis in Europa secundû; vtrumq; Anglicani sanguinis & generis, vtrumq; ex tota *Henrici 7.* progenie, successionis ordine proximum, vtrumq; huic regnorû vnitati conficiendæ aptissimû, & ad hoc munus obeûdum diuinitus quasi delegatum; hanc tamen tam commodam, tam directam, tam diuinis humanisq; legibus apertam viam quidã obstruere, & tanquam obiectis molibus intercludere laborant; & iniustis legibus, inhonestis artibus, perfidiosè captiuam detinendo matrem, flagitiosè domesticas excitâdo rebelliones contra filium, vtrumq; regno fraudare, vel saltem ius regni omnibus legibus certissimum, quantum in ipsis est, maximè incertum & ambiguum reddere conantur. Vtriq; autem & quibuscunq; vtriusq; amicis ius hoc vindicare aut de eo verbum vllum emittere interdicitur, dum interim ambitiosi quidam, hac incerti hæredis occasione subnixi, de inuadèdo regno clandestina ineûnt consilia, & necessarijs ad id obtinendum factionibus sese corroborant. A quorum hominum infinita cupiditate longè plus periculi tum Reginæ ipsi tum vniuerso regno impendet, quàm vnquam obuicere poterat, si legitimus hæres apertè designaretur; quod tamè

Angliæ & Scotia regnorum in vnã Monarchiam coniunctio, sceleratè impedita.

isti periculum absq; vlla veri similitudine prætexunt, vt populo hæredem regni minimè declarandum esse persuadeant.

In has vndiquaq; angustias iusto Dei iudicio redacta est Anglia, dū interim Libelli author ceteriq; Protestantes multa læta & iucunda aniliter narrant, de copia frugum & fertilitate agrorum, vt nostrorū animos ab his immensis & interminatis miseriis considerandis auertant, quas ob desertam fidem Patrum nostrorum boni omnes ac prudentes viri valde metuunt, certoq; expectant, nisi ad Deum ac Dominum nostrum reuertamur, & in vnitatem Catholicæ Romanæq; Ecclesiæ aggregemur quam tam indignè dereliquimus & tam furiosè sumus persecuti; extra cuius societatem atq; obedientiam, vt in hoc mundo nulla est vera pax aut securitas, ita in altero nulla est salus, nulla fœlicitas. Id quod vt toties repetamus facit charitas & naturalis in necessarios, parçtes, patriamq; nostram amor;

Deute. 32 *vt gens absq; consilio sapiat ac nouissima provideat.*

Non enim Rom. Pontifex, neq; sacerdotes istorum hominum ruïnã concupiscunt (quod tamen Libelli huius author durissima fronte affirmat, & nonnulli fortasse rudes atq; ignari opinãtur) cū & Pontifex tanquã amantissimus Pater & Pastor, incredibili labore ac sollicitudine multisq; & suspirijs & sumptib; sacerdotes verò sanguinis sui vitæq; dispendio ad salutem populo importãdam ac regnum totum Christo Christiq; vicario reconciliandum connitantur. Quòd si verum fateri volumus, illi demum Reginæ regniq; capitales sunt inimici (atq; hoc exitus tandem demonstrabit) qui primùm Ecclesiæ sedisq; Apostolicæ deserendæ authores illi fuerūt; qui etiamnum post tam multa diuinæ iræ indicia, Ecclesiæ eiusdem auctoritatem & Censuras contemnendas esse persuadent; qui supremo fidelium Christianorum Pastori, Manlianis imperijs, sanguinarijs legibus, & vi bellica repugnandum esse consu-

*Quinã vere
sint hostes
& Regina
& Regni.*

consulunt: perinde ac si Pontifex hac disciplinae Ecclesiasticae virga aduersus rebelles, non ex paterno amore, & charitate, & beneuolentia, sed hostili potius odio, inuidia, & maleuolentia fuisset vsus.

Moyfes & Aaron resisterunt *Chore* eiusq; sectatoribus, & diuinam aduersus eos sententiam sunt executi, nec tamen hostiliter erga eos fuerunt affecti. Idem ipsum, *Samuel* aduersus *Saulem*, *Elias* aduersus *Iesabelem*, alijq; Prophetæ aduersus alios reges, non solum absq; omni odio, verum etiam multo cum amore & charitate fecerunt. Nec dissimili modo sanctissimi viri *Iohannes episcopus Rossensis*, & *Thomas Morus* regni Cancellarius, alijq; multi insignia nationis nostrae lumina, *Henrico* regi se opposuerunt, magno cum amore & beneuolentia infelix illud sceleratumq; ab Ecclesia Catholica & propria coniuge diuortium constanter fideliterq; dissuaderes. Cuiusmodi homines nihil certè minus sunt quam peruelles aut Principis Patriæue hostes, quibus trucidandis cruentæ leges sint excogitandæ, aut Principum gladij exerendi. Sed si aduersariorum nomen merentur, in illo aduersariorum genere numerandi sunt de quibus Saluator præcipit, vt *simus consentientes aduersario nostro in via*, si velimus declinare multa pericula aliàs fortasse nobis superuentura. Qua in re illi solum prudentes sunt Consiliarij, quiq; in Repub. excelsum illum honoris locum teneant dignissimi, & fideles ite subditi, qui Reginam debita cum humilitate monent, ne suauiter modò blandientis fortunæ lenocinijs & illecebris decipi se patiat, neq; securitatem suam in violenta & obstinata Ecclesiasticæ vel Pontificæ censuræ contempione positam existimet. Quin potius *Theodosium Seniore* a *D. Ambrosio* excommunicatum intueatur, sibiq; ob oculos proponat, quemadmodum *Theodosius Iunior* in causa *D. Chrysostomi* se gesserit, cuius ob exilium, Imperatoris illius vterq; parens excommunicatus erat. Consideret vnâ, quem tandem exitum ha-

Numer. 16.

Viri sancti
suis Princi-
pibus resi-
stunt ex cha-
ritate.

vide supra,
pa. 115,
c. 6.

Mat. 5.

Quodnam
salutare
consilium
Reginæ sis
dandum,

Theod. hist.
lib. 5. ca. 17
& Sozom.
li. 7. ca. 24.
Soerat. hist.
li. 7. ca. 44.
& Theod.
li. 5. ca. 36

Polydor.
Virgil. hi-
stor. Ang.
lib. 13. &
15.

buerit contentio illa inter *Henricum 2.* & *Romanum Pontificem* eumq; qui tum viuebat *Cantuariensem Archiepiscopum*; & deinceps inter *Iohānem Regem*, *Sedemq; Apostolicam* & illius ætatis clerum. Isti enim omnes quamuis potentissimi erant Principes, tandem tamen cesserunt, & cum *Apostolica Sede* in gratiam redierunt. Quæ certè via postquam iuniorum Principum ira & impetus animi paulisper deferbuerit, semper fuit & semper erit apud Deum hominesq; longè honestissima, & quæ vna salutis suæ regnorumq; suorum tranquillitati verè consulant.

Henricus 8.
suam cum
Apostolica
Sede reconcilia-
tionem
meditatus
est.

Id quod *Reginæ Pater* (a quo capite temporib⁹ nostris hæc *Apostasia* initium sumpsit) & antea aliquoties, & sub finem vitæ potissimum vidit, atq; vt illud a posteritate sua auerteret, maiorum suorum vestigia insequi, seq; *Ecclesiæ* communioni adiungere valde desyderauit. quod tamen antequam perficeret, occulto *Dei iudicio* morte præreptus est. Cæterum quod ille non est assequutus, id *filia* illius natu maxima gloriose præstitit, non modò propter conscientia suæ vinculum ac religionis necessitatem, verùm etiam vt patris volûtati ac desyderio satisfaceret, quod ille primarijs quibusdam Cõsiliarijs aperuerat, qui illud publicè testati sunt ad *Crucem Paulinam*, locum totius regni frequentissimum. Atq; vtinā nostra patriaq; nostræ peccata non impedirent, quo minùs prudentissimi *Reginæ Cõsiliarij* rem hanc ea grauitate ac maturitate ponderarent, quam & ipsorum, & nostræ, & nostrorum omnium rationes postulant; cùm eorum in hoc negotio probam vel improbam electionē, nostra sequatur vel diuturna fælicitas vel calamitas sempiterna.

Quod Prin-
cipes sac-
culares ha-
beant Superiores qui-
bus parere
debent.

Speramus certè ex moderatis *Reginæ Cõsiliarijs* neminem impudentis huius parafiti adulatione multum commoueri, dum prædicat, neminem esse cui *Regina* obtemperare debeat præter solum *Dominum*, nullam esse ei *superiorem potestatem in regnis suis*, nisi præpotentem

an tem solam aterni Dei dexteram, ideoq; Pontificis Rom. Iustit. Brit. pa. 50.
 ut cuiusquam alterius Censuras securè posse contēni.
 Est enim hæresis nimis manifesta & crassa, dicere Regem quum de anima & religione agitur, esse supremū, nec habere superiorem cui subijciatur. Néc enim solum totius Ecclesiæ Pastorem suum etiam Superiorem agnoscat necesse est, siquidem ad Christi gregem pertineat (cui^o omnes oues sine ullius exceptione, expressa Christi Domini sententia, Petro Apostolo Petriq; successoribus pascendæ & regendę committuntur) verum etiam alios sui regni prælatos qui animæ Regis curam habent, a quorum obedientia in rebus spiritualibus lex diuina non magis Regem eximit, quàm alium quemuis ex infima plebe Christianum. Non enim Reges magis quàm alij immunis sunt ab illa *D. Pauli* regula & præscriptione fidelibus omnibus data, qua ait, *Obedite præpositis vestris & subiaccete eis.* cuius præcepti rationem & populo & Regi æqualiter communem mox reddit, *ipsi enim vigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

Iohã. 21.

Heb. 13.

Quare si Principes non solum corporibus sed etiam animabus constant, habent ergo & præpositos qui de Principum animabus rationem reddant Deo. si tales sunt Principum præpositi, ergo & Principum est istis Præpositis se submittere eisq; obedire; si obedire debent & eis subijci, ergo necesse est, vt eos superiores agnoscant. Qua iam frôte dicit perniciosus iste assentator, Regibus & Reginis nullum esse Superiorem præter solum Deum? eos esse in regnis suis quoad oēs causas Ecclesiasticas, quoad religionem, quoad animas & conscientias, supremos omnium moderatores? nec posse eos a Pontifice aut Prælato quocunq; excommunicari, aliaue disciplina corrigi si fidem Catholicam deseruerint?

Si *Theodosius* Imperator in huiusmodi incidisset superbix suæ approbatores, aut si ipse ita gratia omni & sapientia fuisset destitutus, vt talibus susurris aures pa-

Theodosius Imperator.

tefacere voluisset, nihili certè *D. Ambrosii* fecisset cen-
suram & sententiam. Sed multò erat scèlicior, multoq;
religiosius Christianam disciplinam perceperat, quàm
vt huiusmodi in rebus seipsum Episcopo suo antepo-
neret, aut Maiestatem Imperatoriam prætendens, so-
lumq; Deum superiorem agnoscès, immunitatem sibi
in hoc mundo arrogaret ab omni reprehensione, quod-
cunq; tandem vel in religione crederet, vel contra re-
ligionem admitteret. Et est hoc quidem illustre vesti-
gium & expressa nota religionis temporibus nostris
prorsus conculcata, quòd isti prophani hæretici & ho-
mines Athei, humana diuinis, politiam temporalem
spirituali, animam corpori, terram cælo, Regalia Sacer-
dotio, vitam hanc proximæ, adeoq; & ipsi æternitati
tam absurdè & planè bestiarum more præferunt. Id
quod demonstrationem efficit luculentam, hac hæresi
ad *Paganismum* & *Epicureismum* directam atq; expeditâ
sterni viam; cùm apud eam eiusq; prædicatores videa-
mus nihil æstimari, nihil esse in pretio, nisi mundana, &
terrestria; Reginas, Reges, potestatè secularem, a qui-
bus caducos honores, sordidas voluptates, & alia huius
generis carnalia commoda se sperant posse consequi.

*Primatus
Ecclesiasti-
cus Regis,
manifestum
signum
Atheismi.*

*Veteris pa-
trum contra
primatû re-
gium dicta
& facta.*

*Ambros. li.
5. epist. 32.*

Cæterum istius rei veritatem ediscere & possumus
& debemus, partim a veteribus, gloriosis, & præstan-
tissimis Doctõribus atq; Episcopis Ecclesiæ primiti-
uæ, partim etiam a moribus primorum potentissimorû
Imperatorum & Regum qui eiusdem nobiscum Ca-
tholicæ fidei erant & professores & defensores. Ad
quam etiam veritatem magis illustrandam, multùm fa-
cit constans doctissimorum ætatis nostræ Protestan-
tium sententia. *Quid autem est honorificentius* (inquit *D.
Ambrosius*) *quàm vt Imperator Ecclesiæ filius esse dicatur?*
Imperator enim bonus, intrâ Ecclesiam non supra Ecclesiam est.
Diuisq; Chrysostrõmus sacerdotes admonens officij sui
de cohibendis a Sacramento altaris illis qui peccatum
aliquod grauius susceperant, nominatim præcipit, vt
eam

eam auctoritatem etiam contra Reges, aut alios quoscunq; supremæ dignitatis exercent. *Sive quis Dux militiæ sit* (inquit ille) *sive Præfectus, sive Princeps diademate coronatus, indignè autem accedat, coerce & prohibe; maiorem illo potestatem tu habes.* Sic item D. Greg. Nazianzenus alloquitur Imperatorem suum; *Te quoq; imperio meo ac throno lex Christi subijcit. Imperium enim nos quoq; gerimus, addo etiam præstantius ac perfectius; nisi verò æquum est spiritum carni fasces submittere, & caelestia terrenis cedere. Sed nõ dubito quin hanc dicendi libertatem in optimam partem accepturus sis, ut pote sacri mei gregis ovis sacra, magniq; pastoris alumna, recteq; iam olim a spiritu docta & instituta.*

Chrysof.
hom. 60. ad
popul. An-
tioche. &
in Matih.
homel. 83.

Nazian.
orat. 17.
ad ciues
Nazian.

D. quoq; Athanasius manifestò asserit & cõfirmat, Constantium imperatorem Arrianum, esse præcursorem Antichristi, eò quòd in discernèdo, principem se faceret Episcoporum, & præsideret iudicijs Ecclesiasticis: eamq; ab illo iniuste arreptam prærogatiuam & iurisdictionem (quam honestus Libelli huius author in Regina nostra vocat *Maiestatis illius Regalia*) appellat ipsam abominationem desolationis qua prædicta est a Daniele propheta. Quidnam (bone Deus) arbitramur sanctissimum hunc Patrem fuisse dicturum, si vidisset Cromwellum Comitem Essexiæ, constitutum Regis Henrici Vicarium generalem in spiritualibus? si Episcopos & Archiepiscopos iam in synòdo cõgregatos, omnes eius aduentum præstolari, ut interim res Ecclesiasticas aut theologicas nec extremis auderent digitis attingere? si eos huic tandem ingredienti assurgere, eiq; multum honorem & reuerentiam tanquam Vicario suo generali deferre? deniq; si eum vidisset inter Episcopos confidere, & Episcopis atq; Archiepiscopis omnibus hoc loco præsidere? Quid si aspexisset Edouardum puerum decennem, patris Henrici heredem, eodẽ iure fontem omnis spiritualis potestatis sibi vni vendicasse, & quosdã inde canales suis regijs diplomatistis ad Episcopos hoc modo deriuasse? *Edouardus 6. Dei gratia, &c. Reuerendo Thoma Cantuar. Archiepiscopo. Quandoquidem omnis*

Athanas.
ad solitar.
vitam agē-
tes.

Primatus
regius, An-
tichristia-
mus.

Cromwellus
Comes,
regis Vica-
rius gene-
ralis in spi-
ritualibus.
Fox. Act.
& Monu-
men. in vita
Cromwelli.

Fox. in E-
douardo 6.
anno. 1546
1547.

Episcopi
ordinant
sacerdotes
authoritate
regia, &
mutant re-
ligionis Ca-
pita.

Fox. vbi
supra.

Horne con-
tra Feknã.
pa. 3. 101.
103.

Naxian.
oratio. 21.
in laudem
marni
Athanas.

& iuris dicendi authoritas, atq; etiam iurisdictio omnimoda, tam illa quæ Ecclesiastica dicitur quàm secularis, a Regia potestate velut a supremo capite manat &c. ad ordinandum igitur quoscuq; intra diocesim tuam Cantuariensem, ac ad omnes etiam sacros & presbyteratos ordines promovendum, per præsententes ad nostrum duntaxat beneplacitum duraturas tibi datus potestatem. Quòd si Archiepiscopi hanc derivationem comprobassent, & ex ea Episcopos presbyterosq; suos ordinassent, & religionem immutassent, si literas suas ad Episcopos inferiores transmisissent hac forma; Thomas permissione divina Cantuar. Archiepiscopus per illustrissimum in Christo Principem Edouardum 6. Supremum in terra caput Ecclesiæ Anglicanæ & Hybernice sufficienter & legitime auctorizatus &c. tibi Edmundo Londinensi Episcopo & omnibus cõfratribus coepiscopis vice & nomine regia maiestatis quibus in hac parte fungimur, mandamus ut imagines ex ecclesijs cuiusq; diocesis tollantur, ut privata missa prohibeantur &c. si Episcopi hunc Regis Primatum Ecclesiasticum defendissent, eumq; asseruissent esse principalem partem regalis potestatis; Regis enim potestatem supremam esse in omnib; causis Ecclesiasticis; omnes cum dico, designo universalem comprehensionem ita ut nulla prorsus excipiat; nūquid huiusmodi viros admirabilis ille Athanasius, ille Prophetis & Apostolis aequalis, magnum Ecclesiæ columen (vti eum vocat & describit D. Naxianzenus) in Episcoporum aut Archiepiscoporum numero habuisset? nonne potius ut Apostatas, & iuratos Antichristi satellites exhorruisset? Neq; enim difficilis est cõiectura quid fuerit existimaturus, si audisset hanc totam potestatem deinceps hæreditario iure ad fæminam fuisse translata: si rescuisset de sigillo Regine ad causas Ecclesiasticas; de iudicijs & Iudicibus ab ea ad huiusmodi causas tractandas designatis; eam posse pro sua voluntate episcopalem authoritatem conferre & auferre, Episcopos creare & deponere, & tanquam supremam Iudicem de controuersijs Ecclesiasticis vltimam & immutabilem senten-

sententiam pronūciare. Nulli vnquam Reges vel Catholici, vel hæretici huc vsq; prouecti sunt, in quos tamen ius hoc maiore similitudine veri poterat conuenire quàm in faminam quamcunq; de quibus omnibus perspicuè *D. Chrysostomus*; Cum (inquit) de Ecclesia præfectura agitur, vniuersa quidem muliebris natura functionis istius moli ac magnitudini cedat oportet.

Chrysost. li. 2. de sacerdotio.

Quòd si Protestantes nostri Antiquitatem omnem fuissent obliti, mirum est quòd nec nouitatē, hoc est, suos ipsorum doctores & Euangelistas maiori cum iudicio expenderēt. Quis est enim Iohāne Caluino cōtra hunc Ecclesiasticum Primatum neruosior? Hoc erat sine vlla controuersa (inquit Caluinus) omnibus in Ecclesia primitiua persuasum. Si fidei quæstio agitabatur, aut qua ad Ecclesiam propriè pertineret, cognitio deferrebat Ecclesie. Sic intelligendum est quod scribit *Ambrosius ad Valentinianum*; Augustæ memoriæ Pater tuus, non modò sermone respondit, sed legibus quoq; sanxit, in causa fidei eum iudicare debere, qui nec munere sit impar, nec iure dissimilis. Item; si Scripturas aut vetera exempla intuemur, quis est qui abnuat in causa fidei, in causa (inquam) fidei, Episcopos solere de Imperatorib; Christianis, non Imperatores de Episcopis iudicare? Contendit quidem *Ambrosius spiritualem causam, hoc est Religionis, ad Civile forum non esse trahendum. Meritoq; in hac re eius constantiam laudant omnes. Ecclesia vero Geneuensis in Christianæ fidei confessione, sub Theodori Bezæ nomine publicata, quàm perspicuè hanc Anglorum impietatem his verbis refellit? Itaq; dispiciendum sentio, non quatenus piorum Principum a Synodis præsentia excludatur, sed quatenus suis limitibus circumscribatur, ut hic sibi longè aliter faciendū meminerint, quàm si in suo solio civilibus vel audiendis controuersis vel legibus condendis considerent; cum in Synodo intersint non ut regnent, sed ut seruiant, non ut leges condant, sed ut ex Dei verbo per os ministrorū ipsius explicatas, & sibi & alijs obseruandas proponant. Et ne quis exempla potestatis Principum hoc modo circumscriptæ requirat, ibidem*

Caluin. Institut. li. 4. cap. 11. sectio. 15.

Scriptura & Ecclesiæ primitiua Imperatores subiciuntur episcopis.

Confessio Christianæ fidei. ca. 5. sectio. 15.

Limites potestatis re- gis.

Ibid. docemur, Non aliter Davidem, Salomonē, Ezechiam, Iosiam,
 Oēs patres egisse cum Israelitica ecclesia senioribus. Et ex veterū Synodorū
 regesq; ve- actis omnibus liquet, veteres illos orthodoxos ad vnū omnes, de
 rerū testa- ciuilibus potestatis & ecclesiastici ministerij finibus regundis non
 menti & ciuilibus potestatis & ecclesiastici ministerij finibus regundis non
 noui refutāt aliter censuisse.

primatum
 principum.

Magdebur-
 gensis Cen-
 sura 7. in
 præfatio.
 pa. 13. 14.

Sleidan.
 lib. 13.

Luther.
 tom. 5. in 1.
 Petri ca. 2.

Gilby in
 Admoni-
 tione ad
 Angliā &
 Scotiā pag.
 70.

Mitto breuitatis causa Lutheranos, quamuis in alijs
 articulis penè omnib⁹ a Zuingliana factione toto cælo
 differentes, in hoc tamen, mirifica sententiarum atq;
 animorum vnitatem coniunctos; vt quum vehementer
 clamant, eos falcem in alienam messem mittere, & alienam
 functionem temerè inuadere, Sanctumq; sanctorū intrare quē-
 admodum Olias, imò esse Antichristos, & bellū indicere ver-
 bo Dei, vniuersam pietatem abiurare, negare Deum, seq; in illius
 locū collocare; qui cum politici sint magistratus, audent tamen
 nouas religionū formas componere, easq; Ecclesia ministris præ-
 scribere &c. mitto quòd Lutherus, primus & funestissim⁹
 huius Apostasiæ parens, eosdem regibus cancellos &
 limites circundat. Quod agat (inquit) Cesar satis superq;
 habet, administrationē videlicet reipub. Nimirum hoc ei præ-
 scripsit officium Deus, & hos veluti limites posuit. Quòd si aut
 tendat vltterius (ad Ecclesiæ præfecturam) iam in Dei iu-
 risdictionem inuadit. & alibi. Prophanus magistratus, & ex-
 ternum illud imperium, non nisi in externa item & corporalia
 potestatem habet. D. Petrus prophanum magistratū solū Hu-
 manum Statutū vocat; ideo nihil ei licet in statuta Dei, aut de
 fide aliquid præcipiendi. Hæc (inquā) & alia huius generis
 in communibus Lutheranorum scriptis vbiq; obuia
 mittamus oīa; tantū quia fides hæc est Anglorū pro-
 pria, Anglorum Protestantium, eorum qui Puritani vo-
 cantur, sentētiā intelligamus ex vno, qui de hoc ipso
 Primatu ita scribit. Monstrosus ille aper Henricus 8 (sic
 enim modestissimi homines de Rege suo loquuntur)
 necessariò Caput Ecclesiæ appellari voluit sub pena perduellio-
 nis, atq; sic e loco suo deturbauit Christum, cui soli illud cōpetit.
 In hoc ergo articulo (O Angli) nihilo eratis meliores Rom. An-
 tichristo, qui eo nomine seipsum Deum facit, regnatq; in homi-

num conscientijs, & exterminat verbum Dei, quemadmodum etiam fecit vester Rex Henricus quem ita predicatis, & cuius ductum in religione sequuti estis: quem eo modo & vos Deum fecistis, nihil credentes nisi quod ille approbat.

Henricus 8.
Anglicæ suo
tempora
Dei.

Sed vt ad Antiquitatem redeamus, vel hoc vnicum, quòd Athanasius ille Magnus, & cum illo Osius, Leontius, S. Hilarius, & alij primatum hunc in hæretico illo Imperatore Constantio tam acriter reprehenderūt, præmonere debuit patriam nostram & prudentes Reginæ Cõsiliarios, vt diligenter sibi cauerent & a simili errore perabsurdo, & etiam a suspicione Arrianismi quæ multorum in animis facile poterat ingenerari, cùm viderent nostros ipsis scelestissimorum Arrianorum qui primi fuerūt istius impietatis authores vestigijs in hoc tam insigni capite religionis insistere. At verò primatum illum totum, imò cum accessione longè maiori longeq; diuini, assignare fæminæ, quæ illius (vt D. Chrysoft. monet) nulla ratione est capax, hoc quidẽ fatuitatis est incredibilis & assentationis nimium barbaræ, qua fit vt Angli omnium ludibrio prostituamur, & in vuculas omniũ & quæ modò sunt nationum, atq; etiam sequentur posteritatis incurramus.

Primatus
principis
Ecclesiasticus,
æterna
labes Angliæ.

Hoc enim verè est non honorare Reginã tanquam proximam a Deo, sed planè diuinitatem ei tribuere, eamq; populo suo in locum Dei surrogare. Quæ cogitatio etsi a Regina ipsa absit lógissimè, cùm tam multa habeat mortalitatis suæ in memoriam reuocandæ argumeta; tamen illud certum est, hac execrabili & blasphema adulatione posse eam ad tam horredam impietatem non leuiter impelli. quemadmodum in paganis quibusdam Imperatoribus videmus, qui semel humanæ modestiæ limites transgressi, nunquam destiterūt donec diuinos honores sibi assumerent. Ad quod proximus gradus est, affirmare & credere, temporalem Principem esse Sacerdote in causis Ecclesiasticis superiorem; vel, in Rep. Christiana proximam a Deo & Christo dignitatem esse

Regina tantum non
Deus efficitur a Libelli authore.

Act. 20.
28.

non *Sacerdotalem* sed *Regalem*, atq; hac ratione regimen Ecclesiasticum Reginæ vindicare, quod *D. Paulus* clarissimè testatur esse Episcopis traditū, cum ait, *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei quam acquisiuit sanguine suo.* In quo errore aliorum omnium dementissimo, & Anglicanæ religionis hominibus peculiari, miserabile est post tot annos, post tam multum sanctorum Martyrum contra eam impietatem declamantium copiosè profusum sanguinem, post tot doctissimorum virorū monita, videre tamen istos semper hæere; semperq; pro iniquissimo hoc Principis spirituali primatu scripturas eas stupidè citare, per quas *Claudius* vel *Nero* (quorum temporibus illa scribebant Apostoli, & de quibus particulatim loquebantur) eundem in Ecclesia gubernanda causisq; Ecclesiasticis primatum supra *Petrum* & *Paulum* sibi poterant asciscere, non minori ratione quàm quiuis Rex, qui hodierno die in orbe Christiano viuuit.

Nota.

1. Pet. ca.

2. v. 13.

Iustit. Bri.

pa. 38.

I.

Multa Pro-

testantium

absyda, dñs

primatum

spiritualem

Principis, in

verbis D.

Petri fundant.

2.

Cum enim S. Petrus monuit Christianos ad quos scribebat, & in ijs reliquos omnes, vt *subiecti essent Regi tanquam præcellentis & præsidibus ab eo missis* (quem locum Aduersarius tam cōfidenter vrget) primū, ecquis est tam tardus & hebes, vel potius tam pertinax & cæcus, vt putet *D. Petrum* præscribere aliqua alia officia exhibenda Regi, quàm eiusmodi quæ communia fuerunt & Paganis principibus eo tempore persequentibus Ecclesiam, & Christianis Principib⁹ eandem post Ecclesiam protegentibus? Deinde, ecquis est Protestantium adeo intulsus, vt ex hoc loco velit arguere Paganos imperatores ratione subiectionis quæ hic præscribit Apostol⁹, & ex vi suæ Maiestatis Imperialis, *DD. Petro, Paulo, ipsoq; etiam Christo saluatore* nostro in Ecclesia Dei & Ecclesiastica gubernatione fuisse superiores? (nam & Saluator noster temporibus suis nõ aliter se gessit erga Imperatorem, quàm hoc in loco *D. Petrus*horta-

hortatur Christianos omnes) atq; ita excellentē Apostolorum vocationem, vel excellentissimum Christi Sacerdotium apud Deum fuisse abiecti^o & apud Christianos minùs aestimandum, quàm Regalia Neronis aut temporalē auctoritatem cuiuscunq; alterius, siue fidelis siue infidelis Principis? Tertiò, num ita parùm oculati sunt vt perspicere non possint, Regem vocari ab Apostolo *Præcellentem*, nō quidem ratione aut comparatione alicuius spiritualis potestatis, sed Principū, Ducum, Præfectorum & aliorum qui loco eius populis ius dicunt & prouincias regunt, vt ex ipso textu facillimè deducitur? Quartò, nec adhuc tantulūm profecerunt aduersarij, vt distinguere possint & secernere causas in quib^o Christiani Sacerdotes, Religiosi, alijq; omnes (iuxta D. Chrysostomum) subiiciuntur Principibus iustis, siue Paganis siue Christianis, ab ijs causis in quibus Princeps Sacerdoti præcipere non potest, sed contrà sacerdos Principi, hoc est, causas ciuiles ab Ecclesiasticis, ea quæ attingunt corpus & res terrenas, ab ijs quæ versantur circa conscientiam, religionem, æternamq; tum corporis tum animæ salutem? Quintò, nec illud ex verbis D. Petri antecedentibus aduertunt, hanc fuisse occasionem cur de obedientia scriberet, vt instrueret fideles, quemadmodum sine offensione agerent inter Paganos cum quibus habebant consuetudinem? Pagani autem, vt de alijs permultis, ita de hoc potissimum calumniabantur Christianos, quòd perduelles essent contra Imperatorem, quòd occultas coniurationes haberent, quòd obedientiam ei negarēt (quam eandem cantilenam nunc Catholicis occinunt Protestates) idcirco quia Christi fidem ad nutum Imperatoris nolebant deserere & Christianam disciplinā abijcere; sed magis Deo sanctisq; Pastoribus suis a Christo constitutis in materia religionis parendum censebant, quàm Imperatori aut eius militaribus Præfectis. Ad huiusmodi igitur falsas calumnias reprimē-

3.

4.

5.

Versus sensus verborū D. Petri.

das, hoc a Christianis postulat D. Petrus, vt Principibus in omni causa mūdana, temporali, & ciuili obtemperent, vt tributa soluant, vt obseruent leges, vt sub eorum imperio pacatè & modestè viuant, vt pro eis etiā orent, siue Christianam religionem tolerēt, siue etiā persequantur.

6.

*Differentia
inter Prin-
cipes Chri-
stianos &
paganos.*

Deniq; an credible est vel huius Libelli authorem, vel eius socios adeo esse obtusos & hebetes, vt nec illud animaduertent, quòd etsi Apostoli & sanctissimi primitiuae Ecclesiae episcopi in Imperatores adhuc paganos & a Christo eiusq; religione alienos nihil habebant authoritatis, nec eos aliqua disciplina poterāt cohibere qui nondum erga Apostolos & spirituales Ecclesiae Rectores aliquod agnoscebant subiectionis officium; nunc tamen cum Reges se populumq; suum Euangelio Christi submiserunt, liberaq; voluntate iugum eius suauissimum suis ceruicibus imposuerunt, & susceptis Christi Sacramentis se membra filiosq; Ecclesiae effecerunt; his temporibus, hoc loco, omni rationi legiq; tum diuinæ tum humanæ consentaneum est, vt quemadmodum Magistratus spiritualis principi sæculari in rebus sæcularibus honorem præstat & obedientiam; sic etiam ex altera parte sæcularis princeps Magistratui spirituali in rebus spiritualibus, ad fidem, religionem, & animam spectantibus, similem honorem & obedientiam exhibeat? cum vterq; suæ super alterum præstantiæ conuenientes habeat modos, vel legum seueritatem, vel disciplinæ grauitatem, quibus vterq; vicissim in ordinem redigatur, si alteruter contra alterum rebellare cæperit? Ex his autem duobus quoniam Magistratus spiritualis *in ijs constituitur quæ sunt ad Deum*, quæ spectant ad animas, quibus illæ dirigantur ad vitam & felicitatem sempiternam; Princeps autem temporalis potissimum versatur circa bona & tranquillitatem huius mortalis vitæ, ex eo fit vt horum vtrumq; si mutuo conferamus, necessariò fateri debeat.

Hebræ.
ca. 5. I.

mus auctoritatem spiritualem esse excelsiorem & diuiniorem, Deiq; Opt. Max. supra creaturas suas potestati summæ magis vicinam & similem, quàm est auctoritas terrena aut *humana creatura*, quemadmodum 1. Pet. 2. hoc in loco Apostolus Regem eiusq; Praefectos appellat. 13.

Quare, sicuti *omnis potestas* siue spiritualis siue temporalis a Deo est, uti docet Apostolus; ideoq; obedientia ac subiectio utriq; in suo genere tribuenda est, licet quoad diuersa obiecta, causas, & rationes; ita illud quoq; clarissimum est, ex his duabus Ecclesiasticam politiam & regimen ciuili longè esse sublimius & excellentius. Vnde *D. Ignatius*, hunc præscribit Superiores nostros colendi & honorandi ordinem. *Honora Deum ut omnium authorem & Dominum, Episcopum verò ut Principem sacerdotum imaginem Dei referentem, Dei quidem propter Præcipatū, Christi verò propter sacerdotiū. Honorare oportet & Regē. Nec enim Deo quisquam præstator aut quisquam similis ei in rebus omnibus; nec episcopo quicquam maius in Ecclesia, qui Deo consecratus est pro totius mundi salute; nec inter Principes quisq; similis Regi qui in pace & optimis legibus subditos moderatur. Qui honorat episcopum, a Deo honorabitur; sicut qui ignominia afficit illum, a Deo punietur. Si enim iure censetur pæna dignus qui aduersus Regem insurgit, quanto grauiori subiacebit supplicio qui sine Episcopo quid uolet agere, concordiam rumpens & decentem rerum ordinem cõfundens? Sacerdotium enim est omnium honorū, quæ in hominibus sunt apex: qui aduersus illud fuerit, non hominē ignominia afficit, sed Deum & Christum Iesum primogenitum, qui natura solus est summus sacerdos patris. &c.*

Quòd si quis præterea scire desyderat, quemadmodum veteres Christiani Imperatores hac de re iudicauerint, & in negotiis his spiritualibus erga sacerdotes quales se præbuerint; quibus honoribus, priuilegiis, & prærogatiuis eos eorumq; sanctam vocationem afferentibus, & supra communem Laicorū sortem extulerit

Rom. 13. 1.

Subordinatio potestatis Episcopalis & Regia iuxta D. Ignatium.

Ignatius epistola ad Smyrnenses.

Veterum Christianorum Imperatorū hac de re sententia & praxis.

- Socrat. li. etiam in causis ciuilibus, legatis apud *Socratē & Sozomē-*
 1. ca. 5. *num*, Constantinus Magnus quam magnam mode-
 Sozom. li. stiam præstiterit erga Patres Concilij Nicæni. Legat
 1. ca. 9. & & notet in D. Augustino egregiam humilitatem eius-
 16. dem Imperatoris usque; eò se demittentis, ut a sanctis
 Aug. epi. *episcopis veniam petere* uoluerit, quòd in Cæciliani causa
 162. episcopalis iudicij propria, suam auctoritatem inter-
 posuerit, qui tamen Donatistarum importunis preci-
 bus contra suam uoluntatem eò fuerat pertractus. *Neg;*
 Ibid. *enim* (inquit D. Augustinus) *ausus fuit Christianus im-*
 perator *de iudicio episcoporum qui Romæ sederant iudicare. Le-*
 Amb. li. 5. gat & expendat in D. Ambrosio senioris *Valentiniani le-*
 epist. 32. *gem qua sanxit, in causa fidei vel ecclesiastici alicuius ordinis*
eum iudicare debere, qui nec munere impar esset, nec iure dissi-
milis: hoc est, sacerdotes de sacerdotibus uoluit iudicare. Idem
 ferè scribitur ab eodem D. Ambrosio de Imperatore
Gratiano in Concilio Aquilegiensi. Denique; ut breuis
 sim, legat attenrè 6. Constitutionem Imperatoris *Iustini-*
ani ubi Christianus Imper. rectè discriminat Sacer-
 dotium & Imperium, illudque; huic anteponebat ita scri-
 bens; Maxima quidem in omnibus sunt dona Dei a su-
 perna collata clemètia, Sacerdotium & Imperiũ; illud
 quidem diuinis ministrans, hoc autem humanis præsi-
 dens, quæ ex vno eodemque; principio utraq; proceden-
 tia, humanam exornant uitam &c.

Atque; hæc ita sese habent in iis regionibus ubi Ec-
 clesia & Status ciuilis in vnum quodammodo corpus
 & Rem-publicam coaluerunt; ubi quemadmodum
 Prælati & Ecclesiastici multis in causis subsunt Regi-
 bus, sic Reges & populi reciprocè multis in causis o-
 bediunt Ecclesiæ eiusque; prælati; utrique; autè honori-
 bus mutuis sese inuicem prosequuntur, & suauiter ad
 Christi regnum propagandum consentiunt; sic tamè,
 ut spiritualis principatus inter Christianos semper
 primas teneat, quanquam temporalis quoad munda-
 nas opes, gloriam, & magnificentiam populo in pace
 con-

continendo valde necessariam, serè præstet, & in oculis hominum, maiori splendore rutilet, quam exteriorem etiam Regum pōpam & speciem, Prælati in suis separatim prouinciis, omni quo possunt officio pro virili alete & conseruare non detrectant. Romanus vero Pontif. inter Episcopos omnes populūq; Christianum vniuersum primus, cum neq; ratione ditionis temporalis vlli sit omnino Principi subiectus, & ratione iurisdictionis spiritualis omnes prouinciarū & regionum particularium Episcopos longo interuallo superet, hic (inquam) cum principatum habeat neutro modo aut relatione quacunq; sub altero constitutum, necesse est vt tanq̄ supremo in loco positus & singulariter emittens, aliis sine exceptione omnibus longè anteferatur. Et quanq̄ eius status temporalis non expressè fundetur in lege diuina, neq; ad Deum tanq̄ proximum eius authorem referatur quemadmodum Primatus spiritualis, qui a Christo directè & proximè deducitur; tamen magna Dei prouidentia factum est, vt postquam Imperatores & Reges Christianam fidem amplexi Ecclesie communioni sese adiūxerunt, summus eius Pontifex ad honorem Christi illiusq; quo vice Christi fungitur excellentis officij, ab omni subiectione eximeretur, bona cum Regum ipsorum & Imperatorum voluntate: ab eisq; collocaretur in possessione Ciuitatis orbis terrarum primariæ. Id quod nunquam potuisset effici, & tot sæculis ad hunc usq; diem perpetuari, inter tot mutationes, casus, & ruinas quæ interim omnib⁹ circuncirca regnis & Monarchijs amplissimis acciderunt, nisi Dei singularis bonitas & ordinatio ita statuisset; in eum finem, vt hic Episcopus sub nullius imperio positus, securius liberiusq;, minori cum periculo, & maiori cum æquabilitate iustitiam posset administrare omnibus; & sine formidine aut personarū acceptione, Ecclesiasticam disciplinā erga omnes ex Christi grege vel maximos vel

Diuina prouidentia circa Pontificis status temporalem.

minimos, vel arietes vel agnos exercere. Quod tam commodè fieri non poterat, si quemadmodū alij Episcopi, sic & iste alicuius Regis imperio viueret obnoxius.

*D. Paulus
contra pri-
matum ab-
surdissime
ab aduersa-
rio citatus.
pag. 37.
Rom. 13.
1.*

Atq; hic etiam ex imperitissimis nostris hæreticis nonnulli (& nominatim Libelli author) adeo sunt vel communis sensus ignari, vt contra ea quæ diximus, magnis lateribus iactare audeant *D. Paulum* præcipiētem, vt *omnis anima potestati sublimiori subdita sit*; ex hoc loco (quantum conijcere possumus) concludentes, Pontif. Romanum Reginae Angliæ *subditum* esse debere, vel saltem alicui alteri Principi. Quasi verò *omnis anima, omni potestati* seipsam debeat subijcere, aut alij cuiuscūq; quàm tali, quæ in eam legibus & moribus iustam habet authoritatem; aut quasi vel huic tali alijs in rebus parendum sit quàm ijs quæ ordinatè & legitimè ab illa mandari possunt; aut etiam quasi Deus sæcularem tantum potestatem erexisset, & obedientiam omnem illi præstandam fanciuisset, de spiritali autem potestate nihil vsquam meminisset, nec de obedientia quæ illi debetur quicquàm penitus significasset. Ab huiusmodi nimirum stupidissimis hominibus Ecclesia iam oppugnatur, qui & religionis omnis sunt expertes qua in his controuersijs dirigantur, nec rationem habent qua dijudicent ea quæ paulò sunt difficiliora, & sensu communi carent quo cernant ea quæ sunt apertissima & tanquàm ante pedes, cùm istiusmodi loca proferunt ad Principum tantummodo temporalium potentiam constituendam, quæ vel manifestis verbis, vel necessaria consequentia multò magis spiritualem authoritatē confirmant, & obedientiam illi exhibendā præcipiunt.

Eadem etiam cæcitate vir iste producit dictum Saluatoris, *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic; vt probet Pontifices non debere sibi temporalem authoritatem sumere, sed solum pastoritio munere in pascendis ouibus defungi, sicuti Petro præceptum est, Pascite oves meas quas*

*Luc. 22.
25.
Iustit. Bri.
pa. 28.*

disci-

disciplina forma, multa secula post Christi & Apostolorum Christi verba perperam
 mortes & sepulturas a multis Romanis pontificibus pijs retenta est intellecta.
 est. Atqui nec hoc Saluatoris preceptum vnquam protulisset, si eo tyrannica tantummodo dominatione
 Paganis regibus erga suos subditos admodum familiari, magistratui Christiano siue temporali siue spiritali
 a Christo interdictum nouisset, neutri autem prohibitum iustum supra alios regimen & principatum. Id quod
 discere potuerat vel a suo domi Archiepiscopo, Status Archiepiscopalis magnitudinem contra Protestantes
 puriores defendente, qui clare affirmat, communem esse White-
 scriptorum omnium opinionem hac Christi verba non ad solos gig. i De-
 Ecclesiasticos pertinere, sed ad Christianos omnes promiscue, defensio.
 lissq; prohiberi non principatum, dominatum, aut similem contra F.
 auctoritatem, sed tantum ambitiosam eius affectationem, quem C. ca. i.
 esse verum loci sensum ex varijs Protestantium diuis. i.
 commentarijs ostendit. Aut si illud non aduertit, hoc saltem debuit considerare, vocem *pascendi*, comprehendere non
 solum concionandi munus, sed etiam omnes legitimos Pascere,
 modos sanctosq; conatus Euangelio propagando & quid con-
 hominum saluti promouenda commodos, pro differ- neat.
 rentia temporum, locorum, & personarum: in quo genere sunt excommunicationes, & alia censura Eccle-
 siastica, quibus sine controuersia ad spiritualem potestatem directe pertinentibus æquum erat aduersarios
 humiliter obtemperare. Quod si facerent, nunquam hos Pontificis vel aliorum gladios extimescerent, quorum
 inani & garrula repetitione lectoribus adeo sunt fastidiosi.

Simulat quidem hac in re nescio quem zelum Apostolicum; aiunt enim Pontifices antequam his affluerent opibus & amplitudine temporali Christi doctrinam Protestantium
 & piam Apostolorum simplicitatem imitarentur, plus in Ecclesiam Zelus pra-
 fructus attulisse, magisq; fines eiusdem & terminos vel posteros in
 centum annis extendisse, quam eorum posterius execrationibus limitanda
 & gladius quingentis annis prodesse potuerunt. At responde- utraq; po-
testate Ro-
ma. Papi-
ca. pag. 39.

mus; istos nunc id præ se ferre quasi Pontifici creptant velint non solum temporalem potentiam (quod tamen eorum argumenta & scripturæ loca hæcenus citata solum videbantur tendere) verum etiam armaturam spiritualem & Ecclesiasticam omnem in peccatoribus castigandis disciplinam, quam Libelli author *execrationum* nomine designat. quibus tamen perspicuum est veteres episcopos non minus, imò fortasse magis & frequentius fuisse vsos aduersus Christianos delinquentes, quàm nunc iisdem posteriores Pontifices vtuntur: licet ante Principum ad fidem conuersionem, aliquam aliam disciplinam, multò minus *seculare brachium* illis corrigendis adhibere non potuerint: quandoquidem ijs temporibus nondum eam habebant dignitatē mundanam, quam & ipsorum sublimis inter Christianos vocatio requirebat, & diuina prouidentia non longè post eis largiebatur; quin potius sæculis aliquot in perpetua vivebant persecutione, mortemq; ab inimicis nominis Christi illatam sufferebant. Quam eis conditionem perpetuam imprecari videntur aduersarij, quibus molestum est quòd viribus vllis sint instructi, vel ad impugnandos Turcas, vel ad castigandos hereticos, qui spirituali excommunicationis sententiæ obtemperare pertinaciter recusant.

*Temporalis
potètia, pon-
tifici admo-
dum neces-
saria.*

De populis autem ad fidem Christi conuersis aut conuertendis, vtrum Pontifices Rom. ad Christum plures aggregauerint primis sæculis cum in paupertate viuerent, an verò posterioribus quando magis erant locupletes & copiosi, non est cur admodum subtiliter examinemus. Hoc potius a viris prudentibus expèdendum est, vtrum ille quem nunc videmus Romanorum Pontif. Status magnificentior, nostris temporibus ad populos Principesq; iam Christianos in fide suscepta continendos non magis sit idoneus, quàm fuerit prior illa indigentia antiquissimo Apostolorum sæculo. Quanquam illud difficilè probabit aduersarius, plu-

res nationes ad Ecclesiam fuisse adiunctas in illa Pontificum paruitate & inopia, quàm post in eorum opibus & magnitudine.

Hoc quidem ex historijs manifestum est; *Angliam* Conuerstones populorū ad fidem, operā posteriorum Pontificum. nostram, *Germanie* partem longè maiorem, *Poloniam*, *Hungariam*, *Belgium*, & alias regiones septentrionales, præter *Indiam* orientalem & occidentalem, multasq; in extremis mundi finibus prouincias, vel primò fuisse ad Christum conuersas, vel post Apostasiam recuperatas, sanctis posteriorum Pontificum laboribus. Sed ut ab hac inuidiosa comparatione aduersarium abducam, illud confidenter assero, hunc qui modò uiuit Pontificem Rom. sua vnus spiritali & temporali potestate diuinit' accepta, longè plus operari ad Paganos, Turcas, Iudæos, Mauros, Hæreticos, Schismaticos & alios infideles Christiana fide imbuendos, quàm omnes vbique Protestantes si in vnum conferantur, Reges, Principes, Duces, & Respublicæ; ut interim silentio præteream innumerabilia charitatis officia multis partibus orbis Christiani tributa; quæ nunquàm efficere potuisset, si his humanis opibus & facultatibus fuisset destitutus; quæ non minùs ad ista præstanda, quàm ad illustrem excellentemq; supra Principes atq; Prælatos omnes uocationem suam tuendam requiruntur.

Verùm de præstantia potestatis spiritalis, siue in Rom. Põtifice qui nullum habet in terris superiorem, siue in alijs particularium regionum episcopis qui sæpenuerò sub aliorum Regum imperio viuunt, satis opinor multa diximus ad refutandam aduersarij & similitum pestiferam adulationē, qui sæcularem quemcunq; Principem liberare cupiūt ab omni Pastorum suorum obedientia. Tantummodo pauca D. Ambrosij verba omnibus in patria nostra uiris prudentioribus diligenter ponderanda, tanquàm coronidis loco apponemus, quæ plurimum habent momenti ad hanc totam controuersiam determinandam. *Mandatur mihi* (inquit D.

Epist. 33. Ambrosius) trade Basilicam. Respondeo; nec mihi fas est tradere, nec tibi accipere (Imperator) expedit. domum privati nullo potes iure temerare; domum Dei existimas auferendam? Ablegatur; Imperatori licere omnia, ipsius esse vniuersa. Respondeo; Noli te grauare Imperator, ut putes te in ea qua diuina sunt, imperiale aliquod ius habere. noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est, Qua Deo Deo, qua Caesaris, Casari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiae. Publicorum tibi manium ius commissum est, non sacrorum.

Impia est
adulatio
eximere re-
gē ab obe-
dientia pa-
troris sui.

Hæc D. Ambrosius Imperatori Valentiniانو. pariq; libertate & fiducia nos Principi nostrę omnibusq; qui sub ea Reipub. administrandæ præsumunt testamur, eos turpiter eius clemētia abuti ad suā ipsorū damnationē perpetuam, & ad Reginae regniq; certissimam ruinam, (nisi Deus supra humana merita suam nobis misericordiam præbuerit) quicumq; sordida adulatione ut ei ad tempus gratificentur, eius Regalia terrenumq; principatum supra sacerdotium & Apostolicam authoritatem sic attollunt, ut eam excipiant a communi Christianorum reliquorum conditione, ut eam solutam esse velint ab obedientia qua Christiani omnes alligantur; hoc est, ne Ecclesiae Christi illisq; Pastoribus subijciatur, quos eiusdem Ecclesiae in hoc sæculo Spiritus sanctus constituit gubernatores.

Denuntiamus illis ingenuè & apertè cum eodem eximio Doctore, deq; hoc tum capita nostra in hac vita periclitabimur, tum animas in futura, idq; ea cum submissione qua decet subditos, & sine vlla vel leuissima eius Regiæ maiestatis imminutione, illi nihil esse iuris, authoritatis, aut potestatis, in Ecclesiam vel causas Ecclesiasticas; non magis quàm tenuissimo in sua Reipub. Christiano: imò multò minùs, donec rursus inseratur in communionem Ecclesiae & vnitatem seclis Apostolicæ. Vnum hoc adijcimus, quòd & propter loci dignitatem, & solennem sanctissimi iuramenti obli-

obligationem, multò magis quàm subditi ad Ecclesiã defendendam astringitur.

Postremò, illis omnibus quæ superiùs attigimus argumentis, rationibus, Patrum & sanctarum literarum testimonijs innixi, asserimus, præter Deum omnipotentem, vnicuiq; sæculari Principi Christiano, & Pastorem suum proprium, & maximè Pastorem generalem totius Ecclesiæ, esse in hoc mundo Superiorem quoad omnes causas religionis & conscientiæ; in quibus omnibus ei iure diuino tenetur obedire, nisi æternam damnationem velit incurrere. Nec dubitamus Dei iustum & terribile iudicium illis Regibus populisq; omnibus imminere, qui ei parere recusant; eiusq; sanctionibus præfractè reluctantes,

Antichristiana superbia potestatem sibi vendicant, quam illis nulla ratione fas est tribuere.



CONCLUSIO LIBRI, CONTINENS
BENEVOLAM SVASTIONEM ET AMICVIV
*hac omnia pacificandi ordinem; si aliqua nimirum via in-
catur religionis Catholica in Anglia toleranda, &
istius cruenta persecutionis vel profus tollenda
vel saltem mitiganda.*

CAPVT. IX.

N AM verò etiam si cum seriò me-
ditamur Patriæ nostræ peccatum
grandè & inexpiabile, acerbissi-
mum ex eo dolorem & timorem
vt par est, concipimus; tamen vel
instita nobis erga carnem & san-
guinem nostrum affectio, impel-
lens vt magis fausta speremus
quàm sumus promeriti, vel immensitas infinitæ Dei
misericordiæ, humanæ impietati cõtrariam mercedem
rependens, veniam nimirum peccatis eorum quos ve-
rè pænitet; sæpe nos exuscitant ad gratiam a Deo &
misericordiam potius expectandam, quàm supplicium
debitum & iudicij seueritatem.

*Causa cur
& timeamus & spe-
remus de
patriâ nos-
tra,*

In qua meditatione illud crebrò nobis occurrit; si
quod sit remedium diuinæ vindictæ a Principe & pa-
tria nostra auertendæ, abundantia certè sacrati sangui-
nis his postremis annis, adeoq; & a primis huius Apo-
stasiæ temporibus tanta cum charitate & constantia
profusi, primum locum tenet. Qui etsi in cælum cla-
mare, & vindictam videatur exposcere (quod verum
est, si respiciamus homines scelestos sine pænitentia
in

in impietate sua obfirmatos; eiusq; clamor contra eos nunquam erit inanis) tamen eos speramus nobis impetrari misericordiam; maxime cum consideramus infinitum illorum numerum qui tantæ immanitati nunquam consenserunt. Hoc illud est quod nos in primis solatur, & ad præclaram spem erigit. Roborat hanc spem, multorum optimorum sacerdotum & nobilium Laicorum heroïca fortitudo, qui perpetuo non solum preces & alia Christianæ pietatis opera, sed etiam fortunas, libertatem, vitam suam quodammodo sacrificant pro charissimæ patriæ salute. Roborat eandem spem, summi Pontificis incredibilis cura & sollicitudo, qui nostram reconciliationem immensa cum charitate procurat. Roborat, generalis consociatio omnium toto orbe Christianorum, ad nos Ecclesiæ restituendos cõiunctis animis contendentium. Nulla est Ecclesia, nulla est societas, nullum est Monasterium aut Collegium paulò celebrius in orbe Christiano, quod non flagranti zelo, publicis ieiunijs & præcibus, apud Deum pro misericordia nobis obtinenda intercessit. Illi deniq; homines, illa actiones, illa vno verbo omnia quæ aduersarij putant solas esse suorum periculorum & perturbationum causas efficientes, ea nos amplissima spe complent, ut certò propè expectemus, & istis veniam & toti Patriæ salutem Dei bonitate esse impertiendam.

Utq; iam in conelusione non minus amice & liberaliter cum aduersariò agamus, quam ille videtur nobiscum; nihil certè optamus aliud ad eius rei complementum, quam proponit & partim pollicetur, nisi ut certam haberemus de ea Reginz & Consiliariorum voluntatem; aut ut Libelli author apud illos ea polleteret autoritate & gratia, qua posset ad effectum perducere quod verbis obscure significat: hoc est, se non dubitare, quin Regina sisteret manus a sordendo ciuium suorum sanguine, potiusq; omne magnificentie genus in eos conferret, si illi ab externis fraudibus desisterent & a perscribendis libris

Conditio a
Libelli au-
thore pro-
posita.
Iustit. Bri.
p. 70.

plenis conuictiorum; si deinceps non vagarentur in tenebris sed in lucem prodirent & solem, seq̄ ad verum disciplina scholarumq̄ suarum vsum immutarent, suaq̄ manerent professione & deuotione contenti; sic enim loquitur, quæcunq̄; sit interim mens hominis & sententia. Verùm (bone Deus) si aliqua misericordia, si aliqua iusta & honesta pacificatio etiam cum conditionibus periniquis aliquo tamen modo tolerabilibus vnquam fuisset meditata, vel Catholicis cupidè desyderantibus oblata; aduersarijs nunquam fuisset opus hanc tantam crudelitatem expromere in necessarios suos, in cognatos, & ciues amantissimos; istę turbæ, timores, & pericula nunquam fuissent cogitata, quæ nunc in eorum animis tam altas radices egerunt. Si magistratus misericordia vel leuiter commoti patefecissent aures continuis clamoribus, lachrymis, obtestationibus Catholicorum, aliquod leuamentum conscientijs suis incredibiliter vexatis postulantium, quibus in dies sine intermissione noua imponebantur iuramenta execrabilia, articuli religionis inauditi, variæ subscriptiones, Ecclesiarum, concionũ, communionum hereticarum frequentationes, aliaq̄; funesta Calvinismi approbati symbola; si Catholici impetrare potuissent, vel aperta licentia vel tacita simulatione, in quibusdam licet paucissimis Regni locis secretò sine vllò Protestantium scandalo, liberum eius fidei & religionis vsum in qua omnes maiores nostri a prima Insulæ conuersione vixerunt & mortui sunt, in qua ipsi aduersarij baptizabantur, & a qua nullo vel diuino vel humano iure auelli poterunt ad aliquam nouam religionē aut sectā ab ipsis vel maioribus suis libera voluntate nunquam approbatam; si inter tot insignes Ecclesias, collegia, aliosq̄; magnificentissimos apparatus toto regno a Catholicis & pro Catholicis factos, & solis Catholicis Catholicæq̄; religioni, nullis autē Protestantibus aut eorum qualicunq̄; sacrilego Ministerio destinatos, vel quædam exigua sacella veris Dominis illiq̄;

Catholicorū in Anglia diffcultates extrema.

alijq; diuino cultui propter quem omnia instituebantur, fuissent permiffa; fi vel partem aliquam eius libertatis potuiffent adipifci, quam habent *Catholici* in *Germania*, *Heluetia*, alijsq; locis vbi potestas fuma est penes *Proteftantes*, aut quam habet *Hugonoti* in *Gallia*; imò fi ea cum humanitate fuiffent tractati quam *Chriftiani* experiuntur inter *Turcas*, vel *Iudæi* inter *Chriftianos*; aut fi hoc non modo precibus & fupplicibus Libellis, fed etiam tributis, idq; moderatis vel immoderatis exorari potuiffet, quod crebrò, demiffiffimè, & lamentabili cū obfecratione fuit flagitatū; vel vt breuis fim, fi de *Catholicorum* animabus, corporib⁹, fortunis, vlla aduerfarios attigiffet cura & commiferatio, nunquàm tanta domi multitudo eorum improbaffet regimè; nunquàm ipfi tam varios timores de multorum alienata voluntate, de Nobilium & aliorum illuftrium virorum difceffione concepiffent: nūquàm tot Collegia & Seminaria in aliorum Principum dititionibus fuiffent instituta & Anglicanis adolefcentibus referta; quorum initium nunc quidem eft gloriofum, exitus autem in pofterum magis fortaffe magisq; erit *Chriftianis* omnibus admirabilis: nūquàm tam multi Sacerdotes vel domi olim vel foris nuper confecrati, qui eorum hærefes adeo cōftanter & efficaciter confutarunt, hanc paleftram fuiffent ingreffi: omnis amputata fuiffet occasio tot libros fcribendi, partim vt innocentiam noftram maiorumq; fidem defenderemus, partim vt iuftiffimis querelis *Chriftiano* orbi notam faceremus barbaram & intolerabilem crudelitatem, quæ quotidie ad nos conficiendos exercetur.

Catholicū
nūquàm
gentiū, nec
apud *Tur-*
cas vnum
tam miferè
quàm in
Anglia.

In quibus omnibus libris nemo *Proteftantium* tota *Anglia* conuincere poterit authores alicuius mēdacij, calumniæ, procacitatis, aut immodestæ contra Principem vel perfecutores ipsos maledicentiæ: quomodo- curiq; hoc in loco placet Libelli authori sine argumēto yaticinari, Imò in hoc genere de fimplicitate & in-

Libri cōtra
aduerfarios
fcripti sine
vllis conui-
tijs.

nocentia nostra adeo certi sumus, vt fidenter huic homini asseuerem⁹, eum producere posse nullam lineam, nullam sententiam, nullum exemplum ex omnibus scriptis nostris, quò accusationi suæ umbram aliquam probationis obtendat. Quemadmodû ex altera parte, nec iste, nec ex fratribus suis vlli, aduersarios hostes Ecclesiæ Dei, liberos præstare poterunt ab aliquo crimine, vel quoad mores vel quoad doctrinam, quod nos illis obiecimus.

Deniq; illi ipsi Sacerdotes qui Angliam ingrediuntur (de quorum clandestinis actionibus, simulato habitu, continuaq; intra priuatos parietes remansione, iste tam multa conqueritur, quasi hæc satis superq; essent ad eos omnes grauissimæ perduellionis manifestè conuincendos) iam olim publicè apparuissent in habitu sacerdotali, & sacras ordinis sui functiones apertè in oculis hominum exercuissent, quemadmodum apud alios omnes Christiani nominis populos & prouincias vsitatum est, si quocunq; modo sine euidenti capitis discrimine, hoc ab eis fieri potuisset. Atq; in præsentia nihil amplius exoptant, quàm Principis permissionem aut mādātū (quod obscurè subindicat Libelli author) quò palam *vtantur doctrina, deuotione, & professione sua iuxta Scholarum morem*, aut aliam quacumq; de vitæ securitate sponsonem, moxq; se offerent paratissimos ad fidei suæ rationem vel coram Academijs Angliæ, vel ipsa Regina & Consiliarijs quibuscunq; reddendâ. Id quod multis libris varijsq; modis fratres nostri sæpenumero admodum humiliter & vehementissimè flagitarunt, nec vnquam potuerunt impetrare.

Inijcit nobis spem Libelli author desituram persecutionē, si sacerdotes & alij ex Seminarijs apertè agerent. Et nos illi vicissim sanctissimè pollicemur, si prius desierit persecutio, & de Principis voluntate constiterit (hoc enim ipso naturæ ordine primò requirendum est) sacerdotes, Religiosos, & Catholicos omnes in lucem

*Publica disputatio de-
sideratur, si
vllis aequis
conditioni-
bus possit
impetrari.*

esse prodituros, easq; Christianę religionis functiones & opera quę nunc necessitate compulsi in occulto peragunt, palam publiceq; administraturos. Neq; enim quenquam per Dei gratiam, ordinis, fidei, professionis, aut Magistri sui pudet, etiam si singuli & aliās natura, & ipsis quoq; religionis nostrę legibus obligamur, nos ipsos quādiu Dominus permiserit, a persecutorum gladijs saluos conseruare & incolumes. Atq; hoc quidem inter alia permulta, insigne est argumentum, & sacerdotum aliorumq; Catholicorum innocentię, & aduersariorum ignorantię atq; malitię; quod cum acerrimē studeant homini Christiano aut Sacerdoti, læsæ maiestatis actionem intēdere, nihil aliud expiscari poterunt præter ista nugatoria, quod publicē medio foro non ambulet, quod secretō res suas agat, & ad carnificis laqueos declinandos, habitu sit indutus suę vocationi non admodum congruenti; crimen illi persimile cuius olim nequissimus *Fimbria* optimum *Scaeuolam* quę grauiet̄ vulnerauerat, corā Iudicibus accusare voluit. Rogatus enim causam cur *Scaeuola* diem dixit, respōdit, quia nimirum non toto corpore ferrum recepit.

Cicero Rō. se Amer.

Sanctissimus Rex & Propheta *Dauid* cum in ijs locis esset vbi periculum aliquod capitis suspicabatur, non solum aliās manifestē fugiendo, aliās occultē latitando, aliās artificiosē statuat̄ suo loco supponendo inimicorum manus euasit, sed etiam aliquando planē furiosum se simulauit, vt apud *Achim Regem Geth* quod ita presenti se periculo expediret. Quam sepe illud occurrit apud *Euāgelistas* de *Saluatore* nostro, non quod præceperit *Apostolis* suis, cum persequerentur vos in ciuitate ista, fugite in alia, sed quod ipse fugit in *Egyptum*, quod abscondit se, quod ascendit ad *Ierusalem* die festo non manifestē sed quasi in occulto. & alibi. *Iesus* non iam palam ambulabat apud *Iudæos*, sed abiit in regionem iuxta desertum, & ibi morabatur cū discipulis suis, adeo vt necesse fuerit *Pharisæis* eum comprehendere studentibus, quasi regio

Quod liceat fugere & occultare se tēpore persecutiōnis.
1. Reg. 19
13.
1. Reg. 23
13.
Mar. 10.
23.
Mat. 2. 13
Ioā. 8. 59.
Iohan. 7.
10. & 11.
36.
Ibi. 11. 54

Iohā. II.
16.

Iohā. 3. 2.
& 7. 50.

Ibid. 19.
38.

Act. 1. 13.
& 12. 12.

Damasus
in Pontif.

Sozome.
li. 6. cap.

12. & li. 5.

ca. 6. So-
erat. li. 4.

ca. 12.

Damas.
in histor.

Barlaam.

Theodo.
lib. 4. ca.

12.

Exemplum

Eusebii

martyris

rebus An-

glicanis

aptissimū.

Vestitus

mutatio

licita.

edicto promulgato, emissarios suos & exploratores ar-
mare publica autoritate, ad eum inuestigandum. *Quæ-*
rebant enim eum (inquit Scriptura) & dederūt mandatum
ut si quis cognouerit ubi sit, indicet, ut apprehendant eum. Et
quis ignorat criminofum non fuisse Nicodemo, quod
sæpe ad Christum venerit nocte? quod Ioseph ab Arimathæa
fuerit discipulus occultus propter metū Iudæorum? Quis nel-
cit Apostolos & ante effusum in eos Spiritum sanctum,
& post etiam, seipos occultasse in priuatis cubiculis &
cœnaculis? quemadmodum etiam primi Pontifices &
Martyres Romani metu persecutorum, suos habebant
conuentus, celebrabant mysteria, & cogebant syno-
dos in cryptis subterraneis. Aut quomodo obliuisci po-
terunt quid Magnus ille Athanasius egerit, grassante
contra eum Iuliani Apostata & Arrianorum Impe-
ratorum Constantij & Valentis persecutione, qui aliquā-
do in priuatis domibus ad multos annos, aliquando etiā
in patris sepulchro delituit. Aut quemadmodum san-
ctus ille Barlaam & habitu, & gestu, & reliquis actio-
nibus mercatoris personam induerit, ut Principē Iosa-
phat Christianæ fidei lucrifaceret. Cur illis non venit
in mentem memorabile exemplum Eusebii beati Mar-
tyris & Episcopi Samosatani? qui habitu militari indutus
& capite tiara operto, Syriam, Phœniciam, & Palestinam per-
agrauit, quò presbyteros diaconosq; crearet & alia Ecclesiasti-
ca obiret officia, tum nimirum cum illarum prouinciarū
Ecclesiæ veris sacerdotibus & sacramentis diuinis ef-
sent spoliata per Arrianos, quemadmodum nunc Ec-
clesiæ Anglicanæ vastata sunt per Calvinistas.

Est quidem veritas apud theologos omnes certa &
indubitata, quemcunq; religiosum, Sacerdotem, aut
Christianum hominem, ad euitandum vitæ vel liberta-
tis periculum, posse in locis infidelium relinquere ha-
bitum, vel si quæ sunt familia externa professionis suæ
symbola, & in se quamuis personam suscipere, ut ita
saluti consulat. Et nisi infidiosæ hæreticorum fraudes

ipsa iam assiduitate nobis essent notissimæ, miraremur certè hanc tantam in Protestantibus nostris disciplinam & religionem, qua a nobis postulant vt more Sacerdotum, in Sacerdotali veste incedamus cum manifesto discrimine vitæ, quando ipsorum domi Ministri in tanta licentia & securitate magnos conscientie præ-tendunt scrupulos, ne aliquo peculiari vestitus genere vtantur; imò prædicant impium esse & superstitiosum, vllum vsurpari habitum religiosum vel Ecclesiasticum quo sacerdotes a laicis internoscantur. Et tamen illud inficiari non possumus, aduersarios nostros magna ratione adduci vt sacerdotes sic ornatos palàm velint incedere. Sic enim facillimè eos simul omnes cõprehensos possent e medio tollere, eoq; modo (vt arbitratur) plenam victoriam cõsequi. Cæterum Saluator noster Mat. 19.
 cum prædicat se *discipulos suos missurum sicut oves in medio* 16.
luporum, illos commonefacit, & in illis nos omnes, debere vtq; nos non modò *simplices esse sicut columbas*, sed etiam *prudentes sicut serpentes*, maximè cum versamur inter lupos, hoc est hæreticos, qui omnium mortalium maximè sunt truculenti & sanguinarij.

Sed vt ad propositum nostrum redeamus, eamq; quam offert aduersarius conditionem de tollenda vel mitiganda hac persequutione, si deinceps *non vagemur in tenebris sed in lucem prodeamus & solem*: nos quidem coram Deo & Angelis eius sincerè profitemur (modò certi aliquid obtinere poterimus de securitate vitæ, de libertate conscientie, de Christianæ Catholicæq; Ecclesiæ ritibus ad salutem nostram fratrumq; nostrorũ obeundis) nos quæ iam absconditè & secretò exequimur, ea omnia in luce & sole palàm acturos; idq; eacum modestia, pace, & tranquillitate quæ deceat sacerdotes, quaq; semper hætenus vsi sumus: vt ita demum ea quæ suspicamini esse Statui perniciofa, quia fiunt in occulto, vobis ipsis appareant perspicuè nihil continere oïo, præter materiã religionis & pietatis, ad quam

solam omnes huiusmodi actiones verè referuntur, & quæ Statui nõ solam nihil obsunt, sed plurimum etiam profunt.

Quare, si illi qui modò sub Regina Reipub. nostræ habendas moderantur induci non possint, vt se ipsos regnumq; vniuersum ad illam antiquam formam & speciem Catholicæ professionis reuocent, quam nobis reliquerunt maiores nostri, & qua Respub. fruebatur cum isti ad eam regendam accederent (id quod absolutè & simpliciter est optimum, licet fortassis aliquam leuiorem ignominia maculam ipsi putent sibi adhæsuram, si primum illum errorem agnoscerent, quamuis reuera longè est cum ignominiosius tum periculosius in errore suscepto perseuerare) tamen illud considerent, in hoc ab eis quoad civilem politiam fuisse erratum maxime, quòd vel ab initio, vel postea, conscientia libertatem non concesserint Catholicis, quorum in eo regno numerus erat maior, & cõditio honoratior, ideòq; & maiori indulgentia dignior; que admodum Protestantibus in *Germania* alijsq; prouincijs finitimis magno suo commodo fecerunt. Quæ culpa si non omnino, saltem magna ex parte posset corrigi, si vel adhuc aliqua miseratione afficerentur etga tantam multitudinem, quæ luctuosè admodum & quoad animas & quoad corpora in summo mæore languescit, propter hominum perpaucorum (vt est communis opinio) insolentem & nescio quam peruiacem animi inductionem: qui in quauis tenui recula aut circumstantia cedere, suæ dignitati turpe existimant, quantacunq; demum utilitas ex eo ad Rempub. sit prouentura.

Aduersariorum progressus in persecutione nobis fortasse securior.
Mat. 23.
22.

Atq; hanc sanè conscientia libertatem dum requirimus, minùs fortasse nobis ipsis consulimus quàm aduersariorum opulentia & mundana tranquillitati, cuius ipsi mutationem admodum videntur metuere. Et quis nouit an diuina prouidentia longè alia lance velie hæc omnia pendere, nobisq; dicere, *nescitis quid peccatis* qui

qui fortasse iudicat illud esse ad nominis sui gloriam præclarius, & ad salutem tum nostræ nationis vniuersæ, tum plurium particulatim animarum expeditius, vt per medios istarum persecutionū fluctus peruadamus, & sanguine nostro nostram ipsorum fratrumq; salutē comparemus. Et sanè si illi qui apud *Germanos* sunt Ca- Germania tholici, eodem modo quo his posterioribus annis *Angli*, Angli carceres, vincula, & mortem fuissent perpeffi, nec ciuitates suas vt multis in locis *inter lucem & tenebras*, 2. Cor. 6. *Christum & Belial* diuisissent; forsitan ante hunc diem 15. Catholici fuissent illic & numero plures, & zelō feruentiores, regioq; tota Ecclesiæ Catholicæ restituta; cuius iam pars Lutherana non tam religiosè hæresim suam amplectitur, quàm fructuosè quietem, otium, & cum Catholicis pacificam beneuolentiam cōsestatur.

Cæterum quoniam ista supra nos sunt & a nostra Ro. 8. 19. comprehensione aliena, diuinæ ea dispositioni relinquamus. Nos *humanum dicimus propter infirmitatem nostram* vt ait Apostolus. Illud autem exploratè certū est, nationi nostræ tum Principi tum populo, siue Dei respiciant honorem, siue mundi fælicitatem, siue rationes suas, siue aliorum omnium; optimum quidem esse vt se rursus vniant Ecclesiæ Dei, communioni omnium maiorum suorum, & populorum Principumq; qui nūc viuunt Christianorum. Hoc si impetrari non potest, proximo loco ad suam securitatem & status sui conseruationem vtilissimum est, vt manus deinceps cohibeāt a Catholicis subiectis & fratribus suis persequendis, vt eis permittant libera conscientia diuinis Ecclesiæ ceremonijs & Sacramentis vti frui; quò sic Regiam eiusq; Consiliarios precibus suis Deo commēdet tam quàm Patronos, quos nunc commemorant solū, tã quàm Persecutores.

Quòd si harum conditionum neutra apud eos vale- Conclusio. re poterit, sed qua semel ingressi sunt via, eadem ad extremum vsque sint progressuri; vt corpora, bona, vitas,

animasq; nostras velint eripere, quid superest nisi vt Domino Deo omnium arbitro æquissimo, Iudiciq; incorrupto tum Principum tum subditorum, & vnico afflictorum consolatori, omnia committamus, qui *indis-*
Pfal. 42. 1. cet & discernat causam nostram. Cuius sanctissimo nomine, verbo, & promissione nitētes, hoc illis asseueranter dicimus (& vt quod dicimus illi maturè considerent per Christi sanguinem obtestamur) nullis vnquam humanis viribus, nulla prudentia, posse eos extinguere fidem Catholicam, superare Ecclesiam Christi, aut præualere contra Deum. Nullus est *Herodes*, qui Christum
Mat. 2. Exod. 1. in cunabulis possit interficere. Nullus *Pharao*, qui mafculos nostros possit submergere, & Dei populum destruere. Nullus *Aman*, qui possit extirpare Iacobi progeniem. Studeant isti dies & noctes omnibus crudelissimis modis imminuere, frænare, spoliare, exinanire, abijcere & abolere domi forisq; totam stirpē Catholicorum: studeāt artificiosis huiusmodi Libellis alijsq; impudentissimis fictionibus, mendacijs, & calumnijs nos obruere, obijcientes inuenta a se læsæ Maiestatis,
Mat. 5. 11 & alia quæcunq; crimina, mentientes propter Christum; ineant contra nos fœdera cum totius mundi Sectarijs, Protestantibus, Turcis & Atheistis; his tamen inuitis
Isa. 53. 10. omnibus, seminis Dei, hoc est, Catholicorum non modò numerus multiplicabitur, sed etiam potentia; & zelus in causa Dei semper erit flagrantior. Sacerdotes nõ cessabunt progredi in vocatione sua, maiori quàm hactenus spiritu, diligentia, deuotione, patientia, & fortitudine, memores admonitionis a Christo datæ *eum fore saluum qui perseuerauerit vsq; ad finem;* memores item illius pulcherrimi testimonij de magno & fideli propheta Isaia, qui *spiritu magno vidit vltima;* sic enim de eo loquuntur scripturæ sanctæ, eò quòd in Dei cultu medijs non contentus ad vltima semper contendit, & ad vltimum vsq; finem nunquàm eum defecit *spiritus fortitudinis & excellens animi magnitudo.* Persecutores
 noui

hōi veterib⁹ nihilo sunt robustiores; & Ecclesia quā-
quā a tate magis est prouecta quā fuit olim, nihilo
tamen magis est imbecillis aut infirma. Propugnator
cius non min⁹ præstō est ad succurrendum, quā fuit
antiquitus. Neq; verò nos sumus meliores Patribus
nostris; nec vnquā magis contempsimus mortē, nun-
quā min⁹ æstimauimus vitam. Iacta est alea nostra, Mat. 18.
& sors optimè cecidit; subductæ sunt rationes, & a ma- 23. & 20.
gno Rege Patrefamilias approbatæ. Multo melius est no- 1.
bis in hoc Apostolico certamine mori, quā vivere 1. Macha.
& videre mala gentis nostræ & sanctorum; cum certō scia- 3. 59.
mus firmissimam esse illud D. Leonis, *Nulla crudelitatis* Leo. sermo.
genere destrui potest Sacramento Crucis fundata religio. Non 1. in Nata-
minuitur persecutionibus Ecclesia sed augetur; & illud item li Petri &
D. Augustini, *Nemo delet de celo constitutionem Dei; nemo* Pauli.
delet de terra Ecclesiam Dei. Aug. epi.

162.

Laus Deo.

*Hæc quæ sequuntur, apponenda sunt primo ca-
piti, sub finem pagine, 20.*

Satis vt opinor multa suo loco dicta sunt (Christia-
ne lector) ad illud abundāter clarissimeq; refellen-
dum, quod Aduersarius toto Libello potissimum per-
suadere voluit, nimirum in Anglia propter religionem
Catholicam, nullam esse persecutionem, nemini peri-
culum aliquod vel capitis, vel libertatis, vel bonorum
creari. Nunc tamen hoc loco alieniore, ipsa rerum me-
moria dignissimarum grauitas, & temporis circumstā-
tiæ postulant, vt paulò plura illis superioribus attexa-
mus, quæ posterius gesta, nuper ad cognitionem nostrā
peruenerunt. Ex quibus admirabere, non tam Libelli

authoris notabilem impudentiam tam luculentis mendacijs lectores omnes eludentis, quàm vel hæreticorū contra Catholicos infitam feritatem eamq; implacabilem; vel particulatim noſtrorum domi perſecutorum in ea qua cœperunt diritate continuanda obſtinatos animos, & ſimul incredibile cum omnibus Chriſtianis populis & Regibus diſſimulationem. Celebratur apud hiſtoricos auorum noſtrorum memoria duorum Principum aſtutia ſingularis, quorum in rebus gerendis hanc annotarūt quaſi perpetuam regulam, quòd alter nunquàm dicebat quod volebat facere; alter nunquàm faciebat quod ſolebat dicere. Huius poſterioris diſcipuli videntur eſſe perſecutores Angli, & (vt fieri ſolet) magiſtrum ſuū in eo artificio longè præcurrere. Ille enim præter familiares domi ſermones, ad faciendam hominibus fidem eius rei quam non erat acturus, alios modos non adhibebat. At iſti, cum præterea libros publicè ſcribunt, in varias aliarum nationum linguas tranſſerunt, ſtudioſè in Procerum & Principum manus ingerunt, & quàm maximè ſeria vtuntur deteſtatione, qua a ſe remoueant omnem ſuſpicionem alicuius Catholici propter religionem Catholicam vexati; tum demum ſuam antiquam, in citando, vexando, inquirendo, muldando, diripiendo domos, mittendo in carceres, inferendo tormenta, duplicant acerbitatem; tum demum in cæde hominum bacchantur maximè, tum (inquam) deſeruiunt atrociffimè.

Bona iam pars anni præterijt, ex quo hæc *Iuſtitia Britannica* deſenſio emiſſa eſt. In quem finem? vt perſpicuè demonſtret propter religionem aut ceremonias Romanas, neminem in capitis diſcrimen vocari, licet ab aduerſarijs ſecus multò, & admodum malitioſè publicetur. Et poſt; Perſpicuū eſt, multos laici ordinis quondam Proteſtantes poſt ad Pontificias partes attractos eſſe; cum eorum tamen nemo, vel capitis, vel patrimoniij, vel fortunarum periculum vllum adierit. Quod ſatis eſt argumenti, non quæri religionis aut Pontificis cauſas, quibus

Guiccardi.
hiſt.

Mira perſecutorum diſſimulatione.

Inſcriptio
Libelli.

Pag. 22.

quibus punirentur rei &c. licet ab aduersarijs secus multò publicetur. Quā ergo ob causam tot nuper sacerdotes accusati sunt, rei facti, & deniq; ad mortem damnati? *Sc-* Ibi. pa. 11
cusati nimirum sunt, non religionis, non conscientia, non Pontificia Monarchia, quod magis crebrò tamen quàm verè fertur, sed lese maiestatis atq; impiæ proditiōis; idq; peruetustis Statutis & legibus supra ducentos annos Edouardi tertij temporibus rogatis. Hoc (Christiane lector) cum (vt vides) adeo confidenter vrgeatur, tamen nescio an *Decij* vel *Diolectiani* persecutio vnquàm fuerit truculētior. Angli certè persecutores nunquàm magis efferata crudelitate in omnes promiscuè grassati sunt, quàm ab eo tēpore, quo suam hanc lenitatem & mansuetudinem tantoperè omnibus venditarunt. Nam præter illos quinq; sacerdotes *Hemerfordum* & socios, *Londini* crudelissimè ^{Sup. pa. 40.} mactatos eo ipso tempore quo *Libellus* iste mendacissimus diuulgari cœptus est; proximo post mense, *Lancastriae*, sacerdos nomine *Bellus*, natus annos plusquàm *Bellus & Finchius* sexaginta, & vnā *Finchius* quidam laicus coniugatus, *Martyres* per eadem cum reliquis immania tormenta mortui, ad meliorem vitam transierunt; nullo alio de crimine coram iudicibus accusati, nisi quia Pótificis supra Reges *Lancastriae.* primatum in causis Ecclesiasticis credere se profiterentur. ^{anno 1584. mense Aprilis.} Ex quibus duobus, cum posterior ille *Finchius* ante condemnationem adduci non posset, vt eorum Ecclesiasticis congregationibus interesset, pedibus eò raptatus est, colliso miserrimè & conuulnerato ad terram capite; luctuoso omnibus intuentibus spectaculo.

Quanta autem in tota ea prouincia vastitas facta sit, explicari non potest; vbi nocte vna quinquaginta domus virorum nobilium & locupletum scrutatæ sunt, specie quidem quærendi sacerdotes, & quos reuera studiosè venabantur, sed ita vt simul domos diriperēt, expilarent dominos, & postea ad diuersos carceres ablegarēt, vbi eosdē inedia & rerū necessariatum inopia valde confecerunt; nominatim, præclaros viros *Tra-* ^{Diruptio domorum.}

Laicorum.

uersum, Hollandum, & Barloum, quem postremum admodum imbecillo corpore, & iam tum morbo laborantem, quia equo insidere non poterat, curru ad carcerem

Sacerdotū.

abduxerunt. Et ut sacerdotum mirabiles in euadendo difficultates omittam, quorum aliqui penè toto corpore nudi, cæcis itineribus per saxa & dumeta vagati sunt, vni viarum asperitas carnem ipsam pedum plantis ira detriuit atq; abrasit, ut post ad multas septimanas nec incedere nec stare potuerit; ut alios egregij nominis laicos quorum fundos & bona a iustis dominis ab-

Fœminarū
afflictio.

lata, ad alios transfulerunt omittam, & in vna fœmina, eaq; vidua, exemplum istorum erga Catholicos incredibilis & isto tali buccinatore dignissima lenitatis

Alana vidua
misere
spoliata.

atingam, nunquid percelebris in illa regione, propter continuam in pauperes liberalitatem, vidua Alana, Catholicæ religionis causa, nullum patrimonij, nullum fortunarum periculum adiit? Aut num illa accusata fuit læsæ maiestatis atq; impie proditionis, idq; peruetustis legibus Edouardi tertij? nisi forte læsæ Maiestatis & impie proditio contra leges Edouardi tertij vocetur, quod affinis fuerit præstâtissimo viro Gulielmo Alano Seminarij Anglicani apud Rhemeneses præsidi, cuius nuper defuncto fratri iam olim nupserat. A qua non modo extorserunt illam menstruam pecuniam quam legibus pendunt

Singulis
mensibus
coronat.
222. vide
sup pa. 216

Catholici ab hereticorum Ecclesiis abstinentes, sed præterea sine legibus, sine iudicio, vllaue iudicis sententia, manifesta vi eripuerunt quingentas libras Anglicanas, inuaserunt præterea domesticam supellectilem æstimationis quadruplo maioris, domos fundosq; quibus volebāt addixerunt; ipsa ut matrona derepente ex locuplete egens facta, & post magnam copiam ad magnam inopiam redacta, necessitatis causa aliorū hospitales domos animo tamen non minùs alacri inuiseret, quàm ipsa priùs domum suam viris bonis recipiendis liberaliter aperuerat. Postea verò diligenter ad torturam (ut putabatur) quæ sita, perdifficiliter cum duab⁹

Coronat.
1666.

filiabus

filiabus virginibus cōscēsa subito nauis, fluctibus marinis se credens, ex eorum manibus elapsa est. Nam quòd repertā in eius domo picturam, quam fuisse *Alani* fratris suspicabantur, sicis & cultellis certatim confixerint, hoc quanquam fortasse non est certū persecutio- nis, est tamen animi feri & agrestis argumentum.

Progrediamur a feminis ad pueros; neq; enim isto- rum barbaries vllī parcit sexui aut ætati. Non longè a- berant ædes *Worthingtoni* cuiusdam, vel solo nomine toti prouinciæ notissimi. Dum autem alij vicini priori- bus exemplis territi, aurum, argentum, vasa argentea, aut si quid habebant aliud charū & pretiosum, quæ oīa satellitib⁹ sacerdotes inquirentibus obuia, non minùs q̄ sacerdotes ipsi in prædam cesserūt, ad loca secretiora remouēt; *Worthington⁹* iste quatuor filijs, quorū maxi- Pueri af-
flicti. m⁹ natu, ætatis annū 16. non exceſſerat magis timens, eos cum famulo in aliam villam amādauerat. Sed istos emissarios non potuerunt fallere, à quibus intercepti sunt, & missi statim in carcerem, accuratèq; examinati de parentibus, quando, & à quibus reconciliati, qui- nam sacerdotes ad eos ventitarent, cur ipsi Ecclesiam non adirent &c. in quibus omnibus magna apparuit puerorum constantia. Illud vnum in hac tragædia no- tandum est, quòd natu minimum vnus integri diei in- edia afflixerunt, subinde ferociter comminantes nul- lam illi superesse spem de cibo deinceps vnquam gus- tando, nisi ea quæ petebant volebat enunciare: & ta- men interea potum liberaliter præbuerunt, conijcien- tes eum hoc modo sic a mente alienandum, vt omnia quæ volebant fuerit patefacturus. Qua spe cū eum coram *Comite Darbiensi* sisterent, & de prioribus quæ- stionibus interrogarent, puerulus ita eos ingeniosè re- pulit, eorumq; de se inebriando improbam nequitiam tam euidenter detexit, vt *Comes* alijq; iudices multūm commouerentur; qui tamen adolescentulis hoc tan- tum præstiterunt beneficij, vt eos inde ad carcerem

Manchestrensem transmitterent.

Est in confinijs *VVallie* prope *Vigorniam*, oppidum *Beudense*. Eò captiui deducuntur presbyter quidam *Bennetus* & laici quatuor. Quod ob facinus? An quia contra Rempub. conspirassent? quia in legem aliquam *Edouardi 3.* peccassent? aut in consecratam *Reginam*, eamq; inunctã (quam phrasim Theologaster iste ad nauseam vsq; repetit, cum Protestantes tamen, consecrationes in Ecclesia omnes tanq; magicas, unctiões tanq; foetidias & Iudiacas abominentur) aliquid machinati sunt? Nihil tale vel ab inimicis confictum est. Summa accusationis fuit, quod illum apparitores putabant esse presbyterum, à quo diuinabant reliquos Ecclesie Catholicae fuisse reconciliatos. Hoc vt eruerent, singulis manicas vel chirothecas ferreas inducunt; ita implicatas ad transversa tigna brachijs ad multas horas suspendunt; illud semper pro sua insigni humanitate curiosè obseruantes, vt planè non interirent, sed cum iam nunc expiraturi viderentur, tum demum demitterent & aqua vita (vti communiter appellatur) eorum tempora perfricantes, hac ratione vitam in eis redintegrarent. Reuiuiscences, mox in altum denuo tollunt, ibiq; relinquunt pendulos; atq; hoc eos supplicio continenter exanimant sine vlla intermissione, nisi quum pænæ magnitudine & diuturnitate eos statim morituros arbitrabantur. Ad hunc autem modum, & ob hanc quam diximus causam solam, sæpius excruciatii sunt, mandato eorum qui in confinijs *VVallie* rerum gerendarum summam potestatem obtinent, quorum nonnulli his crudelibus tormentis exercendis non solùm afferunt sed etiam præferunt.

Loci vicinitas admonet vt Hybernicas tragædias ascribamus, vbi *Archiepiscopo Casilensi* exquisitis prius tormentis variè affecto, postea suspendio & reliquo qui adiungi solet laniatu vitam tandem eripuerunt; cum quo duos item Episcopos alios adiudicarunt mor-

ti.

Instit. Bri.
pa. 43. 6.
2. 19. 36.
53 &c.

Catholico-
rũ tormẽta
in oppido
Beudensi.

Archieps
Casilensis
in Hyber-
nia.

Nimis ero lectori molestus, & hanc appendicem ipso Capite longiorem sum factur⁹, si per singulas Angliæ prouincias peragrando, omnia vel præcipua velim describere inusitatæ crudelitatis exempla. Quare hic insistam, argumentum duntaxat vnicum additurus, ex quo & lector Christianus animaduertat quàm infortunata sit conditio nostra, cum qualibus aduersarijs, & ad improbè mentiendum quàm proiectis committamur; vnaq; aduersarij moneantur, vt in suis contra nos scriptis, etsi a mendacijs temperare nequeant, eaq; sint contra Catholicos malitia, vt quos veritate non possunt, eos mendacijs grauarè velint, a talibus saltem mendacijs abstineant quæ perspicua sunt, quæ notissima omnibus, quæ a suis ipsorum domi fratibus & Mi-

*Aduersarij
in mentido
valde im-
pudentes.*

*Libelli au-
thor quoad
Libelli sui
summam, a
suis domi
historici re-
fellit.
Pag. 17.
Nicol. He-
thi Archieps Ebo-
racensis.*

*Holinshed.
Eliab.
amo. 1.
Domini.
1559. pa.
1802.
Eadè ver-
batim ha-
bètur apud
Stoum.*

nistris refutantur, idq; communibus historijs atq; annualibus apud ipsos impressis, qui omnium quotidie manibus conteruntur. Sumamus exempla quædam ex præclaro libelli isti⁹ authore. De Nicolao Hetho Archiepiscopo Eboracensi & summo Angliæ Cancellario, quid ait? *Hic (inquit) vir illustre modestiæ prudentiæq; exemplar, vnaq; excellèter eruditus, demortua Regina Maria, veteres magistratus, gratiam, opes, & quicquid habuit præterea fortuiti boni, cum summo Principis fauore retinuit, prorsus in religione differens, nec propterea tamen vel honore vel fortunis comminutus. Qui tamen perexiguo post tempore Magistratus suos omnes, obseruanter & grate deposuit, nulla iniecta foris vi, quo nihil est clarius, sed sponte sua uti innotescit, & maxime liberè. Quid autem eorum Annales domestici, Londini cum Principis priuilegio impressi? Primo (inquit) anno Regine, mense Iulio, Nicolaus Hethus Archiepiscopus Eboracensis, Episcopi item, Eliensis, Londinensis, & alij tredecim vel quatuordecim vocati coram Regine Consiliarijs, eò quod recusarent iusturandum de Maiestatis suæ primatu Ecclesiastico & alijs articulos, episcopatibus suis priuantur. Quis iam non obstupescat scriptoris istius os durissimū, tam affirmatè ponentis, hunc Archiepiscopum nulla iniecta*

vi quo

vi, quo nihil est clarius, sed sponte sua ut innotescit, & maxime libere, suos magistratus omnes deposuisse, quum singulis verbis totidem penè insint mendacia apertissima. Nihil est enim clari⁹ q̄ vim iniectam fuisse, ideoq; falsum est eum sponte sua deposuisse; falsum est id eum fecisse maxime libere, falsissimū est hoc omnibus innotescere, quum contra potius omnibus innotescat, eum extrema necessitate ad illud fuisse compulsū, quando aliàs execrabile iuramentū quod supra descripsimus de fœmineo pontificatu debuerit suscipere.

Archieps,
& 15 vel
16 episcopi
simul depo-
siti.

Pa. 9. 10.

Quid verò? propter Romanam religionem nulli vexantur? mulctantur nulli, modò aliàs obediētes sunt subditi, ab omni seditionis contra Patriam Principemq; contagio liberi? Nulli prorsus. Istos enim reos fecerunt; non volumina, non libelli, non precam formulæ, non feriæ, non Ecclesia Rom. ceremoniæ. Censetur quocunq; liberit nomine, vel scholastici, vel Seminarij, vel sacerdotes, vel Iesuitæ, vel Pontificij; de eo certamen nullum est. nihil enim illis vel nomen vel vestis obfuit: sed tantum quòd plebem ad seditiones incitarunt. Ob Pontificiam verò religionem, nemo vel capitis, vel patrimonij, vel fortunarum periculum ullum adiuit. Quid ad hæc communes historiae? Anno Reginae 16. Aprilis 4. Dominica Palmarū, Londini deprehensa sunt illustres Heroina dum in adibus suis Missa celebranda interessent; Morleia cum liberis suis & multis alijs: & in altera Ciuitatis parte, eadem hora deprehensa est Equitis auri vidua Guilforda, cum alijs multis fœminis insignioribus; eodemq; momento capta est in parte diuersa, alterius Equitis uxor Brouna, cum alijs item in eius domo permultis. Quæ omnes propter easdem offensas accusatæ, conuictæ, damnatæq; sunt, iuxta formā Statuti. forma autē statuti hæc est; Qui semel conuictus fuerit Missæ auditæ, centū Marcas persoluit; qui iterum, quadringetas: qui tertio, incurrit pœnas legis Præmunire, perpetuos videlicet carceres & bonorum omnium amissionem. Et tamen si credimus veracissimo libelli huius authori, propter religionem Catholicam, nemo in Anglia, vel

Pag. 68.

Pag. 63.

Pa. 22.

Holinf. pa.

1569. an-

no Domini.

1574.

Fœminæ no-

biles mul-

ctatæ ob

Missas se-

cretò audi-

tas.

Parlament.

Eliæ ab.

anno. 1.

cap. 2.

Coro. 222.

Coro. 888.

capitis, vel patrimonij, vel fortunarum periculum vllum addit; quā tamen istorum tanta sit inhumanitas, vt propter Missam in abditissimis angulis auditā, hominū clarissimorum & vxores, & viduas, & etiā pedissequas vexēt, quas per suos corycæos proditas, cōtra fœminarum, talium præsertim honorem & verecundiam, publicis tribunalibus sistunt, & deinde tam immensis exactionibus opprimunt.

At ista patrimonij & fortunarum leuiora sunt, illud vero capitis multò ponderosius; & in hoc fieri potest vt libelli author multò sibi cauerit diligentius, nec quicquā in oratione sua posuerit, quo à communi omnium sermone refelleretur. Ita quidem videri potest, maxime si eius in asseuerando præfidentem audaciam consideramus. Inquit enim; *Perspicue intelligi potest si excutiantur crimina & iudicia eorum qui nuper mortui sunt & iure caesi, non eos cultus diuini, ceremoniarum, aut religionis reos factos esse. Planum inquam est hæc a Principe nuper gesta, nec ob religionem, nec ob Pontificiam monarchiam, qui iam inde ab ipso maiestatis suæ aditu in regnum, his de causis nemo sit mortuus; sed ob fœdissima læsa maiestatis proditionisq; crimina, gesta esse. Rectè. Audiamus iam quid narrant historici, qui nihil commentarijs suis mandarunt, nisi quod in*

Pa. 23. 22.
& 54.

Nemo mortuus.

Stow. pa.
1192.

Suspensio ob
primatum
pontificis.

Cuth. Ma-
ynus.

Iohan. Nel-
sonus.

Verbum
Schismatici-
cæ. vide an-
te. pa. 39.

90.

Tho. Sher-
voodus.

90.

testium innumerabilium oculis gestum est. Anno Regi-
na 20. Nouembris 30. Cuthbertus Maynus tractus est ad patri-
bulum, suspensus, & in quatuor partes dissectus Lancestony in
Cornubia, eò quod Rom. potestatem anteferreret regia. Et in ea-
dem pagina. Tertio Februarij. primo diluculo, Iohānes Nelsonus
propter negatum Regina primatum Ecclesiasticum, & quæ-
dam eius generis verba contra eius Maiestatem proditoria, e car-
cere ad locum supplicij tractus est. suspensus, exenteratus, & in
partes dissectus. Et proximè post. Septimo Februarij, quidam
Shervoodus e Turri Lōdinensi ad eundem supplicij locū raptus
est, eodemq; modo suspensus, & euulsis visceribus concisus in
partes, ob eandem perduellionem. Hæc pauca (Christiane
lector) in eorum popularibus historijs vulgata, quibus
præ-

præterea confirmandis adduci possent testes oculati plurimi; & ex quibus perspicuè refutatur libelli huius vis tota, integrum dico argumentum, in quo probando vnicè elaborat, ostendunt aduersarij nostri quàm habeant *cauteriatam & callo obductam conscientiam*, quàm sint in mentiendo præfracti & impudentes, quàm parum fidei suis vel dictis, vel scriptis, vel execrationibus quibuscunq; mereantur; cùm euidentissimè se probent esse ex eorum numero contra quos inuehitur Propheta, *Audite verbū Domini viri illusores qui dominamini super populum meum qui est in Ierusalem. Dixistis enim, percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus.*

1. Timot.
4.2.

Isa. 28. 14.

Quòd autem Libelli author. &c. pagina 20. lin. penultima.



TABVLA PARTICVLARIS RE-
RYM IN HOC LIBRO INSIGNIORVM.



ANGLIA exemplum omnibus populis Christi-
anians, vt ab hæresibus caueant. pa. 21.
22. mutandæ in Anglia religionis pri-
maria causa. 149. omnibus rebellibus
opem fert. 174. 175. 223. 224. 225. quæ
olim commoda habuerit a religione
Catholica 208. quæ nunc incommoda
ab hæresi. ibid. est in summa miseria
quoad episcopos. 213. quoad semica-
tholicos. 214. quoad Catholicos. 215.
216. 217. Vide *Catholicos*. quoad *Protestantes Puritanos*. 218. 219.
quoad omnes. 220. 221. 222. 230. 231. 232. quid sit *Status Angliæ*.
220. 221. fons omnium illic malorum est discessio a fide Catho-
lica. 225. 226. magno in periculo propter ignoracionem proximè
hæresis. 233. 234. 235. Vide *Politici in Angliæ &c.* quemadmodum
sanari possit. 272. duo compositionis genera ei salutaria. 273.
Angliæ regina caput Ecclesiæ. pa. 8. præcipit episcopo ne in Missa
sacram hostiam attollat. 63. spiritualem habet potestatem ap-
pendicem temporalis, 73. a suis insigni contumelia afficitur.
235. 236.

Angliæ & Scotiæ in vnam Monarchiam coniunctio a quibusdã
Anglis nequiter impedita. pa. 241.

Angliæ regum quale iuramentum cum coronantur. pa. 143. 144.

Angli Protestantes quales. pa. 106. Eorum contra Catholicos
insolentia. Ibid. varietas in suo capite Ecclesiæ. pa. 8. II. Religio-
ni Catholica infestiores quàm *Turcæ*. 167. eorum doctrina mu-
tabilis. 104. Ingratitudo & malitia erga p̄rificem. 164. 165. 166.
194. 205. eorum fidei analogia. 184. norma. 193. Ecclesiæ pote-
statem spiritualem, vertunt in *Regalia* principis, etiam pagani.
185. 186. 190. 191. quare recusarunt mittere legatos ad conciliũ
Trident. 198. *Turcæ* amiciores quàm Catholicis. Ibid. principa-
le argumentum quo religionem suam confirmant: 209. refuta-
tur. 210. 211. 212. Religio eorum ipsis Protestantibus execrabi-
lis. 218. 219. *Iudæi*, *Turcæ*, & *Protestantes Angliæ*. 219.

Anglicanæ Ecclesiæ caput in omnibus rebus spiritualibus, semina. pa. 8.
9. 10. 12. 13. 248. Vel infans incunabilis. 195. *Iuramentum An-*
glo-

T A B V L A.

gloriam quo illud protestantur. pa. 10. est via ad Atheismum. Ibid. absurda quæ sequuntur. 12. ab hoc capite, omnis potestas spiritualis derivatur ad episcopos. 247. 248. est æterna labe Angliæ. 251. Vide *Regum primatus*.

Anglorum leges, Vide Leges & Iustitia.

Anglorum novus clerus qualis. pa. 51. 58. 213. 219.

B

Bellum pro religione vera contra schismaticos, licitum & gloriosum. pa. 131. precipitur in testamēto veteri. pa. 132. 133. 134. viurpatur, & a sanctis episcopis approbatur in testamēto nouo. 134. 135. 136.

Bernardus probat vtrumque gladium pertinere ad Pontificem Rom. pa. 175. 176.

Beza Protestantes Gallos incitat ad sempiternum cum rege suo bellum. pa. 95.

Borbonius quàm infeliciter Romam diripuit. pa. 195. 196.

Ex Bulla Pij Quinti cōtra Reginā Angliæ, capitales questiones deductæ. pa. 74. 75. Sacerdotes & Martyres Angli quàm moderatè ad eas respōderint. 82. Protestatio authoris antequàm de eis disputet. 91. 92. Responſio ad eas, ex omnium consensu tum *Catholicorum* tum *Protestantium*. a pagina 93 vlq; ad 113. Vide *Reges*.

C

Calvinus in regibus primatum Ecclesiasticum abominatur. pa. 11. 249. Eius impura maledicentia in reges omnes sui temporis. 93. 94.

Campionus ex societate IESV, quemadmodū tortus. pa. 21. quàm improbabiler de cæde Reginæ accusatus 23. 24. nec minùs absurdè ipse alijs; sacerdotes de alijs rebus. 25. 26. 27. 28. 31. rationes inanissimæ cur condemnarentur. 29. 30.

Catholicorū in Anglia èditiō miserima. pa. 47. 48. 215. 216. 217. 266. 277. nusq; nec apud Turcas viuūt tã miserè quàm in Anglia. 267. excipiuntur ab indulgētia cōmuni quæ reis omnibus tribuitur. pa. 2. Interficiuntur crudeliter ob capita fidei. vide *Martyres & Leges Anglorum*. Subijciuntur tormentis ob meram religionem. 18. 19. Multi carcerum squalore enecti. 19. 20. Exhauriuntur bonis omnibus qui Ecclesias Protestantium adire recusant. 47. 48. patiuntur veram persecutionem 49. 50. Vide *Persecutionem & Tormenta Catholicorum in Anglia* nobiles, quàm indigna patiantur. 65. 66. *Catholicorum in Angliæ incrementum*. 230. 231.

Catholicorum episcoporum aliorumq; Ecclesiasticorum mores & conditio qui pro fide vel mortui sunt, vel in carceribus vincti, vel exules. pa. 56. 57. item *secularium Catholicorum*. 58. 59. *Archic-*

T A B V L A.

piscopus Eboracensis. 61. recusavit cum suis coepiscopis Regis nam hanc coronare. 61. 62. Eam pleriq; excommunicandam celsuerunt. 63.

Catholicorum in Anglia, summa erga Reginam fidelitas. pa. 36. etiam post Bullam Pij Quinti. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 83.

Catholicam Religionem imprudēter in Anglia fuisse mutatam. pa. 226. multa mala fuerunt adiuncta. Ipsum periculum mutationis. 226. 227. odium populi. 227. periculum Excommunicationis. 228. obedientia subditorum ob solum timorem. 228. 229. fuga Nobilitum. 229. dissensiones subditorum implacabiles. 229. 230. Sectarum incrementum. 230.

Ad Catholicam fidē pertinent nō tantum articuli fidei. pa. 14. Colonienfis Elector, Apostata exauthoratus a Pontifice. pa. 159.

Cranmerus Archiepiscopus Cantuariensis qualis. pa. 59. 69.

Cromwellus Comes, vicarius Henrici 8. in spiritualibus. pa. 247.

D

De regibus propter hæresim deponendis. Vide *Reges.*
Disputatio cum hereticis desyderatur. pa. 268.

E

Ecclesia novi Testamenti excellentia. pa. 122. 126. Est inexpugnabilis. 203. 204.

Ecclesiastica bona diripere, sacrilegum est. pa. 180.

Ecclesiæ Anglicanæ caput. Vide *Anglicana.*

Edonardi 3. lex de criminibus læsæ Maiestatis. pa. 23.

Elmeri Superintēdentis Londinēsis barbara responsio. pa. 281.

Episcopi in Anglia Catholici callidè laudati ab Aduersario. pa. 54. 282.

Episcopi Regibus superiores. pa. 245. 245. 254. 255. Vide *Reges.*

Episcopi in Anglia heretici, quales. pa. 54. 213. 214. 219. eorum *Archiepiscopi impij, apostatæ, & proditores.* 54. 55. 69.

Excommunicationis sententia contra Arcadium Imperatorem. pa. 130.

F

Fortuna diu prospera, est valde periculosa. pa. 210. non est argumentum diuini fauoris. 211. 212.

Foxi sancta femina, martyr qualis. pa. 55. 56.

T A B U L A

Francisci primi Galliarū regis Christianiss. dictum. pa. 87.

G

Gallorum Protestantium libri contra Reges suos. pa. 95. *Ev-
m* Cyrus in locum Christianissimi Galliarum Regis. 96. 98.

Gregorius 7. vir bonus. pa. 138. 139. 140.

Gregorij primi charitas in Anglos. pa. 163.

Gregorij 13. charitas & liberalitas in eisdem. pa. 162. 163. In
omnes Christianos. 165. 166. 181. 261.

H

Hæresis quemadmodum serpit. pa. 21. 22. Est regnis omnibus
perniciosa. 206. 207. soluit vinculum subditi erga principem, vx-
oris erga maritum, mancipij erga Dominum. 145. 146. 147. Un-
de eius interitus in Anglia sit sperandus. 264. 265.

Henricus 8. excommunicatus a Clemente 7. pa. 81. radix cala-
mitatis Anglicanae. 236. eius crudelitas in vxores & amicos. 236.
237. cum optima vxore & sanctissima Ecclesia simul diuortium
fecit. 237. eius innumera sacrilegia. 237. 238. fuit Angliæ suo
tempore Deus. 251. liberi ob eius peccata puniuntur. 238. 239.
meditatus est suam reconciliationem cum Sede Apostolica. 244.

Henricus 3. Imperator excommunicatus a Gregorio. 7. pa. 138.
Imperatoris scelera. 140. 141.

Nic. Hethus Archiepiscopus Eboracensis cum 15. vel 16. episco-
pis alijs priuatus episcopatu, ob recusatum iuramentum de Regi-
næ primatu ecclesiastico. pa. 61. 282. 283. quemadmodum eius
loco episcopus Carliolensis Reginam coronarit. 62. 63.

Hybernia regibus Angliæ donata a Pontifice Rom. pa. 160.
Tumultus Hybernicus. 171.

I

Iacobus Laiborne Lancastriæ passus. pa. 36.

Ieroboami regnum, exemplum schismaticorum. pa. 72. author
primatus Ecclesiastici Regum. 201. 202.

Imperatores multi excommunicati ab episcopis. Numerianus a
Babyla martyre, & Theodosius ab Ambrosio. pa. 128. Alij ab
alijs episcopis. 129. Arcadius ab Innocentio. 129. 130. varij Impe-
ratores Germani. 138. 159.

Imperium in Germania fundatū a Sede Apostolica. pa. 158. 159.

Iohannes Nelfonus Martyr. pa. 280. quàm callidè ab hæreticis
circumuentus. 89. 90.

Iohannes Rex Angliæ se & sua submittit Põtifici Rom. pa. 141.

Iohannes Duellus Dux Northumbriæ. pa. 69. & in præfat.

Iustitia Britannicæ anthor, homo impudens in mentiendo. pa. 5.
61. 66. 67. 85. 86. 276. 277. Libelli eius exordium præterquàm
q̃ est vulgare & vanum (in præfat.) continet etiam mendacium
clarum & manifestum. pa. 1. refellitur Actis Parliamenti. pa. 2. c. 8

T A B U L A.

homo ignarus. 45. simia Catholicorum. 46. In principes Christianos quàm contumeliosus. 184. 185. eorum omnium Regna proditoriè subijcit libidini populari. 156. quàm sordide triumphat de paucorum annorum prosperitate. 209. Insignis adulator. 239. quàm stupide Sacerdotes criminatur de habitu non Sacerdotali. 268. 269. 270. 271. Libellus eius totus manifestè refellitur a suis domi Ministris & communibus historicis. 282. 283. 284.

Iustitia iudiciorum, & iudicum Britannicorum exempla. pa. 3. 34. Eorum notabilis iniustitia. 37. 38. 39. 40. quàm iniuste & improbatiliter Sacerdotes accusent. 25. 26. 27. quales testes adhibeant. 32. damnant ob idem crimè tanquàm eodem die commissum varios Sacerdotes, quorù alij eo die erāt *Roma*, alij *Praga*, alij *Rhemiis*, alij *Londini*. 23. 24. 33. 34. simulant se religionem in Catholicis non punire, cùm nihil puniant præterea. 36. 37. Vide *Martyres*. Homines ad mortem damnatos de novis questionibus examināt. 38. 39. *Ardemus* iniuste condemnatus. 60. De *Somerfild*, Vide ibidè. *Trugionis* bonis omnibus eversus & addictus carceribus perpetuis, eò quòd sacerdotem hospitio excepit. 4. Scrutantur conscientias, & propter incertas cogitationes excarnificant quos volunt. 81. 83. 84. 85. explorant Catholicos vt Pharisei Christum. 84. 85. quàm nefariè Catholicorum sanguini insidiantur. 89. 90. suspendunt Sacerdotes in Anglia, propter summi Pontificis facta *Roma*, 170. 171. Vide *Persecutio*.

Iustitia fundamentum Reipub. pa. 221. sine qua regnum quodcunq; est magnum latrocinium. In præfat.

L

Legibus novis Anglorum, crimen est *læsa Maiestatis*, scriptum aliquod *Roma* detulisse. pa. 3. itè asserere *Rom.* Pontificis primatum. pa. 4. 5. 6. dicere, quòd Regina sit *Schismatica*, vel *Hæretica*. 5. 88. 89. 90. reconciliare aliquem *Ecclesiæ*. 6. iisdem legibus Regina constituitur in omnibus rebus spiritualibus supremum *Ecclesiæ* caput. 9. 10. 247. 248.

Veteres leges contra hæreticos in Anglia abrogatæ. pa. 43. Nihil apud Anglos est hæresis, nisi quod lege Parlamentari ita definitur. 43.

Lex Anglicana dicta *Præsumere*, continens bonorum omnium amissionem & carceres perpetuos, qualis sit lex. pa. 192. 193. Valet contra eos qui habent Grana benedicta, Rolaria, aut Agnos Dei. 3. aut qui dicunt aliquem esse legitimum reginæ in regno Angliæ hæredem. 235. aut qui ter adsunt Missæ celebrandæ. 283.

M

Cuth. Maynus Martyr interfectus ob exemplar Iubilæi. pa. 31

T A B V L A.

Ioan. Bodius, Sladus, Sherwodus, Bellus, Finchius & alij ob primatum Pontificis. pa. 4. 7. 8. 40. 277. *Nelsonus*, quod reginam dixit *Schismaticam*. 4. 5. 89, 90. 277. *Hansius*, ob primatum, & quod suaserit religionem Catholicam. pa. 5. *Gul. Laceyus*, ob eandem causam. 5. 6. Alij multi ob ministratum sacramentum Absolutionis. pa. 6. *Carterus*, ob impressum librum Catholicum. 13. 14. *Hemmerfordus* & alij, ob probatam Pōtificis excommunicationem. pa. 40. Martyrum Catholicorum innocentia. pa. 27. 28. 30. 31. 35. 37. 38. 70. eorum gloria, & persecutorum infamia. 40. 41. & in præfat.

Martyres Angli Protestantes, omnes proditores. pa. 68. 69. 99. 100. *Martyres* apud Protestantes sunt qui pro religione Caluiniana contra reges suos in bello moriuntur. pa. 95. Item qui pro religione Anglicana. 100. Item qui pro Lutherana, aut alia quavis Secta. 103.

N

Northumbriæ Comes. pa. 59.

O

Oves Christi omnes commissæ Petro. pa. 122. 123.

P

Pascere, in Scripturis quid significat. pa. 259.

Persecutio vera quæ sit. pa. 49. 50. 51. Differentia maxima hæreticorum persequentium Catholicos, & Catholicorum castigantium hæreticos. 42. 43. 44. 49. 50. 51. 68.

In modo persequendi Catholicos, Protestantes Angli conveniunt cum paganis. pa. 20. 46. 47. cum *Diocletiano*, maximè cum *Juliano Apostata*. In præfatio. Nec sacerdotibus, nec laicis, nec forminis, nec pueris parcunt. 278. 279. 283. Vide *Catholicorum in Anglia*.

Persecutionis tempore licet Christiano fugere & occultare seipsum. pa. 296. 270. & mutare habitum. 270.

Libri de persecutione Anglicana verissimi. pa. 267. 268. & in præfat.

P. *Personij* & *Campiani* petitio de *Bulla* Pij Quinti restringenda. pa. 79.

Politici in Anglia, quales. pa. 24. quæ callidè persequantur religionem. 24. 25. 37. 38. cur mitius initio tractarunt Catholicos. 52. 53. Religio Christi quem locum habeat in eorum Politia. 71. 72. præferunt terrena cælestibus. 72. 73. damnatur a suis domi Pro-

restantibus tanq̄ Athei. 219. eorū magna dissimulatio 276. & sō-
mido. 225. 231. 232. eorum nefaria consilia dissipata a Deo. 224.
225. Iaciūt fundamentum bellorum ciuiliū. 240. Religionē Ca-
tholicam in Anglia mutarunt imprudenter. 226. Vide *Catholicam*
religionem.

Pontificis summi potestas in omnes Christianos etiā Principes. pa.
117. 122. 123. punire potest corporaliter. 123. 124. explicatio hu-
ius potestatis, quemadmodum, & quousq; sit in ecclesia. 124.
125. 126. 150. 151. hæc potestas regibus ipsis est vtilissima. 152.
153. 156. 157. conuenit Pōtifici iure diuino. 176. 177. Vide *Sacer-*
dotes.

Pontificalis iurisdictionis a quibusdam regibus imminuta ex-
empla. pa. 182. 183. generalis ad ea exempla responsio. 188. 189.
191. 193. 194. particularis, vt de rege Henrico 7. Carolo Impe-
ratore, & Duce Borbonio. 195. de rege Philippo & Duce Albano.
196. de regina Maria. 198. Nullum est exemplum Anglicanę de-
fectionis. 191. 194. 195.

Varie dignitates & ditiones, regibus concessæ a Pontifice,
pa. 157. Imperialis Maiestas & ordo Electorum Germanis. 158.
159. Hybernia regibus Angliæ. 160. Tituli honorum. 160. *Defensor*
fidei Henrico. 8. pa. 161. 162.

Pontificis bellum contra Turcam. pa. 178. Pontificis potentia
temporalis diuinitus ordinata. 257. eius vocationi admodum ne-
cessaria. 260. 261.

Pontifices summi omnibus ferè sæculis fuerunt ciuiles etiam prin-
cipes. pa. 178. 179.

Protestantium rebelliones; Gallorum contra varios reges. pa. 95. 97.
103. Anglorum contra Reginā Mariam. 100. Germanorum con-
tra Carolum Quintum. 102. quem, *Gandauensem* tantum appella-
ri voluerunt. 138. Magdeburgēū contra eundem. 102. 103. Fla-
ndrorum contra regem Philippum. 103. 104. Scotorum contra Re-
ginam & Regem. 107. 108. 155. Scotiæ Ministri rebellionum ca-
pita. 172.

Protestantiū in *regibus deponendis* infinitum regnum. pa. 99. 100.
eorum in regibus circūueniendis scelerata praxis. 107. quā spi-
rituales Canones in synodis suis condāt. 96. 97. 98. quā sordidē
& seruiliter Regū sceptra subijciāt furori populari. 154. 155. 156.

Protestantes cogi possunt ad fidem Catholicā, & quare.
pa. 44. 45.

Q

Quæstio de regibus a Pontifice Rom. excommunicandis vel deponendis;
est quæstio Theologica. pa. 86.

Rebelliones. Vide Protestantes.

Rex quilibet est supremus, supra omnes suos subditos, sed nō in omnibus causis. pa. 67. 68.

Regum Angliæ & Imperatorum Græciæ iuramentum quale quū coronantur. pa. 62. 143. 144.

Asserere quōd *rex quicumq;* propter hæresim, Apostasiam, &c. *possit regno privari*, nihil habet perduclioni simile. pa. 85. 86. 87. 88. est doctrina Caluini. pa. 93. 94. Bezae & noue ecclesiæ Gallicanæ. 95. 96. 97. 98. Zuinglij & Heluetiorum. 98. Protestantium Anglorum. 99. 100. Scotorum, 101. 174. Lutheri & Lutheranorum, 101. 102. Magdeburgensium, 102. 103. Flandrorum, 103. 104. Est omnium Protestantium praxis. 103. 105.

Eadem est doctrina Catholicorum. 109. 110. D. Thomæ. 111. Tolædi. *Ibid.* Magni Concilij Lateranensis. 112. Gregorij Magni. 143. *Differentia inter Catholicos & Protestantes in hac doctrina.* 109. 110. 154. 155. *Vide hæresis.*

Reges in veteri Testamento de regno deieci ob peccata contra religionē, aut magnā aliquam impietatem. Saul. pa. 115. 116. Ieroboam. 116. Ozias. 117. Athalia. 117. Maacha. 132. Multō magis in Testamento nouo. 121. 122. exempla varia. 137. 140. 141. 142. necessitas vt reges possint hoc modo castigari. 145. 146. *Vide Imperatores.*

Reges iustē depositi, possessionē regni quamuis iniustē ad tempus tamen aliquando tenent. pa. 115. 116.

Reges omnes qua conditione creati. pa. 121. 143. 144. 145. eorum conditio periculosa sine consilio sacerdotū. 114. habebant in veteri testamento sibi adiunctos sacerdotes & prophetas. 115. tenentur eis parere. 120. 123. 124. quando possunt excommunicari. 136. 137. exempla. 141. regiā potestatem sacerdotali anteferre impium est. 127. 246. 262. 263.

Regum Primatus ecclesiastici, author in veteri testamento Ieroboam. pa. 201. 202. in nouo, Arriani. 247. 251. est manifestū signū Atheismi. 246. damnatur a D. Ambrosio. 246. 262. Chryostomo, Nazianzeno, & Athanasio. 247. Ignatio. 255. Item a Caluino & Geneuensibus. 249. a Luthero & Lutheranis, 250. ab Anglis Protestantibus. 250. est contra Scripturas & omnes Patres tum veteris tum noui Testamenti. 245. 246. 249. 250. 252. cōtra dicta & facta bonorum Imperatorum. 255. 256. *Vide Anglicana.*

Pro primatu regio scripturæ absurdè citatæ. Vide Scriptura.

Regum securitas est vt sint in ecclesia. pa. 203. vt cedat sacerdotibus eos corripientibus. 243. 244. quomodo possint contra Pontificem armis contendere. 197.

Regiæ potestatis limites. pa. 249. 250.

T A B V L A.

Respublica ciuilis, quemadmodum ecclesiæ subijciatur. pa.
124. 125. 126.

Romana ecclesia inexpugnabilis. pa. 204. omnes hæreticos &
persecutores deuicit. 205. incorruptè de hæresi iudicat. 119.

Romanæ ecclesiæ patrimonium olim amplissimum. pa. 181.
Reliqua de Romano pontifice, Vide in Pontifice.

S

Sacerdotes & propheta in Regibus propter impietatem deponen-
dis præcipui actores: Samuel. pa. 115. 116. Ioiada. 117. Elias & Eli-
zæus. 118. 119. hæc potestas quemadmodum limitanda. 119. 120.

Sacerdotes in Anglia, ita proditores vt Petrus & Paulus Ro-
mæ. pa. 164.

Sanderi liber in defensionem Bullæ Pij Quinti. pa. 78.

Scotiæ Ministri, faces rebellionū. pa. 172. eorum contra Regē
intolerabilis insolentia. 173. eorum Papatus. 174. Schisma in eccle-
sia Scotica. 173.

Scriptura pro Primatu regio absurdè citata. 1. Pet. 2. pa. 252.
253. Rom. 13. pa. 258. Lucæ. 22. pa. 258. 259. In quibus responde-
tur perspicuè omnibus locis noui Testamenti quæ pro tali Regū
vel Reginarum principatu afferri possunt.

Seminarij nomen. pa. 167.

Societatis IESV collegia in remotissimis orbis partibus. pa. 166.

T

Quenā a Catholicis in Anglia per tormenta exquirantur. pa. 14.
15. Briantus immaniter excruciat. 15. indignissima causa tormen-
torum. 17. 18. 19. Minantur tormenta quibusdam vt accusent in-
nocentes. 19. Inferunt tormenta Sacerdotibus vt prodant quos
reconciliauerint Ecclesiæ, laicis vt prodant Sacerdotes a qui-
bus fuerint reconciliati. 280. vt enuncient quæ peccata Sacerdo-
ti fuerint confessi, & quam habuerint iniunctam pænitentiam.
286. Quanta fame premantur Catholici in carceribus. 281.

V

Viatu suo ipsius iudicio & confessione, miserabilis, belluinus,
& scelestissimus proditor (Holins. pa. 1735. 1736.) Protestantium
Anglorum iudicio est egregius Martyr. pa. 100.

Errata quæ exciderunt, alia in omnibus, alia in quibusdam tantum exemplaribus, ita corrigantur.

Pagina.	Linea.	Errata.	Correctio.
10	20	veram	verum
12	18	altero	altera
14	27	nostros	nostras
19	34	vniculorum	vinculorum
29	4	referenda	referendæ
90	26	propugnatriem	propugnatricem
94	in marg. pa.		pa. II.
108	14	retoq;	totiq;
147	24	singularis	singularis & vnus
159	marg.	sordibus	sordidus
209	33	<i>ijdem</i>	Dele
214	25	initimi	intimi
220	9	;)
234	15	illius	illis
248	5	<i>presbyteratos</i>	<i>presbyteratus</i>
249	24	<i>trahendum</i>	<i>trahendam</i>
256	22	Sacerdotum	Sacerdotium
277	31	domus scrutatę	domos scrutati
279	31	<i>sisterent</i>	sisterent
280	10	Iudiacas	Iudaicas
280	15	implicatas	implicatos.

Alia leuiores lector indifferens, sine admonitore per se facile deprehendet & emendabit. Quem tamen illud admonitum velim; quum bona pars huius operis fuisset absoluta, venisse ad manus meas *Iustitia Britannica* translationem Latinam. Quare deinceps ea citatur & ad marginem annotatur, cum antea citationes & notæ marginales Anglicano exemplari respondeant. A cap. 5.


FINIS.


1424661

OCN 1013500471

87

21877





ligatura att zika 2 fuch 48

176
C

